JURIS ECCLESIASTICI

MAXIME PRIVATI

INSTITUTIONES

COMMODA NOVAQUE METHODO ADORNATAE

QUIBUS ET DISCIPLINA HUJUS REGNI EDOCETUR
ET DOGMATA IPSA RELIGIONIS PASSIM VINDICANTUR

AUCTORE

RAPHAELE PECORELLI

PRESBYTERO NEAPOLITANO

IN ARCHIEPISCOPALI LYCEO UTRIUSQUE JURIS ORDINARIO PROFESSORE
ET IN REGIA UNIVERSITATE SACRAE THEOLOGIAE MAGISTRO

VOLUMEN II

DE PERSONIS.

NEAPOLI
EX TYPOGRAPHIA FRANCISCI AZZOLINO
1844

CONSPECTUS

EORUM QUAE HOC II. TOMO CONTINENTUR.

LIBER PRIMUS

DE JURE COSTITUTO.

LIBER SECUNDUS

DE PERSONIS IN SPECIE.

DE JURE CONSTITUTO (a).

LIBER PRIMUS

DE PERSONIS IN GENERE (b).

CAPUT PRIMUM

Jus omne quo utimur circa tria versari, personas, res, et judicium constat. Ad imitationem juris Justinianei, de personis prae omnibus sermo instituitur; quidquid enim de rebus et judiciis agitur, id totum gratia personarum fit.

(a) Jus constitutum agit quod legibus sancitum cautumque est: Jus constituens vero dicitur quod de legibus pertractat.

(b) Persona dicitur facies conficta a *personando*, seu clarius sonando; quia per os personae vox histrionibus personatis clarior emittitur. Per translationem sumitur pro qualitate, officio, dignitate, qua alius homo ab alio distinguitur. *Homo* ait Gellius *natura vocatur*, *personam faciunt circumstantiae*, *et accidentia.* Hoc sensu personam in hoc libro accepimus, non illo philosophorum quo persona rationalis naturae dicitur individua subst ntia.

CONCLUSIO PRIMA

Personae distinguuntur , quae juris sacri sunt objectum.

Ecclesia Christi est coetus fidelium sub regimine legitimorum pastorum, atque in primis Romani Pontificis colligatus professione unius fidei etc. (1). Constat ergo natura sua personis, quarum aliae praesunt, aliae vero subsunt : jure ideo in clericos dispescuntur et laicos (a) ; et hi quidem quia plebem sive populum constituunt dicti laici , illi autem clerici quoniam de sorte Domini sunt , vel Domini partem habent (2) sive Dominus pars clericorum est, ut ait Hieronymus (3) (b).

(a) Sunt alii qui cum Eusebio (*) tres in Ecclesia ordines distinguunt Praefectorum, Fidelium , sive Baptizatorum , et Cathecumenorum : sunt et qui cum Hieronymo (**) in Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles et Cathecumenos populum Christianum dividunt. In idem tamen recidunt : ex iis sane qui subsunt duos faciunt , et ex praesidentibus plures.

(b) A graeco *Cleros* sors sive haereditas, quae ut plurimum sorte habetur , Clerici dicuntur ; ad sortem enim et haereditatem Domini pertinent ; vel quia vocatione et electione , quae sorte aliquando fit , ad sacrum ministerium assumuntur. Laici vero a graeco *Laos* plebs , sive populus , omnem reliquam Ecclesiae partem constituunt.

Utrumque contra Cavallarium observatur ex sacris scripturis desumptum. In his enim voce *Lau* laici seu populi , natio Hebraea designata fuit , segregata a colluvie gentium quamque Deus in sui haereditatem optarat. Hinc Cleros sors , haereditas,

(1) *Vide quae vol. 1 cap. IV concl. II dicta sunt.*

(2) *C. Cleros Dist.* 21.

(3) *Epist. ad Nepotianum in cit. can.*

(*) *Demonst. Evang. lib. VII , cap. II.* (**) *In Isai. cap.* 19.

Sunt autem Clerici christifidelium coetus, qui certo sollemnique ritu initiati, munus aliquod publicum in Ecclesia gerunt. Laici vero dicuntur populi christiani nullum in Ecclesia ministerium exercentes, sive saeculares, mundani, idiotae non quod nota servitutis vel ignobilitatis inuri videantur; sed quod vitam agunt in Ecclesia privatam, nulloque officio distinctam, curisque seculi potius obnoxiam sive docti, sive indocti sint. Hi vero etsi nec ulla consecratione speciali distinguuntur nisi baptismo, per hoc tamen ad Ecclesiae corpus pertinent. *Nisi etenim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire regnum Dei*, idest Ecclesiam, uti Scripturae clamitant (1).

Hinc de bonis ejus participant, ejusque regimini subsunt, quamquam cives cum sint reipublicae profanae, civilibus vivant legibus: poenis ecclesiasticis proin jure plectuntur, etsi deserentes fidem ad castra infidelium se conferant; vel errores ab Ecclesia damnatos tenentes haeretici fiant; vel schismati ad-

illa agri portio dicta est, quae singulis familiis sorte obtigit, cum portio terrae Chananeae distributa fuit XII Tribubus; unde illud *Sorte divisit eis terram in funiculo distributionis* (*). In communione tamen hujus distributionis una Tribus Levi haudquaquam venit, Deus enim sibi, sacrisque ministeriis reservarat, ut cura agrorum abjecta, unice officiis Religionis vacaret, attribuens ei ad vitae subsidium tum decimas frugum a singulis Tribubus pensas, tum victimarum partes. In sortem ergo hujus Tribus Leviticae jura abierunt, quae Deo prestabantur, unde factum ut peculiari ratione ipsius Cleros, pars, sors, haereditas diceretur Dei, qui revera eam alloquens (**) dixit: *In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partem inter eos: ego pars, et haereditas tua in medio filiorum Israel.*

(1) *Joann. III.* 5.

(*) *Psalm. LXXVV.* 54. (**) *Num. XVIII.* 20.

haerentes, eidem Ecclesiae non obediant. Extorres equidem et criminosi characterem baptismi non amittunt; nec Ecclesia in eos jure suo privatur.

Sunt et alii qui baptismum non receperunt, illud tamen petierunt, dicti *cathecumeni;* eis sane rei christianae elementa tradit Ecclesia. De his ait Augustinus (1) *Licet nondum essent filii, pertinent tamen ad Ecclesiam ceu servi.* Colligitur inde nec impossibilem esse ipsis consequi salutem aeternam (a).

Demum monachi et regulares, a clericis et laicis quia plerumque in sacris canonibus distinguuntur, aliud genus personarum constituere docent plurimi DD.; etsi primaeva institutione eorum, laicis referendi sint. Ast quidquid sit de his, cum in specie de personis deinceps disseremus, eorum status aperietur magis.

Distinctis personis quae jus sacrum spectant, non erit cur moremur dicere de obligationibus laicorum; enucleata enim manent cum de rebus ecclesiasticis

---

(a) In Ecclesia, seu in vivo corpore ejus alia sunt interna, externa alia quae considerantur: Apteque a DD. solet distingui inter ea quae ad corpus visibile Ecclesiae pertinent, puta: ritus baptismi, professio fidei publica, unitas charitatis, et communionis, subjectio Pastoribus etc. et quae ad animam ejusdem referenda sunt, habitus scilicet charitatis, Spiritus Sancti dona etc. Cum itaque generatim Ecclesia visibilis sit, uti homo, etsi anima ejus videri nequeat; et cum praeterea ipsa visibilis Ecclesia ad aeternam salutem consequendam sit instituta, ac instar medii ad finem ordinata, hinc fieri potest ut praevalente ejusdem salutis aeternae favore, quispiam salvus fiat; quia re ipsa ad visibile corpus Ecclesiae pertinet, modo ad animam ac spiritum ejus referri possit; ac si non re, saltem voto membrum sit visibilis Ecclesiae. Id in cathecumenis contigit, et in iis qui per excommunicationem ab Ecclesia praecisi: hi dum acta poenitentia decedunt antequam absolvantur; illi prius ac baptizentur.

tractatus habebimus; quae quidem pertinent ad sacramentorum perceptionem, missae sacrificium, assistentiam festorum, jejuniorum etc. observantiam, sicut et ad obligationem providendi congruae sustentationi ministrorum Ecclesiae per oblationes aliave subsidia. Ita quoque et jura illorum interpretabimur cum de jurisdictionis gradibus disseremus; propter fideles enim ministri Ecclesiae tot praerogativis potiuntur, de quibus, cum de sacramentis dicemus erit oratio. Hinc ad vindicandam descendimus potius distinctionem jam expositam personarum contra Heterodoxos. Sit itaque.

CONCLUSIO SECUNDA

A laicis clericorum distinctio jure divino defenditur.

Novatorum succenturiati milites Salmasius, Seldenus, Buddeus, Bohemerus aliique gestam contra sacram jurisdictionem pugnam redintegrant quà non Petro, sed toti Ecclesiae hanc concessam a Christo blaterarunt, nimirum toti societati fidelium; indeque ex consensu populi, et tamquam ejus vicarios ac delegatos clericos habendos esse autumabant, ita ut quilibet sacerdotio donatus, praedicandi, ac sacra dandi potestatem consequutus, mox si populus jusserit, in laicorum classem redigatur (a). Proindeque distinctionem clericos inter et laicos divini juris esse

(a) Tertullianus (*) haereticos sui temporis eo nomine insectatur quod apud ipsos qui *hodie* Episcopus, *cras alius*; *hodie* Diaconus, *qui cras lector*, *hodie* Presbyter, *qui cras laicus*. Tum subnectit: *Nam et laicis sacerdotalia munia injungunt.*

(*) *Lib. de Praescript. cap.* 41.

negant, eamque seculo III. Pastorum ambitione invectam impudenter dixerunt.

Atqui fundamentum ipsum quo tot fabellas effutiunt et distrahunt jam a nobis explosum superiori volumine illos aberrantes declarat. Ibi enim nullam esse sacram potestatem societati fidelium tributam demonstravimus ; quam revera Petro, et Apostolis vindicavimus. Ut vero directe conclusio ducatur contra ipsos, quid doceant Scripturae audiatur oportet. Et primo Apostolus (1) Ecclesiam corpori humano comparans ait: *Vos autem estis corpus Christi, et membra de membro; et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores deinde virtutes ..... numquid omnes Apostoli?* etc. Posuit ergo Deus in Ecclesia distinctos clericos a laicis.

Idem Apostolus (2) eamdem distinctionem aperte statuit ubi Pastores sic alloquitur. *Attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Ergo Pastores a grege distinctos habet, Episcopos a reliquis discernit sicut qui regitur a rectore, jure divino. Adde, quod singulari electione Apostolos Christus Dominus elegerit, atque in eos Spiritum Sanctum peculiariter insufflaverit. In universam Ecclesiam vero nullibi id factum legimus. Quod aperto devincit solos Apostolos, eorumque successores, quum ad consummationem saeculi usque Ecclesia sit duratura, Pastores constitutos ad populum regendum, haud a populo rectos. Idem discrimen Patres omnes docuerunt, ut Ignatius jubens laicos nihil agere, inconsulto presbyte-

(1) 1 *ad Corinth. XII.* 27. (2) *Act. XX.* 28.

rio (1). Tertullianus haereticos insectando ea potissimum de causa, quod apud eos officia clericorum laicis essent communia, contra morem in Ecclesia catholica receptum, ubi laici a ministerio clericorum tamquam profani arcentur (2). Sic et alii uno ore profitentur. Hinc Tridentina Synodus (3) Scripturis et Traditioni insistens decrevit. « Si quis dixerit in Ecclesia » catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione » institutam, quae constat ex episcopis presbyteris et » ministris anathema sit. »

Quam veritatem et ipsa Synodus sequentibus praecipuis capitibus exhibet. 1.° Potestas sacra non est temporaria ut qui rite ordinati sunt, iterum laici effici possent. 2.° In ordinatione clericorum nec populi, nec cujusvis secularis potestatis et magistratus consensus sive vocatio, sive auctoritas reperitur, ut sine ea irrita sit ordinatio. Hi autem qui tantummodo a populo, aut seculari potestate vocati, et instituti sunt, non Ecclesiae ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos habitos semper fuisse, quod et vetusta traditione comprobatur. 3.° (4) In Ecclesia Catholica est hierarchia ordinatione divina instituta.

Demum ipsa natura qua instruimur Deum colendum ab hominibus, ex his docuit quosdam distingui qui rite inaugurati, et sacris possent vacare et multitudini antistare : mosque inde inolevit ut nec una fuerit respublica ubi et magistratus deerint rebus profanis praesidentes, et sacerdotes qui res divinas administra-

---

(1) *Epist. ad Magnes n.* 7. (2) *De Praescript. cap.* 41.
(3) *Sess. XVIII c. IV. can.* 6.
(4) *Ex can. VI sess. cit.*

verint. Maxime omnium veri Dei cultores, exordiente ipsius naturae lege teste Hieronymo (1) primogenitos habebant exclusive sacerdotes: Lege Mosaica tribus Levi in id muneris incumbebat, ut nulli se immiscere sacris licitum erat. Hinc Saulem reprobatum, Oziam lepra percussum, Dathan et Abiron vivos terrae hiatu absorptos legimus.

Nec refert quidem quod Protestantes jactant Petrum scilicet universam Christianorum gentem appellasse *genus electum*, *et regale sacerdotium* (2): quemadmodum etenim sacrificium diversa notione a Patribus explicatur, ac modo latius pro omnibus operibus quibus Deo litatur, modo strictius pro immolatione et oblatione accipitur victimae; ita et Sacerdotium aliquando latius et improprie, quod Christiani omnes in baptismo adsequuntur; unde Petrus his ait; *offerte spiritualem Hostiam;* (3) aliquando pro vero et proprio sumitur, quod unis Clericis competit. De improprio vero ibi sacerdotio loqui Petrum patet, cujus intuitu Clerici a laicis non differunt. Quod si et alia Petri verba opponunt quibus Ecclesiam totam clerum appellavit dicens (4): *Pascite qui in vobis est . . . neque dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo . . . .* facile erit reponere cum S. Hieronymo: nomen cleri etsi ibi referri solum ad illos qui proprie sunt nobis clerici distincti a laicis, monet tamen ut pascant universum gregem, et in pascendis laicis caveant turpe lucrum; ipsique Episcopi in clericis regendis fugiant dominandi cupiditatem; hi enim magis ac laici illis subjecti, et proprii administri sunt.

(1) *Lib. quaest. hebraic. in Gen.*
(2) 1. *Petri* II. 9.
(3) 1. *cap.* 2.
(4) 1. *cap.* 5.

Ceterum non tantum a laicis distinguntur clerici, sed et inter se se, *Ordine* nimirum quo quis ritu mystico inauguratur ad aliquod officium Ecclesiasticum, vel potius ad jus sive potestatem exercendi illud. *Gradu* quem consequitur quis ratione Ordinis, et locum hierarchicum tenet: *Officio* demum scilicet muneribus addictis ordinibus. De his tamen cum de Sacramento Ordinis redibit sermo tractatum habebimus. Nunc potius quae clericos in universum spectant interpretari juvat.

CONCLUSIO TERTIA

Nomine clericorum jus sacrum quos comprehendit declaratur.

Nomen clerici large seu generaliter sumitur in jure cum leges favorabiles sunt: stricte sive specialiter si sint odiosae; quia (1) odia restringi, favores ampliari convenit. Hinc primo modo omnes comprehendit etiam sola tonsura initiatos (2). Imo et monachos; etenim in favorabilibus illi clericis aequiparantur in jure; (3) item et moniales (4). Et quidem etsi inaugurati non sint ad munus sacrum aliquod et pubblicum exercendum, ipsa clericali tonsura expertes, certis tamen votis obstricti, et specialiter servientes Deo personae dicuntur Ecclesiasticae: sed de his, uti diximus, cum de personis in specie pertractabimus. Ad haec Novitii et Novitiae (1), Conversi et

---

(1) *C.* 15 *de R. J.* (2) *C. cleros* 1 *d.* 10 *et alibi.*
(3) *C. Si quis* 29 *c.* 17 24.
(4) *C. de Monialib.* 33 *de sentent. excom.*
(5) *Cap. Religiosos de sententia excomm. in* 6.

Conversae, (1) Tertiarii et Tertiariae Mendicantium in Congregatione et Communitate viventes (2), ac Moniales Tertiariae in propriis domibus degentes, ac virginalem et caelibem vitam ducentes ex voto castitatis de Ordinarii licentia emisso (3): similiter Eremitae saltem illi, qui de manu Episcopi, vel alicujus Praelati regularis receperunt habitum, atque sub ejus obedientia vivunt, deputati pro servitio alicujus Ecclesiae, vel Oratorio (4); et qui assumpto habitu religioso monialium servituti sunt addicti, et pro illis eleemosynam quaerunt, prope monasterium more earum degentes vitam; sicut et laici, qui habitu clericali incedunt, et inserviunt Congregationi Praesbyterorum, qui collegialiter sub certo superiore, modo religioso vivunt, uti docent Antonelli, Matthaeucci, Potestà et alii. Equites denique S. Johann. Hierosolym. vulgo *Cavalieri di Malta;* tria enim vota emittunt, atque ut religiosi habentur.

Cum autem jus est odiosum, solos inferiores clericos seculares respicit, nec Episcopos aut Canonicos, aut alios in dignitate ecclesiastica constitutos comprehendit; sicut nec Religiosos, nisi secus expressum sit, vel aliunde de opposito constat. Ita communis (5).

Colligitur demum: 1.° Clericorum esse quid *facti;* consequenter probandum. 2.° Quaestionem de illo esse caussam mere ecclesiasticam, quia pendet a

(1) *Cap. de monialib.* 33 *de sent. excomm.*
(2) *Ex const. Leonis Dum intra* 1 *mart.* 1518 *in Conc. Lateranen. sess.* 21.
(3) *Ex ead. const.*
(4) *Glossa in c.* Qui vero 12 *c.* 5 *q.* 1 *Verbo vero. Fagnanus in c. Nullus n.* 61 *de foro compet.*
(5) *Arg. cap.* 22 *de Cler. in* 6.

valida et sollemni inauguratione; nimirum a susceptione ordinis, vel tonsurae, aut emissione votorum sollemnium.

CONCLUSIO QUARTA

Majoritas et obedientia clericorum enucleatur.

Majoritas prout hic sumitur ex tit. XXXIII Decretalium, est praeeminentia, qua unus est dignior, et honorabilior altero; et exercetur in dando suffragio, ordine incedendi, consessu, subscriptione, in insignibus dignitatis, in titulis honoris, in certis ritibus aliisque praerogativis (a). Obtinetur autem: 1.ª potestate, et jurisdictione, qua quis alteri praestat; sicut Archiepiscopus Episcopo 2.º ratione ordinis; sic Praesbyter antecedit Diaconum (1) 3.º ob praerogativam ordinantis; ita ceteris paribus, ille, qui est ordinatus a summo Pontifice, praecedit ordinatum ab Episcopo (2) 4.º ob antiquitatem et prioritatem temporis (3).

Quinam vero in particulari praecedant alios, nec facile nec tutum est dicere. Hic tamen nosse sufficit

---

(a) Proaedriam, seu jus praecedentiae haudquaquam per se dici potest ab ambitione sive fastu et fortassis hominum vitio exortum; quum hierarchiam, celestium ordinum graduumque exemplum et imitationem, hierarchia ecclesiastica sequatur; imo ad praecavendam aemulationem, ambitionemque privatorum, debuit introduci ordinis et proaedriae lex. *Omnia honeste et secundum ordinem fiant*, docuit Paulus (*).

(1) *C.* 15 *h. t.* (2) *Cap.* 7 *h. t.*

(3) *Reg.* 54 *J. in* 6 *et c.* 1 *h. tit.*

(*) 1. *Corinth. XIV.* 40.

regulas proedriae, quae sequuntur nimirum: 1.° potestas Ecclesiastica major et dignior est seculari, sicut anima corpore, et temporalia spiritualibus 2.° si unus ordo cum alio concurrerit, ac neutri adhaereat jurisdictio, vel in considerationem non veniat, ordo major praefertur minori (1) 3.° si par utrobique est ordo, spectatur tempus ordinationis (2) 4.° si et ordo et jurisdictio aequalis, senior praefertur juniori, nisi inaequalia sint ornamenta dignitatis; nam inter Abbates ordine et jurisdictione pares, mitrati non mitratis regulariter praeferuntur (3) 5.° in jurisdictione diversi generis, jurisdictio fori externi praefertur jurisdictioni interni, criminalis civili, ordinaria mandatae. Praeterea in clero seculari, quamvis de jure communi olim Archidiaconus, hodie Vicarius generalis Episcopi obtineat primum locum post eum, et sede vacante Vicarius capitularis nulli cedat, nisi praecipuam dignitatem obtinenti in capitulo; de consuetudine tamen canonicos cathedrales non praecedit, si et ipse non sit canonicus: ita Barbosa (4).

De ordine inter minora corpora hierarchiae, quum clerici summo genere divisionis in seculares, vel regulares distinguantur, hae regulae teneantur oportet: 1.° In publicis ministeriis aut supplicationibus corpus ministrorum etiam inferiorum, si vestibus sacris et solemnibus sunt induti, praeeant canonicos aliosque digniores communi vestitu utentes. 2.° Clerus secularis, si conjungitur cum suo capite, praecedit regularem: inter ipsos clericos seculares viciniora Episcopo sunt ca-

---

(1) *C.* 15 *h. t.*
(2) *C.* 1 *h. tit. can.* 7 *dist.* 17 *Trid. sess. XXIV c.* 2 *de reform.* (3) *C.* 6 *de priv. in* 6.
(4) *De offic. et potest. Episc. alleg.* 54 *n.* 167.

pitula Ecclesiae cathedralis, dein collegiatarum. 3.° In clero regulari spectato ordine hierarchico, primi sunt canonici, dein clerici regulares: sequuntur monachi, dein mendicantes. Haec tamen omnia variari possunt per privilegia.

Verum hoc monitum servandum ex Trid. (1). Si controversia sit inter personas Ecclesiasticas Episcopo inferiores, vel inter Confraternitates de praecedentia, Judex est Episcopus, qui illam statim componet remota omni appellatione, ne per similes controversias non statim sopitas, quarum fundamentum videtur esse ambitio, cultus divinus minuatur, vel populus scandalizetur (a).

Vi obedientiae dein tenentur Clerici ad reverentiam, scilicet Superiori exhibendo honorem et cultum juxta statuta, ac item locorum consuetudines, ad submissionem in explendis mandatis, et in admittendam correptionem. Clerici tamen non possunt cogi ab Episcopo ad praestandum aliquod servitium non expressum in jure (2): hinc non potest compellere clericos non habentes officium vel beneficium Ecclesiasticum, ut ad pubblicas processiones accedant, sicut docent Fagnanus (3) et Barbosa (4). Sic et simplices sacerdotes non habentes officium, neque beneficium in Ecclesia Cathedrali non possunt per Episcopum cogi ad ipsum, vel Canonicos inserviendos in functionibus ecclesiasticis, non obstante exiguo numero Canonicorum, ut pluries declaravit Sacra Con-

(a) Concordat jus civile ut ex dicendis constabit.
(1) *Sess.* 25 *c.* 13 *de regularib.*
(2) *C. Quia cognovimus* 6 *causa* 10 *q.* 3.
(3) *In c. Conquerente* 16 *de offic. ordinar.*
(4) *Verb. Processio.*

greg. Concilii (1): nisi adesset contraria consuetudo, ut eadem Congregatio decrevit (2): vel nisi ageretur de clericis non Sacerdotibus pro utilitate et necessitate cathedralis, ad titulum patrimonii ordinatis. Cum enim cathedralis Ecclesia eis indigeat, possunt cogi ad inserviendum, dato illis assignamento competenti ut respondit Sacra Cong. Episc. et Regul. Archiep. Cosentin. (3).

Episcopus quoque potest compellere omnes Sacerdotes seculares ad casus conscientiae, etiamsi sint canonici, ut S. Cong. decrevit 15 mart. 1692. Non sunt tamen cogendi clerici non constituti in sacris, ut eadem S. Cong. decrevit 30 aug. 1732 in Larinen. et 27 septem. 1732 in Salernit.

Regulares autem ab Episcopo adprobati ad audiendas confessiones non tenentur interesse Congregationi casuum conscientiae. Ita S. Cong. Concilii 12 mai. 1688 et 12 mart. 1718.

Religiosi suo Praelato ita subjecti sint, ut si contumaces se exhibeant, ab eodem excommunicari, ac censuris subjici possint, aut propter incorrigibilitatem omnino ex ordine ejici, et aliis poenis plecti (4).

---

(1) *Apud. Nicol. Lucubrar. canon. lib.* 1 *tit.* 22.
(2) *In Trojana* 20 *sept.* 1804 *et alibi.*
(3) 5 *april.* 1597.
(4) *C.* 10 *h. t. et c.* 33 *de simon.*

CAPUT SECUNDUM

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

Congrua totius vitae clericorum ratio, et honestas praescripta est eorum statui: qua de re semper prae oculis habenda est Tridentina Synodus quae ad rem sic se habet:

« Nihil est quod magis alios ad pietatem, et ad » Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et » exemplum, qui se ministerio Divino dedicarunt. » Quapropter sic decet omnino clericos in sortem » Domini vocatos, vitam moresque suos omnes com- » ponere, ut habitu, gestu, incessu, sermone, » aliisque omnibus rebus, nil nisi grave, modera- » tum, ac religione plenum praeseferant; levia etiam » delicta quae in illis maxima essent, effugiant; ut » eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum » igitur, quo majore in Ecclesia Dei, et utilitate, » et ornamento haec sunt, ita etiam diligentius sint » observanda; statuit sancta Synodus, ut quae alias » de clericorum vita, honestate, cultu, doctrinaque » retinenda, ac simul de luxu, commessationibus, » choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque crimi- » nibus, nec non secularibus negotiis fugiendis co- » piose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in po- » sterum iisdem poenis, vel majoribus arbitrio or- » dinarii imponendis observentur. »

Praescripta hisce verbis a S. Synodo interpretabimur sequentibus conclusionibus, et quae clericis sunt vitanda; quaeque ab eis praestanda sunt, enucleata erunt. Quoad primum de professionibus, et oblecta-

(1) *Sess. XX c. 1 de reform.*

mentis illicitis, deque habitationibus indebitis disseremus; quoad secundum ad habitum, et tonsuram continemus argumenta, quoniam de aliis redibit sermo cum in specie de clericis erit dicendi locus. Sit itaque de professionibus sive officiis atque actionibus

CONCLUSIO PRIMA

Professiones Clericis interdictae declarantur, sive de negotiis secularibus disseritur.

Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus ait Apostolus (1). Negotia nimirum in genere quae pertinent ad rempublicam mundanam permissa quamvis laicis, interdicta remanent clericis, quoniam vel valde abstrahunt a rebus divinis, vel minus decent clericos. Et primo directio militum vel tormentorum in pugna, ipsaque militia prohibetur clericis, nec ipsis licet armatos incedere: Hoc mandat jus sacrum quod sic se habet « Quicumque ex » clero esse videntur, arma militaria non sumant, » neque armati incedant. Quod si contempserint, » tamque S. Canonum contemptores et ecclesiasticae » sanctitatis profanatores, proprii gradus amissione » mulctentur; quia non possunt simul Deo et saeculo » militare. » Et revera omnino alienum est a Sacerdotii mansuetudine, ut clerici arma tractent, et in bello sanguinem effundant. Quo spectant vulgatae etiam regulae: *Ecclesia sanguinem non sinit: Clericus a canone est alienus, si sanguinem vel juste effudit*. Quod si clericus in minoribus constitutus agit militem, amittit clericatum, et beneficia, sed primum post sententiam declaratoriam.

(1) II *ad Timoth.* 2.

Verum ad securitatem prohibitum non est clericis arma defensiva portare; puta: si iter faciant per loca periculis exposita; si justam habeant causam timendi; vel si essent in obsidione ait Barbosa (1). Vim sane vi repellere omnia jura permittunt.

De irregularitatibus ex defectu lenitatis et homicidio dicemus, cum de criminibus erit sermo: nunc addere sufficit quod ex Concilio Lateranense III habetur (2). « Sententiam sanguinis nullus clericus dictet, aut » proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, » aut, ubi exerceatur, intersit. » Unde colligitur nec judicium sanguinis nec executioni sententiae sanguinis interesse clericis licere; dedecet enim clericalem charitatem et mansuetudinem oculos pascere tali spectaculo nisi ad eos juvandos, qui capitalem poenam subeunt. Vide Suarez (3) et Layman (4). Communiter tamen DD. docent secluso scandalo peccatum hoc non esse grave.

Secundo exercitium publicum chirurgiae praecipue per incisionem, adustionem etc. (5), excipe si applicet emplastrum ad tumorem aperiendum, illicitum est eis (a). Ita et medica ars (6); prohibetur enim clericis etiam studium artis ejusdem; indeque magis ejus

(a) Non offendit proprie in hanc legem ex allato can. qui consulit ut membrum abscindatur, imo qui opem praestat abscindenti: non enim chirurgiam exercet proprie per incisionem. Quod si deficiente chirurgo, et urgente necessitate, clericus etiam per incisionem debite exerceat chirurgiam, patet eum non peccare, nec incurrere irregularitatem, si exinde mors se-

(1) Jus Universum *lib.* 1 *c.* *XI.*

(2) *C.* Sententiam 9. Ne clerici.

(3) *Dissert.* 50 *de censur. sec.* 2.

(4) *Lib.* 1 *tr.* 5 *pag.* 3 *c.* 5. (5) *Cap.* 19 *ext.* de homic.

(6) *C.* 10 *ex.* Ne clerici vel monachi.

exercitium ut notat Abbas (1) ex reg. jur. *Cum quid prohibetur, prohibentur omnia quae sequuntur.* Hoc tamen limitant DD. excipientes casum, quo urgente necessitate, et cessante periculo mortis aliquis clericus artem medicinae, et chirurgiae exerceat ex pietate vel charitate erga pauperes in defectu medicorum et chirurgorum. Ita Barbosa, Bonacina et alii.

Quod vero prohibetur studium publicum phisicum, seu in scholis vel publicis universitatibus medicinam vel chirurgiam audire, ex jure evincitur (2) ubi ratio adducitur: *Ne occasione talis scientiae, spirituales viri mundanis rursus actionibus involvantur.* Et alibi (3) assignatur pro fine, ut studium Theologiae et SS. Canonum magis frequentare pro dilatatione, et defensione catholicae fidei possint (a). Hic ergo duo monere juvat 1.° privatim non prohiberi hoc studium, dicitur enim lex, publicis in scholis. Ita DD. teste Fagn. (4) 2.° non esse prohibitum medicinam legere publice et docere. Ita Abbas (5) et alii;

---

quatur. Abbas (*) notat absolute prohibitum esse clericis chirurgiam, etsi citra adustionem et incisionem exerceant (**).

(a) Solet frequenter expediri a Secreteria Brevium indultum pro Sacerdotibus phisicis, ut possint artem medicinae exercere absque incursu irregularitatis cum clausula tamen: *Gratis et amore Dei erga omnes; attenta penuria medicorum*, quae ultima verba intelligenda sunt moraliter. Et si adesset in Brevi alia clausula *dummodo nihil potes, sed a sponte dantibus, a pauperibus nihil omnino recipias*, tunc non posset a publico conduci mercede conventa ut respondit Sacr. Congreg. Episcop. in Terracin 9 septembris 1679.

(1) *Loc. cit. arg. c.* Cum quid *de reg. jur. in* 6.
(2) *Cap.* Non magnopere 3. Ne clerici vel monachi.
(3) *Cap. super Specula* 10 *eod.* (4) *Cit. cap.* 1.
(5) *D. c. super Specula.*

(*) *In c.* Sententia 9. *Ne clerici vel monachi n.* 21 *et* 22.
(**) *Arg. c.* Multa *sunt Negotia* 1. *Ne clerici vel monachi.*

verba sane legis utpote odiosa, restringenda sunt ad solos audiendos, quos memorat.

Tertio adversatur eorumdem clericorum vocationi procuratio alienorum, et ministri eorum fieri; sine macula sane negotia laicorum et praecipue foeminarum non procurant (1); imo et procuratores agere in tribunalibus secularibus, nisi pro pauperibus, pupillis, Ecclesiis, vel propria causa: sic et curatela illicita est eis; excipe legitima (2) accedente Superioris licentia ut DD. docent ex Synod. Calchedon (3). Adde et officium Tabellionis sive Notarii publici, nisi in causa et in favorem fidei, aut in curia Ecclesiastica (4). Advertit tamen Laiman (5) ab aliis sequutus, consuetudine inductum esse, ut officio Cancellarii, Consiliarii imo, et judicis fungi possit Clericus in causis civilibus (a). Officia Politica ceu Administratoris judicis, praefecti principum secularium interdicta sunt illis (6); imo et quodcumque officium publici ministerii, ex quo teneantur clerici rationes reddere de justitia, vel de bonis administratis. Unde ob id tales clerici fiunt irregulares (7). Advertunt tamen DD. quod si a clerico suscipiatur administratio post ordinationem, non incurritur irregularitas cum non inveniatur expressa in

---

(a) Jure Neap. ex Prag. 1. de Eccles. Personis; et Const. *Advocatos* de praest. sacram. ab advocat. Clerici prohibentur a causarum patrociniis suscipiendis, nisi pauperum, pupillorum, consanguineorum, affinium, et Ecclesiae, et ab exercenda civili jurisdictione.

(1) *C.* 3 *causs. XXI q.* 2.
(2) *Sac. Cong. Episc. in Salernitana* 24 *junii* 1619 *et alibi.*
(3) *C.* 3 *causs. XXI q.* 3.
(4) *C.* 8 *c.* 11 §. 1 *de haeret. in* 6.
(5) *L.* 2 *t.* 1 *c.* 8 *n.* 4.
(6) *C.* 2 4 5 *Ne clerici vel monachi.*
(7) *C. un. de obligat. ad ratiocinat.*

jure. Insuper ut clericus hujusmodi officia exercens possit ordinari, deposita administratione idoneam fidejussionem de gestis praebeat. Imo addunt sufficere, si reddat rationes et administrationem deponat, etiamsi debita non solverit. Communiter vero DD. docent quod Administratores locorum piorum, aut Viduae, aut indigentis, qui causa pietatis tale susceperint onus, bene possint ordinari, etiam ante redditas rationes argumento ex jure deducto (1). S. Ligorius (2) ait se non audere de mortali clericum damnare, qui ob talem procurationem sua ministeria non negligeret: maxime si id faceret non avaritiae causa, sed ad decentius statum suum et familiae conservandum; nam sunt hae circumstantiae quae casum a lege damnatum, praevisum non offerunt.

Quarto nec conductores sint clerici oportet. Sic enim Concil. Calced. cit. antea. « Pervenit in Synodum quia » de clero quidam propter turpis lucri gratiam alienarum possessionum conductiones suscipiant, et seipsos » a ministeriis sanctis per desidiam separant, ad domos » secularium concurrunt, et substantiarum eorum gubernationes avaritiae causa suscipiunt. Decrevit igitur S. Synodus neminem deinceps clericum, aut » monachum conducere possessiones, aut misceri secularibus procurationibus praeter pupillorum, si forte » leges imponant, inexcusabilem curam ». Insuper et monachis et religiosis prohibitum est, ne a clericis vel a laicis aliena praedia conducant aut agros; praebet enim suspicionem avaritiae (3): quamvis id possint clerici seculares in ordine ad suam suorumque sub-

(1) *C.* 1 *Ne clerici vel monach. c.* 6 *q.* 1 et Clarius *ex cap. Pervenit* 1 *c.* 21 *q.* 3.. (2) *L. III tract. V n.* 338.
(3) *C.* 6 *Ne cleric. vel monach.*

stentationem necessariam, non tamen ut fructus inde collectos vendant lucri causa, et quaestum faciant (1).

Quinto studium publicum juris civilis, sicut dictum est supra de medicina, prohibitum est clericis sub iisdem exceptionibus et conditionibus, et eo vel magis quod pro pleniori intellectu juris canonici juvat. Imo et clericis ipsis non interdicitur audire secundario fine in pubblicis scholis jus civile, ut intelligatur nempe perfectius illud canonicum. Ita Barbosa (2) quod de religiosis non videtur colligi (3) (a).

Sexto a sordidis muneribus et opificiis demum abstinere se debent clerici, illis scilicet, quae moribus nostris pro vilibus habentur (b), puta agere cauponem, officia macellariorum etc.

De negotio autem proprie dicto sive de mercatura sit

(a) Universitates quaedam privilegio Apostolico muniuntur admittendi ad audiendas leges etiam clericos; et Doctores pubblici SS. canonum in universitatibus semper creantur tamquam DD. utriusque juris. Adhaec jus (*) non omnibus clericis, sed Praesbyteris, vel habentibus dignitatem aut personatum, studium publicum juris civilis interdicit. Denique (**) religiosi professi temere habitum dimittentes, et ad quaecumque accedentes studia literarum, non obtenta licentia praelati et conventus, ipso jure denunciantur excommunicati; similiter et doctores, qui eos ad audiendas leges vel physicam retinent.

(b) De his mox erit tractatum cum de privilegiis clericorum erit sermo.

(1) *C.* 1 *et* 3 *caus.* 21 *q.* 3. 1.

(2) *In c. fin. Ne cleric. vel monach*

(3) *Ex cap.* 2 *tit. eod.*

(*) *C.* 1. *in* 6.

(**) *C.* 2. *in* 6.

CONCLUSIO SECUNDA

Negotiatio sive mercatura clericis interdicta est.

Negotiatio vel proprie accipitur et habetur emendo res eo fine, ut quoad formam suam non mutatae (vel adeo tenuiter mutatae ut in existimatione morali censeantur eaedem permanere) vendantur majori pretio, et cum lucro: vel est impropria, quando ea intentione emuntur, ut moraliter immutatae ampliori pretio, et cum lucro vendantur. Utraque ergo importat emptionem rei, et lucrum. Quod attentius retinendum hoc in argumento.

Adest et negotiatio simplex vel oeconomica, si res nimirum vendantur non prius emptae, sed ex propriis fundis, animalibus etc. provenientibus, vel superflua vendantur; aut sine intentione revendendi emta necessaria vel utilia ad proprium usum, revenduntur forte carius, si contingat, ut nec necessaria nec utilia amplius sint; aut occasio per accidens se offerat carius vendendi. Haec tamen magis improprie dicitur negotiatio, indeque nec prohibita a jure.

E contra quae dicitur propria, interdicta est clericis in majoribus ordinibus constitutis, vel in minoribus, sed beneficiatis: imo secundum aliquos apud Fagnanum (1) etiam non beneficiatis, saltem si per seipsos exerceant, sive totaliter, ita ut magnopere ipsimet concurrant (a). Impropria vero negotiatio prohibita est, si aliena industria immutatas res lucri causa emptas carius vendat; quia censetur emi alienus labor et inde lucrum capi. Cum autem propria industria, vel arte im-

---

(a) Per se et graviter si materia sit notabilis; etsi a multis

(1) *In cap. 1 tit. Ne clerici vel monach. n.* 83.

mutat ut vendat etiam cum lucro, licita est eis: non est quidem negotiatio, ut Collet et Barbosa advertunt (1). Et generatim clericis permittunt canones ex arte honesta lucrum quoddam quaerere (2) praesertim si nec mero lucri studio sic vendunt, sed et ex alio fine honesto, puta: ad parandum victum, ad fugandum otium, castigandum corpus, faciendas eleemosynas, item ad vitandum damnum quod alias subirent (a). Ita communis quoad utramque negotiationem ex Trid. (3) et alibi (4).

De his autem qui per alium negotiationem exercent, nec facile dixeris, cum scilicet totam curam aliis relinquant v. g. qui solum dant pecunias, nec partem aliquam exercent sollicitando, instruendo, et superintendendo; etsi juxta plures DD. non prohibeantur, modo adsit justa causa v. g. necessitas rei familiaris, vel consuetudo regionis. Ita Lessius (5).

Praetereundum tamen non est quod Bened. XIV. in bulla *Apostolicae servitutis* affirmat nimirum « extendi » poenas canonum ad eos, *qui sub alieno laici nomi-* » *ne* quoquo licet modo negotiantes, perinde ac se » per seipsos, ac proprio eorum nomine negotia ipsa

---

et quidem probabiliter excusatur qui semel aut iterum quemdam actum negotiationis exercet, absque scandalo, et dedecore; quia Canones, quum clericum negotiatorem poenis subjiciunt, potius habitum, quam actum aliquem spectant.

(a) Exemplo sit illud Religiosorum, qui ex erecta officina pharmaceutica in suas et suorum necessitates, vendunt tamen superflua propriis necessitatibus, ut sine damno sua pharmacopolia conservent.

(1) *Jus Universum lib.* 1 *cap.* 40.

(2) *Cap. clericus* 3 *dist.* 91.

(3) *Sess.* 22 *c.* 1 *de reformat.*

(4) *Tota dist.* 88 *c. fin. de vita et honest. Clement.* 1 *eod.*

(5) *L.* 2 *de Just. c.* 12.

» illicita exercent » (a). Declarat praeterea Pontifex, » quod si aliquod negotium ecclesiasticis personis il» licitum, licet ab eis minime institutum, sed a lai» ca persona inchoatum, et ad clericos sive haere» ditario jure, sive quocumque alio titulo delatum » fuerit . . . . illud statim dimittere teneatur ; si » vero statim dimitti nequeat sine temporali clerici » ipsius detrimento, licentiam ab ordinario loci im» petrare teneatur ».

Exercentes vero clerici negotiationem proprie dictam poenis etiam specialibus plectuntur: et 1.° debent excommunicari (1): 2.° possunt suspendi ab officio, imo etiam deponi a gradu et ordine clericali (2) praeter alias ex Const. Pii V. ann. 1560 et alibi comminatas (b). Has poenas tamen clerici incurrunt post sententiam condemnatoriam, vel declaratoriam judicis. Vide citatam Const. Benedicti XIV *Apostolicae servitutis*.

Ex eodem principio, quo negotiatores clerici esse non possunt, manat, quod nec sponsores sint, nec va-

---

(a) « Attendentes, inquit ibidem S. Pontifex, quod clericus, qui » tantopere mundanis divitiis parandis inhiat, caelestia despicere, » et pro nihilo putare convincitur, et quod clericus negotiator ex » inope dives, et ex ignobili gloriosus, tamquam pestis ut B. » Hyeronimus docet, fugiendus est; ad exitiosam hujusmodi la» bem ab ecclesiastico coetu eliminandam, et ut S. Ecclesiae Dei » famulatui addicti, ab omni turpis lucri cupiditate abhorrentes, » studeant bene agere, et divites fieri in bonis operibus, thesau» rizantes sibi fundamentum bonum, futurum, omnes praedeces» sorum nostrorum constitutiones innovamus, et extendimus » etc.

(b) Valentinus III legem fecit, ut clerici nihil prorsus negotiationem exercerent; et si vellent negotiari, scirent se judicibus subditos clericorum privilegio non muniri.

(1) *C.* 6 *tit. Ne clerici vel monachi.*

(2) *Can.* 1 *et seq. causs.* 14 *q.* 4.

dimonium promittant. Ipseque Justinianus id prohibuit (1), *ne sanctis domibus damnum fiat*, *et sacra ministeria impediantur.*

Tandem etsi clericis non sit prohibitum ex quadam arte victum quaerere; nunquam tamen turpi lucro; abhorret enim ab eorum honestate. Nicaeni PP. ita edixerunt: *Quoniam multi qui in canone recensentur* (i. e. clerici) *plura habendi studium, et turpe lucrum persequuntur*, *divinae Scripturae obliti*, *quae dicit*: argentum suum non dedit ad usuram, *et foenerantes centesimas exigunt*, *aequum censuit sancta*, *et magna Synodus*, *ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras ex mutuo sumere*, *vel eam in rem aliter persequi*, *vel sextuplas exigere* (a), *vel aliud aliquid excogitare turpis quaestus gratia*, *a clero deponatur*, *et sit alienus a canone* (2).

CONCLUSIO TERTIA

Oblectamenta illicita clericis distinguuntur.

Plura equidem sunt, quae clericorum ministerio maximopere abludunt. Et primo de Clerico venatore sic in jure habetur (3) « Episcopum, Presbyterum, ac » Diaconum, canes, aut accipitres, aut hujusmodi » ad venandum habere non licet; quod si quis talium personarum in hac voluptate saepius detentus » fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus a communione, si Praesbyter, duobus, si Diaconus, ab » omni officio suspendatur. »

Praeter autem alios canones qui similiter se expri-

(a) Usurae sextuplae continent totum cum dimidia ejus parte.
(1) *Nov.* 123 *c.* 6. (2) *Can.* 17.
(3) *De Clerico venatore cap. Episcopum* 2.

munt, Concil. Trid. (1) de canonicis loquens generalius dicit: « *Ab illicitisque venationibus aucupiis* » etc. *abstineat.* »

Ex his colligunt DD. 1.° aliquam permitti venationem nimirum quietam 2.° etiam clamorosam non esse vetitam sub gravi, nisi sit frequens, vel magnis expensis uti multi docent, et insuper sublato scandalo, apud Layman; qui addit etiam pene fieri ut venatio omni culpa vacet, si sit rara, et moderata, vel causa necessitatis et exercitii (2). Strictius vero venatio clamorosa Religiosis prohibita est (3) (a).

Piscatio nullo canone interdicitur clericis; hinc solum si moderatione caret, illicita est illis.

Et quoniam in omnibus tales se praebere debent clerici, ut ex Tridentino omnibus sint exemplum, gestu, incestu, sermone; quidnam vani, intemperantis, licentiosi nefas est eis. Hinc choreis, spectaculis, saltationibus interesse, plures canones speciatim clericis interdicunt: sicut turpes amatorias aut lascivas cantilenas non eis licet depromere, seu cantationibus favere, aut adesse. Concilium Laodic. autem ann. 320 (4) ait: « Non oportet ministros altaris spectaculis aliqui- » bus quae aut nuptiis, aut in scenis exhibentur, in-

---

(a) Monendum ducimus, quanta severitate Bened. XIV, de Synodo (*) ipsam quietam venationem carpat, asserens ipsam esse sacris Canonibus adversam; siquidem addit, ea quoque venatio interdicitur, quae fiat cum avibus venatoriis, accipitre, falcone etc.; cum enim fortuito *casu* contigisset clericos venationi vacantes, hominem interfecisse, Congregationem Concilii saepius declarasse eos esse irregulares.

(1) *Sess. XXIV c.* 12. (2) *L. III Tract.* 1 *c. V n.* 15.
(3) *Clem. c.* 55 *Porro de statu monachorum.*
(4) *Cap. non oportet de consecrat. D. V.*

(*) *Lib. XI. c. X. n.* 8.

» teresse, sed antequam Thymelici (histriones) ingre- » diantur, surgere de convivio et abire ». Et sancta Tridentina Synodus priscas leges innovat de choreis et conversationibus fugiendis (1). Benedictus XIV item reos gravis scandali illos sacerdotes dicit, qui publicis saltationibus student (2). Bacchanalium profanis licentiis non licere clericos accedere docet idem Bened. XIV (3) nec personatos se tegere jus dicit (4) (a). Verbo: ab omni actu, ex quo possit oriri suspicio Veneris aut incontinentiae, eos se continere oportet. Superfluum autem videtur referre canones, qui clericos ab ebrietate, crapula, joculationibus per se exercendis prohibent; clericis etenim et mentis inducit exitium, et libidinis provocat incentivum, quare et Mosaicae legis sacerdotibus usus vini interdictus legitur (5). Inde et Canones Apostolici decernunt (6): *Episcopus, vel Praesbyter, vel Diaconus ebrietatibus vacans, vel cesset, vel deponatur.* Et Innocentius III in Concil. Lateran. (7) clericos nimium ebrietati studentes coercuit, ipsis vel officio, vel beneficio suspensis, nisi a Superiore commoniti satisfecerint. Nec proinde immerito Concil. Carth. (8) ait: *Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrina-*

(a) Medio aevo collapsis clericorum moribus in ipsis Ecclesiis theatrales ludi fiebant, et in aliquibus festis diebus ut *praesbyteri, diaconi, et subdiaconi insaniae suae ludibria exercere praesumerent.* Hinc Innocent. III *hujusmodi ludibriosam corruptelam ab Ecclesia auctoritate sua extirpare jussit* (*).

(1) *Sess.* 22 *c.* 1 *de reformat.*
(2) *Tom.* 4 *Notif.* (3) *T.* 2 *Const.* 45 *Inter caetera.*
(4) *C. Quum demum* 12 *de vita et honest.: et Concil. Mediol.* 1. *p.* 2 *tit. de armis et ludis etc.* (5) *Lev. c.* 9.
(6) *Can.* 4. (7) *Can.* 13 *tit. de vita et honest.*
(8) *Cap. Cleric.* 4 *dist.* 44.

(*) *Cap.* Cum decorem 12 *de vit. et honest.*

tionis necessitate compulsi. Et Trid. subdit (1) *qui in illis delinquunt, puniantur ab Episcopo vel arbitrarie, vel poenis passim in* h. t. *statutis* (a).

Denique *Clerici ad taxillos et aleas non ludant, nec hujusmodi ludis intersint*: ita Conc. Later. (2). Qui ergo ludis vel saepe intersint in quibus mera fortuna, et nulla industria vel ars intervenit, aut etiam semel cum scandalo, vel magna pecuniae summa exposita, graviter peccare DD. docent. Quod si recreationis causa ludant privatim, et in modica quantitate et sine aliorum scandalo, illis nefas non dicunt Cajetan. (3) de Lugo et alii, praesertim qui se exercent ludis, ingenium et industriam, vel virtutem corporis perficientibus. Ast praetereundum non ducimus quod ex Concil. Mexicano ann. 1589 laudatus Benedictus XIV *de Synodo* ita docet (4). « Scachis aut aliis ludis » permissis ne ludant clerici in locis publicis, aut in » domibus, quo ad id multitudo hominum convenit; si » autem in occulto ludos licitos hujusmodi exercue- » rint, numerosa pecunia in eis non intercedat (a).

Ast quoniam non modo a crimine, sed a criminis suspicione immunes esse debent, de habitatione clericorum sit.

(a) Tabernarum nomine communiter intelligitur omnis locus in quo publice et cuicumque advertenti vinum aliique liquores venduntur, sive in ipsa domo, sive in hortis contiguis.

(b) Multi DD. peccati mortalis arguunt Episcopos, si vel semel ludunt, alii religiosos, pro majore dignitate, vel perfectione eorum. Verum ex circumstantiis temporum et locorum videtur dijudicandum.

(1) *Loc. cit.* (2) *Cap. Clerici* 15 *de vit. et honest.*

(3) *In summa verb. Cleric. et* 2 2 *c.* 138 *a* 3.

(4) *Lib. XI cap.* 10.

CONCLUSIO QUARTA

Habitatio et consuetudo, quae interdicta sit clericis, declaratur.

Quae Clericorum habitationem materialiter sumptam spectant, ex Trident. Con. colligi par erit, (1) ut facile et, quae dedecent eos, colligantur. Illud equidem praecipit « ut Episcopi modesta suppellectili...... » contenti sint, verum etiam in tota domo caveant, » ne quid appareat quod a Sancto hoc instituto alie» num sit, quodque non simplicitatem, Dei zelum » ac vanitatum contemptum praeseferat ». Quod revera jam dixerat de Episcopis Concil. Carth. (2) ann. 397. « Episcopus vilem suppellectilem, et mensam, ac » victum pauperem habeat, et dignitatis suae aucto» ritatem fide, et vitae meritis quaerat. » Hoc quod de Episcopis dicit, eo vel magis de inferioribus aliis clericis intelligendum per se patet. Etsi tamen omnis luxus secularis sit vitandus a clericis, aliunde non minus ab Ecclesiae mente alienum est quidquid sordidi et abjecti sit. *Honestati et necessitati*, dixerat jam Ambrosius (3) *nihil desit: nihil accedat nitoris.*

Formaliter autem Clericorum habitatio spectat eorum consuetudinem et convictum. De ea extat titulus Decretalium (4), Concilium vero citatum (5) ad rem edixit, ut nec Episcopi, nec Praesbyteri, nec ulli alii Clerici *soli habeant accessum ad virgines, vel viduas, nisi aut Clerici praesentes sint, aut graves aliqui Christiani.* Alibi vero generatim dicitur (6): *Clericus solus ad foeminae tabernaculum non acce-*

(1) *Sess. XXV c.* 1 *de reform.* (2) *Dist. XLI c.* 7.
(3) *Officior. lib.* 1. (4) *II lib. III.* (5) *Can.* 25.
(6) *Cap. Clericus* 20 *dist.* 81.

dat. Et Nicaeni PP. subintroductas pietatis studio apud se habere Episcopos caeterosque clericos prohibuerunt, eisque tantum indulserunt, ut matrem vel sororem, vel amitas haberent, vel eas solas personas, quae suspicionem effugiant (1) (a).

Suspectae autem censentur juvenes, cultae, procaces, malae famae, non autem illae, quas PP. Nicaeni indulserunt, quia ut loquitur Innocentius III, naturale foedus in iis nihil permittit saevi criminis suspicari, nisi et aliunde reddantur suspectae (b).

Nihil tamen utilius quam regulas legere, quas Benedictus XIV in institutionibus exponit LXXXII, et LXXXIII, editis velut Archiep. Bononiensis, quasque laudat in tractatu de Synodo, (2) ubi quantum ad ancillas quae mandat, heic tantum juvat exscribere nimirum: « Primum constet opera famulae ipsum » necessario indigere. Opus est etiam ut Parochus vir» tutis fama, ac praesertim erga famulas, opinione » palam commendetur. Honestae pariter esse debent

(a) Verum subintroductae quae memorantur, agapetae, et sorores dictae, neque uxores erant, neque concubinae; sed veluti tertii generis mulieres, quas pietatis causa clerici fovere dicebantur. Ipsae ex virginibus, et viduis plerumque adscitae. Cum vero agapetarum consuetudo in turpe consortinm degenerasset, Nicaeni PP. (cit. loc.) clericis earum consortio interdixerunt. Verum his non obstantibus sanctionibus, mores in pejus collapsi Concilium Moguntinum an. 813 etiam matrem, amitam, sororem secum habere clericos prohibuit. Hodie mores vicere leges dummodo periculum nullum adsit suspicionis vel peccati.

(b) Pro suspectis item per se nec habentur illarum mulierum famulae, nec aliae provectioris aetatis 40 annorum, honestae famae, et extra periculum incontinentiae. Vide Trident. (*) de mulieribus autem affinibus advertit Pirrhing, quod nihil prorsus agitur in his concessionibus.

(1) *Can*. 3. (2) *Lib. XI c*. 4.

(*) *Sess. XXV. c*. 14.

» et communi opinione probatae mulieres: ipsa quo-
» que aetas cognita sit, ita ut Parochi, qui consangui-
» neis carent, famulae quadraginta saltem annos jam
» absolverint; pro illa aetate cognoscenda testimo-
» nium obsignatum baptismi proferatur (a) ».

Graves poenas inde canones in eos decernunt clericos, qui vel apud se concubinas habent, vel mulieres suspectas domi retinent. Tridentinum (1) jubet clericos moneri speciali monitione, non generali, aut in Synodo facta. Si ita moniti non abstineant, ipso facto privati sint tertia parte fructuum, proventuum etc. fabricae Ecclesiae aut alteri pio loco arbitrio Episcopi applicandorum. Si dein adhuc perseverent, perdunt omnes fructus pari modo applicandos; atque insuper a beneficii sui administratione, quamdiu Episcopo videbitur, suspensi esse debent. Si pergunt, jubentur privari beneficiis quibuscumque in perpetuum, atque insuper ad ea, et dignitates quascumque inhabiles reddi, donec post manifestam vitae emendationem eorum Superioribus cum illis ex juxta causa dispensandum videatur. Si etiam sic puniti a scandalosis hujusmodi commerciis non destiterint, praeter haec excommunicentur. Praeterea addit idem Trid. « Clerici vero beneficia ec-
» clesiastica aut pensiones non habentes juxta deli-
» cti, et contumaciae perseverentiam, et qualitatem,

(a) Omnes conditiones expressas non eodem modo urget S. Pontifex, et praesertim aetatem si praeter famulam alia etiam mulier consanguinea versetur, aut domus curam gerat, aut si famula cum viro suo in domo commoretur. Verum dum indulgendo haec concedit, ipse in tractatu de Synodo approbat ab Episcopo fieri statutum quo omnem cum mulieribus quibuscumque, etiam compertis, cohabitationem clericis interdicat, nisi prius ipse earumdem qualitatibus examinatis, illas prava suspicione vacare compererit.

(1) *Sess. XXI c. 6 et cit. sess. XXV c. 14.*

» ab ipso Episcopo carceris poena, suspensione ab » ordine, ac inhabilitate ad beneficia obtinenda, » aliisve modis juxta sacros canones puniantur. Epi- » scopi quoque (quod absit) si ab hujusmodi crimi- » ne non se abstinuerint, et a Synodo Provinciali ad- » moniti se non emendaverint, ipso facto sunt su- » spensi et si perseveraverint etiam ad SS. Rom. Pon- » tificem ab eadem Synodo referatur, qui pro qua- » litate culpae, etiam per privationem, si opus erit » eos animadvertat ».

Tandem quamvis veteri jure statutae sint poenae clericis extra domum male conversantibus cum foeminis suspectis, aut simplicem fornicationem committentibus, si delicta hujusmodi sint publica et notoria vi consuetudinis in arbitrio Episcopi sunt positae pro qualitate et circumstantiis delictorum, et consuetudine Dioecesum. Ita DD. communiter, et probatur tum ex ipso jure (1) tum ex ratione nimirum, quod cum jura variant in poena, oportet ea arbitrio judicis relinquere.

Verum spectato jure recentiori ejusdem Trid. probabilius videtur illos puniendos sicut concubinarios qui sunt notorie tales, et beneficium obtinent.

Illud equidem sic se habet « prohibet S. Synodus quibuscumque clericis ne concubinas, aut » alias mulieres, de quibus possit haberi suspicio in » domo vel extra detinere, aut cum iis ullam con- » suetudinem habere audeant; alioquin poenis a sa- » cris Canonibus impositis, puniantur: »

(1) *Cit. sess. XXV c. 14 de reform.*

CONCLUSIO QUINTA

Habitus clericalis qualis sit, enucleatur.

In externo corporis cultu necessarium decus exprimere clericos oportet. Hinc habitus clericalis in duobus juxta juris interpetres consistit, in corona competenti, et veste talari debiti coloris. Verum etsi seculo VI coeperint clerici tonsura et habitus forma a laicis distingui, semper tamen modestiam propriam statui expresserunt. Tunica quae ad talos usque pertingebat, et toga Romana neglecta (1), breviorem habitum a Longobardis in Italiam illatum seculo sexto laici arripuerunt; at clerici retento oblongiore Romanorum proprio, etiam forma ab illis distingui coeperunt. Hinc apud Gregorium M. (2) habitus ecclesiasticus occurrit. Nulla interim lege adacti clerici ad pullum seu nigrum colorem, alii candido, castaneo, aut violaceo, alii nigro vel alio modesto colore usi sunt. Recentioribus tamen seculis color niger vestium talarium passim praecipitur in multis Conciliis, nimirum Mediolanensi I., Rehemense, Mechliniense etc. et Provinciali I Neapolitano quod jubet, deferre *vestem superiorem ac interiorem talarem, ac nigri coloris, quemadmodum et pallium quod vulgo Ferrajolum vocant, ut clericali convenit honestati . . . . . Dum autem pedibus iter faciunt, vestibus uti poterunt contractioribus, ex quibus tamen clericus facile dignoscatur.* Qui color niger, praesertim cum vestis purpurea peculiaris Cardinalium, et violacea vero

---

(1) *Vide Thomass. lib. III. discipl. Eccles.*
(2) *Lib. VI. epist. 2. et alibi.*

Episcoporum facta sit, ceteris ecclesiasticis praescriptus fuit (a).

Atqui de habitu clericali decreta concilii Trid. (1) attendenda manent « Quia vero, etsi habitus non » faciat monachum, oportet tamen clericos vestes » proprio congruentes ordini semper deferre, ut per » decentiam habitus extrinseci morum honestatem » ostendant; tanta autem quorumdam inolevit te» meritas religionisque contemptus, ut propriam di» gnitatem et honorem parvi pendentes, vestes etiam » deferant publice laicales, pedes in diversis ponen» tes, unum in divinis, alterum in carnalibus; » propterea omnes ecclesiasticae personae, quae aut » in sacris fuerint, aut officia, aut beneficia obtinue» rint, si postquam ab Episcopo monitae, etiam per » edictum publicum, fuerint, honestum habitum cle» ricalem illorum ordini congruentem, et juxta ipsius » Episcopi ordinationem et mandatum non detule» rint, per suspensionem ab ordinibus, et officio, » ac beneficio, nec non si semel correptae, denuo in » hoc deliquerint, etiam per privationem beneficio» rum et officiorum coerceri debent, secundum const. » Clementis V. *Quoniam* etc. » (b).

(a) De clericorum collaribus disserit Sarnelli epist. eccles.

(b) Quae sic se habet (*). Quoniam qui abjectis vestibus proprio congruentibus ordini, alias assumere, et in publico portare, rationabili causa cessante praesumit, illius ordinis praerogativa se reddit indignum,. praesenti constitutione sancimus quod quicumque clericus virgata, vel partita veste publice utatur, nisi causa rationabilis subsit, si beneficiatus existat, per sex menses a perceptione fructuum sit ipso facto suspensus . . .

(1) *Sess. XVI. c.* 6.

(*) *Clement. Quoniam* 2 *de vita et honest.*

Ex his colligunt DD. 1.° ab Episcopo esse determinandum in quo consistat illud clericale indumentum. 2.° Occurrere aliquas circumstantias quibus rigor horum canonum moderatur puta, iter facientibus clericis etc. 3.° Vestem clericalem stricte intelligi, quae publice prodit (a).

Quantum ad coronam quam cum tonsura confundunt DD. per idem fere tempus coepit adhiberi, non enim secus ac reliquos Christianos, nisi modesto capillitio usos clericos primis etiam Ecclesiae temporibus constat, revera tamen lapsu temporis abiit in tonsuram quae detonso, et inde etiam raso superius capite, inferius circulum relinquit. Hinc novacula quae verticem capitis denudat omnino, seculo ferme VIII accessit. Ex quo clerici caput aequaliter rasisse videtur, donec tandem inductum, ut cuique ordini tonsura responderet (1).

Ex universo jure canonico patet clericos teneri deferre habitum, et tonsuram clericalem. Extat inter alia decretum Sixti V. (2) quo omnes clerici, qui beneficia aut pensiones habent, non modo tonsuram sed etiam longas vestes gestare jubentur, ita ut illis priventur qui huic legi non obtemperant. Verum ipse Pontifex constitutione *Pastoralis* (3) solvit ab hac poena eos quorum pensiones, fructus etc., aureos si-

(a) Quod usu receptum aliquibus in locis reperitur, ut talares vestes clerici gestent sive missam celebrent aut alia divina officia, vel in obeundis ecclesiasticis muneribus, absolutum manet ex citato Tridentino quod tribuit Episcopis facultatem definiendi formam vestis clericalis.

(1) *Cap* 15 *ex de vita et honestat. cleric.*

(2) *Const. Cum Sacrosancta ann.* 1588.

(3) *Edita eodem anno* 1588.

ve ducatos de camera 60 non excederent. Ex Tridentini vero decreto superius exscripto clerici possunt suspendi, habitum et tonsuram non deferentes. Quod quidem (1) et fori privilegio privat clericos qui Ecclesiis non deserviunt, nec habitum et tonsuram clericalem deferunt. Hoc idem confirmatum reperitur ex pactis conventis inter Bened. XIV. et Carolum III (2). Placuit sane ibi obligare clericos primae tonsurae et minorum ordinum, ut quotannis apud Episcopos probarent se habitum et tonsuram clericalem detulisse, et vitam clericalem duxisse, aliter eorum nomina ab albo clericorum, expungerentur, nec privilegiis clericalibus gauderent.

Concordato ultimo ann. 1818 (3) ad usum revocatur eadem disciplina concordati Benedictini. Et hoc quantum par est de clericorum obligationibus; quibus cum jura necessario respondeant, horum aliqua nobis sequenti capite de privilegiis disserentibus patebunt, reliqua vero, cum de personis in specie dicemus.

CAPUT TERTIUM

DE PRIVILEGIIS SIVE IMMUNITATIBUS CLERICORUM.

Sicut unius corporis membra non eundem actum habent, ita et Reipublicae unius cives omnes, non omnia et eadem erga illam, officia exercent: hinc privilegiis et immunitatibus Respublica eos condecorat, ut sua munera exercere possint ea qua decet hone-

---

(1) *Sess. XXIII. de reform. c.* 6.
(2) *Cap. IV. n.* 8.
(3) *Art. XXI.*

state, et ab omnibus honore afficiantur. Maxime omnium ministerium sacrum et publicum cui tota Religio innititur, privilegiis eisdem ac immunitatibus gaudere necessarium cuique patet, cum et ipsi Ethnici id fecisse omni tempore liquet (a).

Mirum inde non erit quod pseudo-politici Religionem minus habentes, his immunitatibus privilegiisque omnino adversentur: sed miramur potius dum disciplinam priorum temporum provocare deblaterant, et illam omni conatu sartam tectamque se facere arbitrentur, re vera immunitates ipsas ac privilegia omnibus semper sacra, destruunt insectanturque. Audiant ergo magis ac omnes alii evulgata Sanctae Synodi Tridentinae decreta ad revocandam omni ope atque opera disciplinam illam (1) « Cupiens » S. Synodus ecclesiasticam disciplinam in christiano » populo non solum restitui, sed etiam perpetuo sar- » tam tectam a quibuscumque impedimentis conser- » vari, praeter ea, quae de ecclesiasticis personis » constituit, seculares quoque principes officii sui » admonendos esse censuit, confidens, eos ut catho- » licos, quos Deus sanctae fidei ecclesiaeque prote- » ctores esse voluit, jus suum ecclesiae restitui, non » tantum esse concessuros, sed etiam subditos suos » omnes ad debitam erga clerum, parochos, et su- » periores ordines reverentiam revocaturos, nec per-

(a) Neminem latet vitae sanctitate conciliandam a clericis populorum existimationem; cum tamen nec primis Ecclesiae temporibus inter plurimos bonos non defecerint mali; privilegiis et immunitatibus necesse fuit observantiores reddere omnes clericos, ut pro qualitate status potius, quam meritis personae honore afficerentur.

(1) *Sess. XXV c.* 20 *de reform.*

» missuros, ut officiales aut inferiores magistratus,
» ecclesiae aut personarum ecclesiasticarum immuni-
» tatem, Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus
» constitutam, aliquo cupiditatis studio seu inconsi-
» deratione aliqua violent; sed una cum ipsis princi-
» pibus debitam sacris summorum Pontificum et con-
» ciliorum constitutionibus observantiam praestent.
» Decernit itaque et praecipit, sacros canones, et
» concilia generalia omnia, nec non alias apostoli-
» cas sanctiones in favore ecclesiasticarum perso-
» narum, libertatis ecclesiasticae, et contra ejus vio-
» latores editas, quae omnia praesenti etiam decre-
» to innovat, exacte ab omnibus observari debere.
» Propterea que admonet imperatorem, reges, respu-
» blicas, principes, et omnes et singulos cujuscum-
» que status et dignitatis extiterint, ut quo largius
» bonis temporalibus, atque in alios potestate sunt
» ornati, eo sanctius, quae ecclesiastici juris sunt,
» tanquam Dei praecipua, ejusque patrocinio tecta,
» venerentur: nec ab ullis baronibus, domicellis,
» rectoribus, aliisque dominis temporalibus, seu ma-
» gistratibus, maximeque ministris ipsorum princi-
» pum laedi patiantur: sed severe in eos, qui illius
» libertatem, immunitatem atque jurisdictionem im-
» pediunt, animadvertat: quibus etiam ipsimet e-
» xemplo ad pietatem, religionem ecclesiarumque pro-
» tectionem existant, imitantes anteriores omnes, re-
» ligiosissimosque principes, qui re ecclesiae sua in
» primis auctoritate, et munificentia auxerunt, ne-
» dum ab aliorum injuria vindicarunt. Adeoque ea
» in re quisque officium suum sedulo praestet: quo
» cultus divinus devote exerceri et praelati ceteri-
» que clerici in residentiis et officii suis quiete et
» sine impedimentis cum fructu et aedificatione po-

» puli permanere valeant ». Ex hoc Tridentini decreto patet 1.° quod *ipsa lex de immunitate personali* antiquitus jam constituta confirmatur a Synodo, et ejus exacta observatio commendatur principibus omnibus et singulis eos *admonendo*, *decernendo et praecipiendo esse officii sui* ut sacri canones in favorem ecclesiasticarum personarum et libertatis ecclesiasticae et contra violatores ejus editi observentur. 2.° Legis ejusdem origo indicatur *Dei ordinatione et canonicis scilicet sanctionibus:* memorantur etiam exempla auctoritas et munificentia principum quorum nempe leges non *dedignantur sacros canones imitari.* 3.° Significatur ratio et fundamentum legis nimirum, quia personae clericorum *ecclesiastici juris* sunt, quippe non minus Deo sacrae et dicatae, quam res aliae dicatae divino cultui: insuper reverentia clericis debita, et pro fructu et populi aedificatione necessaria. itemque functiones sacrae, a quibus per secularia negotia impediri non debent, hanc immunitatem postulant. Hinc pro immunitatibus recte canonicae sanctiones sunt et civiles leges; ut sicut plena sunt hujus argumenti monumenta antiquitatis, plenae collectiones Conciliorum omnium temporum, bullaria PP., bibliothecae, sanctorum Canonum collectiones, ac compilationes SS. Patrum, ita plena juris civilis corpora, capitularia regum, codices legum secularium. Ad rem sufficit legere Thomass. (1), ipsumque S. Greg. M. (2) et Innocent. III. (3) qui provocat proinde ad constitutiones principum catholicorum. Adhaec in memoriam revocare interest consitutionem inter alias Fri-

(1) *P. II L. III c. 1 et seq.*
(2) *C.* 38 *XI. q. 1.*
(2) *C. 3 de judicio.*

derici II imperatoris (1) atque jus quoque hujus regni, communi conforme, etsi pro statu immunitatum earumdem varium fuit pro variis Dinastis. Hoc vero jus effulsit etiam cum ad resecandas contentiones sub Aragonensibus in eodem argumento exortas aliqua fuerunt lata statuta; sicut sub regimine Proregum: deinde pactis conventis inter Benedictum XIV et Carolum III multa disposita pro ipsis immunitatibus reperiuntur. Similiter et pientissimus Rex Ferdinandus I post militarem occupationem hujus regni, cum immunitates omnino negligerentur, novo concordato et ultimo cum Pio VII multa disposuit, quae mox cum de immunitatibus in specie disseremus, enucleabimus. Quoniam vero, uti mox dictum fuit, ex S. Synodi verbis allatis colligitur *immunitates Dei ordinatione constitutas et canonicis sanctionibus et legibus religiosissimorum principum, quae non dedignantur sacros canones imitari*; de origine immunitatum primum paulo latius disserere juvat. Dein de immunitatibus ipsis in specie dicemus.

CONCLUSIO PRIMA

Varii DD. sensus de origine immunitatum sacrarum exponuntur.

Magni momenti quaestio sursum deorsum a jurisconsultis atque Theologis versata est, num scilicet jure divino clerici immunes sint, cui verba super allata S. Synodi causam dederunt. *Ecclesiae et personarum ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatio-*

---

(1) *Cujus partes in Auth.* cassa *ad* l. 12 *C. de sacr. Eccl. et in auth. item nulla ad* l. 2 *Clericus etc.*

ne, et canonicis sanctionibus constitutum. Quibus consonant illa Lateranensis sub Leone X (1). *Et cum a jure tam divino quam humano laicis potestas nulla in ecclesiasticas personas attibuta sit, innovamus omnes et singulas constitutiones fel. record. Bonifacii VIII. etiam praedecessoris nostri, quae incipit: Felicis etc. et Clementis V, quae incipit: Si quis suadente etc., nec non quascumque apostolicas alias sanctiones in favorem libertatis ecclesiasticae et contra violatores quomodolibet editas*. Item et multi alii canones qui eundem efferunt sensum et praesertim ille (2): *Cum igitur ecclesiae ecclesiasticaeque personae ac res ipsarum, non solum jure humano, quin imo et divino a saecularibus exactionibus sint immunes*.

Alciat. Mol. Oliva et alii apud Peregrinum, (3) quos ex Theologis sequitur Medina, censuerunt mediate tantum a jure divino immunitatem discedere originaliter et initiative, quatenus nempe Christus dedit mandatum Ecclesiae: et hoc sensu allata verba Synodorum et canonum exponunt: praecipue quod Clerici in sacris constituti a summo Pontifice saepe judici traduntur seculari, ut eosdem puniat (4). Hoc non posset, ajunt, si juris divini esset illorum immunitas; cum illud non possit immutare Summus Pontifex, etsi interpetrari ac declarare. Praeterea cum Covarruvio (5) argumentatur ex can. *Si imp*. (6) illud Trid. *Dei ordinatione* pro jure Canonico intelligi debere: citato equidem canone, Joann. Pontifex ait: *Clerici ex*

(1) *Sess*. 9.
(2) *C*. 4 *de censibus in* 6.
(3) *In cap*. 2. de immunit. Eccles. *in princip*.
(4) *Cap*. in audientia *cap*. Contingit, de sentent. excomm.
(5) *Diss*. 99.
(6) 3 *quaest*. 31.

divina institutione a Summo Pontifice sunt judicandi; quibus verbis jus divinum usurpatur pro jure Canonico.

Ex opposito qui tenent immediate a Deo immunitatem sacram originem ducere, respondent, neminem catholicorum cogitare unquam posse a Conciliis generalibus, et a jure Ecclesiastico communi ac publico illud adscribi divino juri, quod ex solo humano, ac principum gratia oritur; equidem secundum regulam communem proprie verba Conciliorum accipi debent, nisi necessitas cogat ut improprie dicta habeantur. Quis ergo, subdunt, cogitare poterit a pluribus Conciliis oecumenicis, et a jure sacro publico et communi divino juri adscriptam immunitatem, quae ex solo jure humano, principumque favore ortum habet? Et eo vel magis quod Tridentina Synodus dicens *Dei ordinatione, et canonicis sanctionibus constitutum*, jus divinum ab ecclesiastico discerpens, per unum, aliud non vult nec potest significare, ut primi sensus DD. explicant. Addunt etiam quod personae et res Ecclesiasticae, Deo dicatae dicuntur illis verbis Synodi *Quae Dei sunt*, adeoque hoc ipso, jure divino tamquam *res Dei* exemptae habeantur oportet a jurisdictione laicali.

Azor. Fagn. Barb. Layman Engel. et plurimi alii ac praesertim P. Friderich. (1) argumenta pro hac affirmativa sententià etiam scripturis sacris colligunt: (2) suggerente sane Josepho scimus Pharaonem immunes fecisse terras sacerdotum (a).

(a) Haec sunt verba: *Praeter terram sacerdotum, quae a rege tradita fuerat eis . . . . et ex eo tempore usque ad praesentem diem in universa terra Ægypti, Regibus quinta pars solvitur, et factum est quasi in legem, absque terra Sacerdotis, quae libera ab hac conditione fuit.*

(1) *Tr. de form. comp. n.* 229. (2) *Gen. c* 47.

Praetera legimus (1) Regem custodibus scripsisse terrarum, ut vectical et tributum non imponatur Sacerdotibus Levitis etc. (a). « Imo ipse Christus (2) cum Petro accesserunt qui didrachma accipiebant . . . et » dixerunt : Magister vester non solvit didrachma » . . . . . . ait. « Quid tibi videtur Simon? Reges terrae a quibus accipiunt tributum, vel censum? a filiis suis an ab alienis? Et ille dixit ab » alienis. Dixit illi Jesus. Ergo liberi sunt filii; ut » autem non scandalizemus eos vade ad mare, et mitte » hamum, et eum piscem qui primus ascenderit, tolle, » et aperto ore ejus invenies staterem, illum sume, da » eis pro me et te (b). »

Ex his DD. colligunt, ac praesertim Thomassinus (3) quod Christus tributum solvit, et a se exigi non potuisse simul contestatus est. Qui quidem DD. ejusdem clarissimi et sapientissimi Thomassini argumento maxime utuntur, quodque ex verbis S. Ambrosii (4) evincitur: *Agri ecclesiae solvunt tributum . . . . . Tollunt eos si libitum est . . . . . . non dono, sed non nego:* ait enim citatus Doctor

---

(a) *Vobis*, ait, *quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, et Levitis, et Cantoribus, Janitoribus, et Nathinaeis, et Ministris domus Dei huius, ut vectigal, et tributum et annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.*

(b) In Bulla Joann. p. XXII apud Raynald. ad ann. 1327 reperitur opinio damnata Marsilii Patavini et Joannis Janduno quae erat hujusmodi: « illud quod de Christo legitur in Evange- » lio beati Matthaei quod ipse solvit tributum Caesari quando sta- » terem sumptum ex ore piscis, illis qui petebant didrachma jus- » sit dari hoc fecit non condiscensive, et liberaliter, sed neces- » sitate coactus ».

(1) *Esdrae c.* 7. (2) *Matt. c.* 17. (3) *C.* 27 *VXI. q.* 1.
(4) *De vet. et nov. Disc. part. III. L.* 1 *c.* 33.

» Non nesciebat Ambrosius altiori ab origine de- » scendere, et inconcussis niti fundamentis immu- » nitatem ecclesiae ab omnibus prorsus exactionibus, » et muneribus, ut quae in unam cum Christo per- » sonam coaluerit, in ejusdemque filiationis, liberta- » tis, immunitatis societatem adscita sit. Ita enim » et Christus tributum solvit, et a se exigi illud non » potuisse contestatus est. Ita censet omnino Ambro- » sius, Ecclesiam Christi vestigia lambentem, tribu- » tum, quod exprimitur, solvere, et de sua tibi ta- » men intus plaudere immunitate, ex pontificatus, et » totius sacerdotalis ministerii praerogativa ». *Non solvunt* ait (1) *tributum quibus portio Dei est. Ego nihil debeo Caesari, quia nihil hujus mundi habeo. Nihil debuit Petrus, nihil Apostoli mei; quia non sunt de hoc mundo.* Ita ille negat deberi a Christo, a Christi ministris *tributum:* a quibus solutum esse, solutum iri non negat, vitandi offendiculi causa. *Et tamen et ipsum perfectus, idest praedicator Evangelii jam non debebat, qui plus praedicabat. Non debebat filius Dei, non debebat et Petrus in adoptionem adscitus a Patre per gratiam; sed ne scandalizentur*, inquit *vade ad mare.* Ita ergo persuasum erat » Ambrosio, a Christo, ab Ecclesia, a clero tribu- » tum non deberi, sed tamen solvi; sed tanto no- » bilius solvi quod non debebatur ».

Demum adversariorum argumento ex natura pecuniae petito, ac possessionum Ecclesiae, quas nulla consecratione, adjuncta benedictione nulla, sibi habet Ecclesia, ac proinde bonorum temporalium naturam retinentes a jurisdictione dicunt civili liberas esse non

(1) *Epist.* 1.

debent, respondent; etsi intrinsecam non exuerint naturam ea bona, at postquam Deo et religioni oblata sunt, induerunt velut moralem qualitatem, hanc proprietatem, ut censeantur scilicet res Dei et patrimonium Christi; et ob id ea violari sine sacrilegio non posse, constans et uniformis omnium hominum aetatum ac temporum sententia fuit. Nonne, ajunt, dixit Tridentinum, uti antea notatum fuit, *res Dei* bona ecclesiarum? *Reddite* ergo, recte cum Christo concludi debet, *Deo quae Dei sunt.*

Hoc argumentum confirmant: Christus asseruit, et contra Phariseos tamquam res explorata sumpsit, a templo *sanctificari* aurum, quod in templo est; et ab altari sanctificari donum, quod est supra illud (1). Ergo ne hoc frustra dixerit Christus, nos dicimus recte profana bona, ab ecclesiasticis differre, ac jure divino sicut clericos immunes esse a civili potestate.

Sunt denique et alii qui tenent immunitatem sacram a jure divino originem ducere, sed in *thesi*, ut ajunt, in genere, seu secundum rationem genericam, et abstrhaendo a casibus et circumstantiis secularibus, vel ab hypotesi particulari, et applicatione ad materiam, causas, circumstantias specificas, et individuales; ita ut in *hypotesi* declarare spectet ad Ecclesiam an hic et nunc, atque in his particularibus casibus illud generale privilegium a Deo et a Christo immediate concessum habeat, nec ne. Confirmant hoc exemplo. Obligationem residendi personaliter in beneficiis curatis plerique ex adversariis fatentur esse juris divini; licet penes ecclesiam sit hoc jus quoad casus particulares declarare, determinare

---

(1) *Matt. XXIII* 17 18.

limitare ex. gr. dandam ex justa caussa licentiam non residendi, et curam exercendi per alium idoneum. Ita esse juris naturalis et divini dicitur in thesi colere Deum, licet modum specialem colendi Deum, et circumstantias determinare sit juris ecclesiastici et positivi humani. Qui ita sentiunt ab illis facile non distinguuntur qui juris humani censent esse immunitatem.

Nihil autem ducendos duximus sensus illorum qui inter ea quae juris divini, et quae humani sunt, tertiam sententiam statuentes dicunt jure divino, et sanctionibus ecclesiae, atque legibus civilibus fundari immunitates.

Sententiis diversis expositis, quid tenendum quisque colliget facilius cum in specie de ipsis immunitatibus sequentibus conclusionibus disputabimus (a).

CONCLUSIO SECUNDA

Species immunitatum distinguuntur.

Immunitas (b) generatim exemptio a muneribus

(a) Hinc DD. solent heic disserere etiam de privilegiis honoris quibus clerici praeunt collegiis et corporibus moralibus laicorum; et nobiliorem locum occupante in templo; imo ipsis permissum est solum inter altaris cancellos stare ad ministrandum et psallendum (*). Solique sunt qui sacras vestes induunt etc.

(b) Immunitas a verbo *munus* quod generatim tria significat: Donum, officium cum onere, et onus sine honore; proprie vero munus est quod necessario obimus lege, more, vel imperio alicujus qui jubendi potestatem habet. Qui ergo a tali onere aut obligatione liber sive exceptus est, dicitur immunis et immunitate gaudere.

(*) *Cap. ut Laici* 1 *de vita et honest. et can.* 3, *de consecratione dist.* 2.

et oneribus est (1). Accipitur tamen late pro quolibet favore, indulgentia, rigoris remissione et privilegio, ut Lancellottus advertit. Definitur jus quo Ecclesiae, res, vel personae ecclesiasticae ab oneribus, vel etiam officiis secularibus liberae et exemptae sunt; quae et libertas vocari solet et exemptio ecclestastica, favore religionis seu cultus divini.

Ex quo colliges immunitatem 1.° esse favorabilem ac latae interpretationis (2); *summam enim*, ait, lex *esse rationem quae pro religione facit.* 2.° Nec volentes ei renunciare posse (3); sane cum sit juris publici, voluntate privatorum derogari nequit (4). Privilegium praeterea est toti collegio ecclesiastico publice indultum (5) et ordinis vinculo ita cohaerens ut minime ab eo avelli possit. 3.° Triplicem distingui personalem nimirum, realem, et localem. De hac erit sermo cum de ecclesiis disseremus, de duabus aliis mox sequentibus conclusionibus.

CONCLUSIO TERTIA

Personalis immunitas declaratur atque perpenditur.

Personalis immunitas ecclesiasticas personas spectat, easque ab oneribus personalibus, quae corpore praecipue geruntur, eximit. Haec sacra sit oportet ipsis politicis, qui et mulieres et magistratus atque nobiles pro munere suo immunes volunt: praeterquam-

---

(1) *L.* 1. *ff. de jur. immunit.*
(2) *L.* 43 *ff. de religios. et sumpt. fun.*
(3) *Cap. Cap. diligenti de foro compet.*
(4) *L. Nem. ff. de legat.* (5) *Cit. cap. Si diligenti.*

quod recte ait clarissimus noster Selvagi (1) *Fidei lumine praeeunte, ac Episcoporum consilio et hortatu a primordiis libertatis Ecclesiae ipse Costantinus M. illam indulsit* (2), *eamdemque pro regno Neapolis nova constitutione Fridericus II. confirmavit* (3). Hanc immunitatem pro studiis in aliqua Universitate jam largitus fuerat Fridericus I. dictus *Barbarossa* a barba rubra ann. 1158 (4) (a).

Immunitas ista habetur potissimum sequentibus articulis 1.° a muneribus ac oneribus qua sordidis qua honorificis 2.° a vi et injuriis realibus privilegio canonis 3.° a Tribunalibus laicorum privilegio fori 4.° privilegio competentiae. De his singillatim.

CONCLUSIO QUARTA

Immunitas ab honorificis sordidisque muneribus enucleatur ac jure canonico vindicatur et civili.

Et quoad jus canonicum non est cur prolixius dicatur, postquam de obligationibus clericorum superius disseruimus: ex his enim congruentur quid hoc jure de argumento quod tractamus comparatum sit colligitur; satis superque erit ergo ei solum nectere hoc decretum. *Clerici officia secularia non exerceant* (5). Prohibetur inde Clericos esse vices geren-

---

(a) V. de Bergier art. *Immunités.*
(1) *Instit. Canon. l.* 1. *tit. VIII.*
(2) *Euseb. l. X. c.* 2. (3) *Const. Clerici l.* 1. *tit.* 72.
(4) *Authent.* Habita quidem *c. Ne filius pro Patre.*
(5) *Cap.* Pervenit 26 *dist.* 88 *et cap.* Clericis 1. de vita et honest. Clericor. *et cap.* Sacerdotis 3. de postulando *c. Sacerdotibus* 2. *et cap. Sed nec.* 4 *Ne Clerici vel Monach.*

tes, vicedominos, Cancellarios, locorum Praefectos, aut Praepositos, Judices, Administratores, vel quomodocumque alia ratione officiales (1). Et eo vel magis ne inserviant laicis in officiis vilibus domus, foeminisque nobilibus ancillentur, ac obsequia praestent (2). *Ne ministri* equidem ait textus *laicorum fiant*. Officium specialiter Tabellionis, seu Notarii publice agere interdicitur (3) nisi in foro ecclesiastico, et in causa inquisitionis contra haereticos: (4) item et Procuratoris et Advocati in seculari judicio seu foro, nisi pro seipsis, pro Ecclesia, aut miserabilibus personis necesse sit (5). Tutelam dativam et testamentariam clericis prohibuerunt Rota (6) et sacra Congregatio Episcoporum; (7) legitimam tamen subire possunt consaguineorum usque ad quartum gradum, ut plurimi DD. tenent (8). Subdunt tamen quod non debent administrationem suscipere, nisi accedente Superioris licentia, quae solet expediri a sacra Cong. Episc. et Regular. Ordinarie vero clericis concedi solet a propriis Episcopis.

Non possunt clerici constitui duces militum in bello justo; quod deducunt DD. ex eo quod a viris sanguinum distingui vix possunt (9). Licet possint justo bello interesse, ac milites ad pugnandum hortari (10). Officia item militaria ceu praefectura ma-

(1) *Cap. Clericus* 5. *Ne Clerici vel Monachi.*
(2) *C. Sacerdotibus* 2. *eod.* (3) *C. Sicut te* 8. *eod.*
(4) *C.* 2. *de haeret. in* 6. (5) *C.* 1. *de imm.*
(6) *Decret.* 116. *n.* 18. *pag.* 4. *tom.* 2.
(7) *In Salernit.* 24. *Jun.* 1619. *et in Thelesin.* 30 *Maji* 1526 *et alibi.* (8) *Ex c. Pervenit* 36 *dist.* 86.
(9) *Cap.* Sententiam 9. Ne clerici vel monachi.
(10) *C.* Hortatu 10 *et cap. Ut pridem* 17 *caus.* 23 *q.* 8 *et cap. Petitio tua* 24 *de homicid.*

chinarum bellicarum interdicitur eis (1). Quae quidem omnia multo districtius intelliguntur vetita religiosis.

Quoad vero jus civile a sordidis muneribus obeundis fecit immunes clericos Constantinus (2). Hoc confirmarunt Valentinianus et Theodosius (3). Sic et Honorius, qui non modo confirmavit leges praedecessorum, verum et ejusmodi immunitatem, antiquum privilegium dixit (4). Immunitas tamen haec superioribus seculis non semper eadem fuit, sed variam diversamque conditionem subiit, prout Impp. magis, minusve in ecclesias clericosque indulgentes fuerunt (a).

Ab honorificis ipsis muneribus (b) quae et muni-

(a) Per sordida munera jubebantur cives munire vias et pontes aut ad ea opera suppeditare calcem, currus, carbones, ligna, animalia, farinas, furnos, panes: itidem *angariae* erant sive praestationes *paraveredorum*, idest equorum. cursalium et plaustrorum, et vocari interdum consuevere, *cursus pubblicus*; *translatio et evectio*. Etsi apud feudistas angarii dicebantur qui certis anni diebus baronum sumtibus operas ipsis praestare adigebantur; qui vero suis sumtibus prestanbant illis operas parangarii dicebantur. Ast *angariae* in eo differre dicitur a *parangariis* quod illae praestantur, qua cursus est publicus; hae vero per vias, per quas cursus haud est *dispositus*. Erant et inter alias praestationes sumptus *Legatis* ac Adlectis, illis nimirum qui a principe causa reipublicae advocantur, cujusmodi erant susceptores qui rationes publicas scribebant. Sicut et illa praestatio *Capituli* et *Temonis* cujus nomine veniunt equi tirones ad militiam, vel quidquid vices illorum fungeretur, ut aurum tironicum, equorum (*) adhaeratio.

(b) Pecuniarum civitatis publicarum administratio, exactio annonarum, judicum praecepta exequi, susceptores suo peri-

(1) *C. 9 de imm. c. 3 XX.* (2) *L. 10 Cod. Theol. de Episc.*

(3) *D. 1 15 Cod. Theod. et extraord. muner. ubi haec munera recensentur enucleata.*

(4) *L. cit. X. et XIII. Cod. Theod.*

(*) *Lege Gothofred. in lib. X. et XV. Theod.*

cipalia et curialia et honores dici consueverunt, eos liberavit ipse Constantinus, qui epist. ad Anulinum Africae Praefectum data ann. 313 decernit clericos ab *omnibus publicis functionibus* immunes conservari, *ne a cultu summae divinitati debito abstrahantur* (1) quibus verbis et rationem et basim aperuit immunitatis ipsius, quam deinde alia lege (2) confirmavit. Qui vero sequuti sunt Principes moderarunt alii Constantini constitutionem, alii duriorem reddiderunt, favorabilem alii plus minus clericis voluerunt.

Jure hujus regni 1.° Fridericus interdixit secularem jurisdictionem clericis, ne scilicet bajuli nec judices bajulorum esse possint (3). Idem statutum a Carolo II. Andegavensi fuit (4). Accessit pragmatica (5) qua provisum fuit ut neque in locis demanialibus, neque baronalibus Clerici ad jus dicendum seligan-

---

culo nominare, mansionum, pagorum, ac horreorum rerumpublicarum curam gerere, aliaque hujusmodi munera dicebantur honorifica. Vide Gothofredum (*). Sunt hujusmodi munera vel illa quae imponebantur personis subditis sine ullo respectu et ordine ad bona patrimonialia earundem (**) puta: Capitatio, quae et tributum capitis et census capitum vocatur, qui nempe pro quovis capite penditur; vel mixta et edicebantur personis in ordine ad res possessas, quae scilicet immediate personis, mediate rebus sive personis propter res indicebantur puta: Metatum sive onus quo quisque adigitur praebere jura hospitii aulae Imperatoris et stipatoribus, nec non magistratibus, ac militibus pro imperio proficiscentibus.

(1) *Extat epist. apud Euseb. lib. X. cap. VII.*
(2) *L. 1. Cod. Theod. de Episc. et cleric.*
(3) *Cons.* Clerici quoque.
(4) *In cap. Reg. tit. de non statuendis clericis, vel extr. ficial.* 6. (5) *Unica de eccl. person.*

(*) *Tit. 1 de decurionib. l. XII.*
(**) *Ex textu in l. munus ff. de verb. et rer. signif.*

tur, nec praeterea ad res publicas procurandas. 2.° Prohibebantur clerici officio Notariorum fungi, etiam si sola prima tonsura initiati essent. Ita Fridericus (1) 3.° causidici munus iisdem interdictum erat in foro seculari ab eodem Frid. (2) praeterquam in causis propriis suis, consanguineorum vel adfinium, item Ecclesiarum ac miserabilium personarum; ita ut tunc etiam sine pretio valeant postulare. Quod et binae pragmaticae confirmarunt (3). Tum ex regio generali rescripto (4) ipsis clericis simul ac religiosis in foro seculari procuratoris munus inhibetur (5).

Praeterea vetebantur clerici, ut advertit Gagliardus (6) jure hujus regni, tutelam, curam, depositum, administrationem aliudve simile munus suscipere, nisi prius idoneam laici fideiussoris cautionem praestabant, quam suo in foro Judex laicus ad calculos poterat compellere, et quidem dimissa persona clerici (a).

Quoad immunitatem metati, ut observat clarissimus noster Selvägi, Carolus II. Andegavensis regni Vicarius illam confirmavit pro domo, quam clerici habitant, non quam locant; et excepto casu obsidionis, vel alterius gravis necessitatis, aut ubi laici recipiendis militibus impares sint.

Jure novissimo rescripto scilicet 26 januar. anno 1816. a quocumque negotio sive officio cautum fuit

---

(a) Codex novissimus ab his silet, nec inter excusationes a cura et tutela clericatum numerat.

(1) *Lib. III. Inst. Can. tit. III.* §. 5.

(2) *In const. Instrumentorum robur titul. de fide et auctor. instrum.*

(3) *Const.* Advocatus *tit. de praestatione sacramenti ab advocatis.* (4) *XXI. de officio S. R. C. et II. de postulando.*

(5) *Ann.* 1759. (6) *Prag. IV. de postulando.*

amoveri clericos qui non obtenta canonica licentia in illis distenti essent. Alio vero rescripto 22 junii ejusdem anni, quae interdicta habentur ipsis, declaratum; fuit nimirum.

Gl' impieghi che non convengono agli ecclesiastici sono:
1.° Tutti gli officii militari; 2.° l'impieghi di Sindaco, Eletto, Sottointendente, Giudice, Commessario di Polizia; 3.° l'esercizio di Avvocheria eccetto che per le cause proprie, della propria chiesa, e delle persone povere che non hanno altri difensori; 4.° le funzioni di notajo; 5.° l' esercizio del traffico e della negoziazione; 6.° qualunque mestiero sordido di tavernaro, beccajo, panettiere ed altri.

Item alio rescripto 76 maji anno 1817. interdicitur eisdem exactio contributionum quae dicuntur *dirette*.

A militia etiam jure novissimo immunes sunt clerici sacris initiati ordinibus: de illis autem qui sunt in minoribus, articulus XXII decreti 19 martii ann. 1834 extat quem exscribimus.

Articolo XXVII del Real Decreto del 19 marzo 1834.

I giovani, che sono ordinati in minoribus, purchè abbiano il patrimonio sacro completamente costituito prima del sorteggio, ovvero godano un beneficio ecclesiastico, o una cappellania, che loro valga per patrimonio sacro, i seminaristi, e quei, che sono nel noviziato o nell' alunnato di qualunque ordine monastico, sono tutti esenti sino all' età di anni ventuno ed un giorno: ma debbono sempre entrar nel bussolo. Oltrepassata tale età se non sieno stati ordinati al suddiaconato que' chierici e que' seminaristi, o non abbiano fatta la professione monastica que' novizi o alunni, saranno obbligati a marciare per l' ultima leva anteriore all' anno 21.°, quando vi siano stati chiamati dal sorteggio.

I minoristi, i seminaristi, e gli alunni o novizi di qualunque ordine monastico, godranno ancora, per ascendere agli ordini sacri o per fare la professione monastica, della ulteriore dilazione di sei mesi, a contare dal giorno dell' effettiva chiamata, che loro ricada in forza del proprio numero del sorteggio: nel qual periodo potranno costituirsi il sacro patrimonio, ovvero ottenere un beneficio o una cappellania, come sopra.

I seminaristi e gli alunni o novizi debbono trovarsi entrati nel seminario, nel monastero o in altra casa religiosa conventuale, almeno sei mesi prima della data dei Reali Ordini per la leva. Ma se quantunque vi fossero entrati sei mesi prima, ne sortissero nell'intervallo del semestre successivo al sorteggio; lasciando l' abito ecclesiastico, o religioso, essi saranno di dritto obbligati a marciare, come primi numeri; ammenochè non si trovassero di aver già il loro sacro patrimonio, o la cappellania, o il beneficio, come sopra, od ottenuti gli ordini minori.

Il minorista non potrà essere ordinato al suddiaconato senza presentare alla competente Autorità ecclesiastica un certificato del Sindaco, degli Eletti, e del Cancelliere Comunale, col quale si attesti di non averne egli impedimento per cagion di leva.

Lo stesso deve aver luogo per un novizio o alunno di un ordine monastico, che volesse far la professione religiosa.

Il fratello unico di un sacerdote, o di un laico professo, dev' essere riputato come unico.

Il fratello unico di un minorista, di un seminarista, di un alunno o novizio monastico, ne'quali si verifichino le condizioni di sopra espresse, sarà considerato come unico sino agli anni ventuno ed un giorno del suo fratello, godendo pur egli della stessa ulteriore dilazione di mesi sei.

CONCLUSIO QUINTA

Observanda de immunitate reali exponuntur.

Ne de immunitate reali temere tractemus, bona ecclesiastica distinguere opus est; dein onera quae illis imponuntur, et titulum quo exigi possunt.

Et revera bona temporalia sacra esse incipiunt postquam Deo ac religioni oblata sunt; sacrarum enim proprietatem induerunt, et velut moralem qualitatem, ut censeantur res Dei, et patrimonium Christi qui ait: *reddite quae sunt Dei Deo*, hinc recte Trid. *res Dei*, bona ecclesiastica dicit. Sunt autem haec alia quae sacra dicuntur vel benedicta et specialiter ad cultum divinum destinata; uti templum,

vestes, vasa sacra etc. alia destinata sunt ad ecclesiarum, monasteriorum, piarum causarum cultum divinum exercendum, ministros sustendandos, alendos pauperes, et strictius ecclesiastica dicuntur (a): alia demum clericalia, nimirum quae in manibus sunt clericorum, eaque titulo sacro vel profano acquisita intelliguntur.

Onera vero praestationum alia sunt personalia, et personis sine respectu ad eorum bonum imponuntur; puta: capitatio etc. alia sunt realia, et sine respectu personae, ipsis fundis aut bonis incumbunt; mixta demum sunt quae personis imponuntur cum respectu quodam ad bona eorum, pro modo scilicet redituum et facultatum (b).

Titulus demum exigendi praestationes distinguitur prout profluit aut ex jure et dominio particulari, videlicet ex feudo, emphiteusi Ecclesiae data; aut ex pacto vel reservatione praestationis facta, cum bo-

---

(a) Uti erat ea agri portio quae in dotem Ecclesiae assignari solebat, vel presbytero Ecclesiae deservienti cum aliquot mancipiis, et Mansus ecclesiasticus dicebatur.

(b) Hinc onera diversa erant nimirum: *Inlatio*, *canonica indictio*, *canon*, *jugatio*, *capitatio terrena*, ne cum illa confunderetur quae *humana capitatio*, sive census capitum erat. Id erat tributi genus ter per annum pensitari solitum scilicet post exactum quodcumque quadrimestre spatium. Erat *collatio lustralis seu aurum lustrale* et vectigal erat negotiatoribus praescriptum. *Superindicta* seu extraordinaria erant quae Imperator urgente quadam necessitate inroganda decernebat. *Denarismus unciiue et descriptio lucrativorum* et erat tributum quo singulos denarios, sive uncias solvere jubebatur quotannis in singula juga bovum, si quis alicujus e Curialibus bona titulo lucrativo caepisset etc. Est regula qua cognoscitur num onus sit reale vel mistum, nimirum si onus adjectum certum est, et invariabile censetur reale; secus mixtum habetur.

na in Ecclesiam transferuntur; aut ex jurisdictione seu potestate summi principis, quae ecclesiae bona perinde ut alia civium bona profana, omnibus praestationibus subiicit; aut ex necessitate extraordinaria publica cui sublevandae facultates non suppetunt laicorum; ita ut approbante et consentiente Ecclesiae auctoritate, bona ecclesiastica collectis et exactionibus graventur.

Haec omnia animadvertat quis oportet, cum de reali immunitate disserere opus habet

CONCLUSIO SESTA

Ab argutiis pseudo-politicorum immunitas realis sive exemptio a tributis vindicatur.

Immunitas realis est qua res et bona ad Ecclesias vel personas ecclesiasticas pertinentia eximuntur ab oneribus per potestatem secularem titulo jurisdictionis impositis (a); idque principaliter favore religionis sive cultus divini, quia sunt specialiter Deo dicata (b).

Pseudo-politici homines turbulenti, qui initio seculi XVI. sentierunt immunitatem realem fraudi esse necessitatibus reipublicae, ac adversam civili unioni, atque legitimis magistratibus; suae felicitati opes

(a) Nomine Ecclesiae omnem locum religiosum venit, et causam piam. Rerum ecclesiasticarum nomine intelliguntur omnia bona ad ecclesias vel personas ecclesiasticas pertinentia. Per personas Ecclesiasticas demum omnes clerici intelligi debent; consequenter omnes Religiosi et novitii qui in favorabilibus nomine clericorum veniunt.

(b) Hinc nec volentes, renunciare huic immunitati possunt clerici.

clericorum obstare crediderunt, et rati aurea reditura secula, si Ecclesiae sua bona, et clericis adimerentur.

At etsi ingenti verecundia illis experientia ipsa percellat; fas, jusque nobis sit, ut ab errore avertantur, ipsis obducere quod salva immunitate nec ecclesiam deesse, nec clericos necessitatibus reipublicae, nec civili unioni adversari; imo potius illis suppetias ferre.

Revera subsidia quibus respublica indiget non ope tantum sed in opere magis consistunt. Opem seu rem confert qui pecunias aut aliud pretio extimabile ad aerarium publicum, in quo nervus agendarum rerum residet, pro rata contribuit. Hinc fabricae publicae possunt servari, salaria officialium promi, bellum sustentari, ceterisque publicis necessitatibus succurri.

Operam confert quicumque vel publico fungitur officio, vel idipsum quod alii aere, ipse labore, industria, consilio, ingenio procurat; et in hunc censum veniunt Principes, magistratus, milites, aliique plurimi qui vel nihil ad aerarium publicum comportant, vel tandumdem, aut plus ex eo recipiunt. Habet enim hoc commune societas civium cum societate commerciali; quod sicut in hac non singuli pecunias contribuunt, sed quandoque etiam solas operas, quae non raro pluris existimantur ac illa negotiatione; ita pariter in societate civium. Nec immerito; nam utroque modo finis societatis habetur. Praeterquam quod in civitate probe noscitur, diversitatem statuum, facultatum, virium et conditionum attendendam esse. Negent ergo oportet pseudopolitici jus publicum, cui immunitates innituntur: et sacrum Ecclesiae et clericorum ministerium, cui religio et imperium fundatur, inutile, perfricta fronte, et inverecunda dicant.

At illos omnium retro seculorum historia configit, quam hic exponere nostra refert.

CONCLUSIO SEPTIMA

Usus immunitatis realis constans exponitur.

Praeter auctoritatem scripturae utriusque testamenti tum ex traditione patet perpetuaque Ecclesiae doctrina, tum aliis canonicis locis, bona Ecclesiastica tamquam Deo specialiter oblata ac divino cultui destinata eam induere moralem qualitatem, ut singulari quadam ratione bona Dei censeantur et sine sacrilegio violari ac diripi non possint ut antea notatum fuit. Hinc jam a primordiis Ecclesiae, jure Romano etiam realem immunitatem in bonis fuisse Ecclesiae constat; etsi variam et diversam subiit vicem pro diverso Principum ingenio et largitate adversus eam: quamquam bona patrimonialia clericorum a tributis non fuerunt exempta. Ita clarissimus Selvagius et Rossi in suis instit. monent, et subdunt quod ubi Concilia Lateranensia, alterum sub Alexandro III, alterum sub Innocentio III. Ecclesiarum, et clericorum bona, a tributis generatim excepta decrevere, tunc jure hujus regni, nimirum a Neapolitanis Principibus Carolo II. (1). et Ferdinando Aragonio, Concilio Melphitano praeeunte ann. 1089 (2) clericis atque Ecclesiis immunitas confirmata fuit quibusdam tamen conditionibus adjectis. Et quidem Carolus dixit de bonis tantummodo ad Clericos legitime spectantibus; Ferdinan-

(1) *Capitul.* 98. (2) *Const.* 2.

dus exigi jussit a Clericis tributa bonorum quae per contractus adquisierint.

Actum etiam fuit de reali eadem immunitate pactis conventis inter Benedictum XIV et Carolum Borbonium utriusque Siciliae regem et praecipue ibi statutum (1) reperitur « bona Ecclesiarum aeque ac laicalia in censum sive catastum referri ac Ecclesiae » tantummodo medietatem quantitatis quam laici solvunt, conferant: tum pro bonis quae Ecclesiis in » posterum adquirantur canonicas illationes pensitarent, exceptis bonis Ecclesiarum Parrochialium, » Hospitalium, Seminariorum, et sacris Clericorum » patrimoniis, quae summam ducatorum quadraginta non excidant, modo clericus ad titulum beneficii non sit ordinatus ». Illud quoque sancitum ut exemptio hujusmodi ab eo tantum tempore exordium sumeret, quo quis hypodiaconus creatur; licet patrimonium fuerit constitutum quum prima tonsura initiatus sit, quod et de clericis qui graeco vivunt ritu intelligendum, etiamsi uxores habeant.

Modus pariter impositus fuit exemptionibus illis quibus clerici fruebantur vulgo dictis *franchigie*, quaeque in exemptione a vectigali farinae potissimum versabantur. Conceditur nempe usus earum Episcopis habita ratione ad redditus eorum, numerum familiarium et eleemosynas quae de more ab iis erogantur ex prudenti Nuntii Apostolici et ad Regis ministri alicujus consilio et sententia.

Item Clerici seculares gaudent illis a die suscepti hypodiaconatus, videlicet ut quotannis sex modii tritici sine vectigali iis praesteutur, sive superstes sit eorum pater, sive e vivis discesserit.

(1) *Cap. I.*

Adhaec quinque modiorum tritici exemptio spectat ad regulares utriusque sexus, iis etiam qui in piis locis degunt, vulgo *Conservatorii*. Religiosi vel Religiosae tamen habitum propriae religionis deferre debent, et in communitatibus vivere.

Quo loco habendi sunt Professi etiam Novitii, et vulgo dicti Tertiarii. Quod vero seminaria spectat ita constitutum est, ut pro numero alumnorum qui ibidem degunt, ne exclusis quidem famulis, aut laicis ministris, exemptum frumentum, habita ratione et copia alumnorum, praestetur; scilicet quinque modiorum pro unoquoque alumno. Verumtamen ministri laici in amplioribus seminariis non plus quam quatuor, in minoribus non plus quam duo admitti poterant.

Quod si hypodiaconi, diaconi, et presbyteri ibi commorentur, iis ut dictum est, exceptio sex modiorum debetur. Praetermittendum vero non est quod exemptio haec in loco originis tantum, aut domicilii, aut beneficii quod secum fert residentiam, concedenda erat. Excipe si in aliqua regni parte, aut Ecclesiae, aut loci pii, aut scholae servitio addictus morabatur. Excipiuntur Episcopi, aut alii locorum ordinarii, qui etiam a Dioecesi absentes, exemptione non privabantur pro numero laicorum familiarium qui suis expensis in Dioecesi remanserint, et eleemosynarum quas etiam absentiae tempore largiri solebant, quemadmodum a Nuntio Apostolico et Regis Ministro, aut utrisque non convenientibus, a Tribunali mixto habita proportione jam ante constitutum fuisset (a).

Ceterum exemptiones has nec donare, nec vendere

(a) Hujusmodi Tassa ann. 1742 facta fuit, et Regio *Bando* publicata, quam ad calcem concordati 1741 fas est legere.

ullo modo licitum erat, nisi eo casu quo quidam clerici nec frumentum haberent, nec domi panem conficerent; sed a publicis venditoribus emerent. Iis quippe exemptionem suam vendere permissum erat, modo panis quem emerent a vectigali non fuisset exemptus. Quod si vero alicubi inter communitatem et Clerum exemptiones transactae fuissent: ut hae pecunia numerata solverentur, valida erat transactio, si jure facta fuerat juxta id quod a concordato sancitum fuit.

Hoc quod dictum est, in Regno quidem, non in civitate Neap. locum habebat, nam quod ad Arch.Cardinalem, clerum et seminarium pertinet eadem omnino consuetudo obtinebat, quae ab 30 retro annis a die concordati invaluerat. De clericis insuper silvaticis, ac de eremitis, monialibus secularibus vulgo *Bizzoche* vel de quocumque qui a Curiis ecclesiasticis, locis piis, Abbatiis, etiam a cardinalibus possessis, privilegium aliquod pagella confirmatum obtinuerant, statutum erat ut tanquam laici vectigalibus omnibus solvendis adigerentur.

Verum res firma non fuit: nam usurpationi militari hoc regnum infelici decennio subjectum, et immunitatibus suis Ecclesiae et clerici expoliati pene fuerunt omnino. Favente tamen nova restauratione ipsius regni, pactis conventis inter Pium VII. et Ferdinandum I. ann. 1818. art. XVI. ita cautum: « Ecclesiastici propter luctuosas temporum circumstantias publica onera regia, et civitatis solvere tenentur. Quod si status conditio per feliciora tempora prosperior evadat, tunc ipse largitionibus clero opitulabitur » (a).

(a) Regio decreto Kalend. Octob. ann. 1840. cautum fuit fructus tituli ordinationis, non posse in sequestri fide ac potestate mandari.

CONCLUSIO OCTAVA

Subsidia voluntaria quo sensu possint de bonis Ecclesiae offerri pro necessitatibus reipublicae declaratur.

Liberum esse ecclesiasticis monet Selvagius (1) haec subsidia offerre. Plurima ideo extant exempla illorum, praeter ea quae seculo praesertim VIII. et IX. occurrunt. Ex Synodo Vernensi ann. 753 (2) et ex capitulari Ludovici Pii ann. 817, scimus eo tempore usum invaluisse, ut monasteria singulis annis, dona quaedam ac munera Regi afferrent, quae quidem primum voluntaria, dein in quamdam necessitatem abierunt. Tum ipsum Concilium Lateranense IV. sub Alexandro III. quod sub anathemate immunitatem servandam decrevit; statim subdit. « Nisi Episcopi et Clericus tantam necessitatem, « vel utilitatem adspexerint, ut absque ulla exactio« ne ad relevandas communes utilitates, vel neces« sitates, ubi non suppetant facultates laicorum, sub« sidia per Ecclesias existiment conferenda ». Ne facilius tamen quam oportet Clerici haec eadem subsidia offerrent conditiones ab ipso jure (3) designantur quibus non nisi servatis, clerici contribuere possunt. Harum precipua est venia Apostolicae sedis requirenda (a).

Haec de immunitatibus: contra eas utpote motivo re-

(a) Excipitur casus nimirum si periculum sit in mora, tunc enim ex DD. deliberatio Episcopi et majoris partis Cleri sufficere videtur.

(1) *Inst. Canon.* (2) *Can. VI.*

(3) *Cap. non minus etc.*

ligionis innixas, facile erit colligere cur hac ultima aetate pseudopolitici et numero et temeritate excedentes deblaterant, atque debacchantur. Indifferentes ipsi quoad religionem; vitio solertes quanto huic favere studuerunt, clericorum immunitatibus ac privilegiis repugnantes, tanto illi exitiosos se reddidere. Proh Deus! et nonne felices successus regnorum exularunt, immunitatibus ipsis et privilegiis exulibus? Lapides erant clerici immunitatibus sanctuarii fulgentes: dein antipoliticorum fraudibus et estu, dispersi in capite omnium platearum, ubi sagina se illi alent letanturque in rebus pessimis; filii Syon amicti auro primo, nunc reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli. Inde obscuratum aurum optimum Sanctuarii, in igne effrenae cupiditatis illorum crematum eversum atque obscuratum vidimus. Nec valet dicere Clericos vitae sanctitate et virtutum ornatu existimationem populorum et venerationem sibi conciliare debere, non exemptionibus: nam facile erit eis respondere, optandum maxime esse, quod mores clericorum sanctitati professionis responderent; sed ubique ac perpetuo id inter homines non esse sperandum; imo nec felicissimis Ecclesiae primordiis contingit, ut inter plurimos bonos nulli essent mali. Nonne vero alia est existimationis ratio et reverentiae quae meritis nititur personae, alia quae status qualitate? Discolis dominis parendum esse divinus codex tradit (1). Pravitate morum, uti potestas et dignitas non perit (quod contra errores Hussii definitum est) sic neque reverentiae ratio. Oh utinam ea tempora moresque remeas-

(1) 1. *Petri II.*

sent quibus privilegia immunitatesque religione fovebantur, simul atque regnis felicitatem remeare quis non speraret?

CONCLUSIO NONA

Immunitas enucleatur, qua clerici ex privilegio canonis fruuntur.

Immunes reddit clericos a vi et injuriis Privilegium canonis; ita dictum a canone XV. Lateranensis Synodi II. quo confirmatur quod natura clericis debebatur; hoc poena plectuntur excommunicationis quam ipso facto incurrunt omnes offendentes, seu manus injicientes violentas in clericos, vel monachos. « Si » quis, (1) suadente diabolo hujus sacrilegii reatum » incurrerit quod in clericum vel monachum violentas » manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, et » nullus episcoporum illum praesumat absolvere (nisi » mortis periculo urgente,) donec Apostolico conspe» ctui praesentetur, et ejus mandatum suscipiat.

Hunc canonem interpretaturi videndum quinam ab eo attingantur verbis ejus *Si quis*. Et certe omnes sive sint viri sive mulieres, non solum percutientes, sed et mandantes et consulentes (2) aut quomodocumque cooperantes, vel auxilium praebentes sive promissis sive nutu aut desiderio, dummodo effectus sequutus, cujuscumque aetatis sint, dummodo usum rationis habeant, eoque utantur (a).

(a) Si qua mulier tamen clericum percusserit pudicitiae suae vim inferentem canonis poenam non subit, sane non inferendae injuriae causa, sed repellendae percutit.

(1) *Can. IV.* (2) *Ex Cap.* Mulieres 6. *de sentent. excom.*

Item qui non obstat, si ex officio obstare tenetur (1), et quisquis clericus seipsum ira, vel desperatione motus vel odio percutit; infert enim hoc ipso statui clericali injuriam. Demum qui ratam habet percussionem, probans illam aliquo signo externo, etiamsi nec mandatum dederit, nec consilium (2).

II. Nomine clerici cui hoc privilegium datur, intelliguntur omnes nimirum; qui etiam sola tonsura initiati sunt: favores enim sunt ampliandi, modo clericaliter vivant, idest habitum deferant: nam qui vanitate vel negligentia habitum et tonsuram dimittunt, post trinam monitionem perdunt hoc privilegium (3). Glossa et Fagnan. Ita et qui per annum munus exercent ignominiosum puta; scurriles ludos, aut rem cauponariam etc. etiam ex sententia S. Ligorii post trinam monitionem (4): quod si ex iniquitate et malitia dimittent habitum seu iniquitatibus se immisceant, etiam ante monitionem privilegium perdunt. De clericis conjugatis cum una, eaque virgine, si deferant habitum cum tonsura, et ab Episcopo deputati actu serviant alicui Ecclesiae, probabilius retinere idem privilegium tenendum (5). Huic argumento tamen exitum expedimus, ne dicta de integro dicamus: jam enim expositum fuit Concl. III. Cap. I. ubi quos nomen *monachum* comprehendit etiam enodatum habetur.

III. Quam violentiam Canon plectitur per illud *in manus violentas* expressam, DD. denotant per quamlibet actionem in opere externo consistentem, (a) quae

(a) Ut distinguatur tum ab internis actibus irae odii etc., tum a solis verbis quibus non incurrit censuram, puta: si per verba

(1) *Ex cap.* Quantae 47. *de sent. excom.*

(2) *Ex cap. Cum quis* 23. *de sent. excomm. in* 6.

(3) *Cap. Contingit ibid.* (4) *Theol. mor. L. VII.*

(5) *Ex cap. un.* De clericis conjug. *in.* 6.

sit graviter injuriosa aut contumeliosa (a), quaeque personam ecclesiasticam immediate contingat (b).

IV. A quibus absolvi debeant violatores canonis ejusdem; cujus naturae sit excommunicatio quam incurrunt videndum. Et primo hanc graviorem esse constat, ubi in Synodo Costantiensi, excommunicatis vitandis distinctis, inter eos, percussores clericorum numerati fuerunt, et ante sententiam judicis: « salvo si pro sagrilega manuum injectione in Cle» ricum sententiam latam a Canone adeo consti» terit accidisse, quod factum nulla possit tergiversa» tione celari, nec aliquo suffragio excusari (1). » Deinde cum *nullus Episcoporum praesumat absolvere* idem canon praecipit, Papae reservatam absolutionem hujus excommunicationis clare patet. Ast per-

---

vel signo metum clerico incutit, a loco exire cogat etc. Secus si: vel levissime simul tangatur clericus, si contumeliose in eum spuat, vel effundat super eum aquam, si non per solam fraudem, sed violenter extorqueat aliquid, vel contra ejus voluntatem detineat, ejus vestimenta excindat etc.

(a) Actio equidem quae fieret ad legitimam correptionem, vel ad emendationem clerici, locum censurae non daret, non enim injuriosa et contumeliosa habetur; etsi sufficiat si secundum hominum moralem existimationem, contra reverentiam clerico debitam sit; sed ad incurrendam excommunicationem, graviter offendat oportet illam reverentiam: peccatum sane mortale requiritur.

(b) Ut phisice et immediate contingat necesse est: sufficit tamen ut contingat res immediate ei adhaerentes puta: vulnerando equum cui insidet, vel violenter apprehensis frenis eum sistendo. Hinc qui ensem ex. gr. vibrat, lapides projicit nec Clericum attingit, non incurrit censuram quia contactus phisicus non habetur, ideoque violentas non injicit manus (*). Sic DD.

(1) *Bulla ad evitanda scandala.*

(*) *Vide Barbos. Jus Univers. l. 1. c. 39.*

cussio si facta sit modica, non enormis (a) quamvis sufficiens ad peccatum mortale, Pontifici reservata non intelligitur ea absolutio, dixit Clemens III. (1). Adhaec si clerici in communitate viventes se mutuo percutiant, nisi facti atrocitas aliud exigat, nec Pontifici reservata habetur. Si vero monachi in claustro se percusserint a suo Abate absolvi possunt (2). Si vero moniales vel in se invicem, vel in conversas suas, aut clericos etiam manus violentas injecerint per Episcopum absolvantur in cujus dioecesi monasteria fuerint (3). Demum etiamsi enormis fuerit percussio, dummodo occulta nec ad forum contentiosum deducta ex Tridentino (4) ab Episcopo absolvi potest, sicut et mulier aliaque persona non sui juris (5). Praeterea debiles qui ire Romam non possunt (6). Impuberes, quique per jocum Clericum percusserint a proprio etiam Episcopo absolutionem impetrabunt (7).

(a) Dicitur levis et modica percussio, quae videlicet nullam maculam, aut lacerationem carnis, nec membri mutilationem, dentium evultionem, multorum capillorum extractionem, nec sanguinis immodicam effusionem attulit, neque aggravata ex circumstantiis. Ita Layman et alii. Distinguunt DD. etiam mediam percussionem inter levem et enormem et dicunt illam mediocriter enormem, quae effusionem sanguinis non attulit notabilem, vel signum percussis permanens.

(1) *Cap.* Pervenit 17 *de sentent. excomm.*

(2) *C.* Cum illorum 22 *cap. Monachi* 2 *de sentent. excom.*

(3) *Cap. de Monialib.* 33 *eod.*

(4) *Sess. XXIV c.* 5 *de ref.*

(5) *Cap. Mulieres* 6 *eod.*

(6) *Cit. cap. Mulieres.*

(7) *Cap.* I. *eod.*

CONCLUSIO DECIMA

Civilis et canonici juris sensus de privilegio fori exponuntur (a).

Quoniam altera debet alteram juvare potestatem mutuis officiis, et ambae velut germanae famulari Domino, merito Tridentina Synodus (1) ait : *Principes catholicos Deus esse voluit fidei et Ecclesiae protectores*. Isto tuendae Ecclesiae officio exciti Reges Christiani aequo primum animo tulere, mox legibus quoque suis concessere, ut nedum bona temporalia ecclesia, et clerici sibi haberent utpote ad sanctissimos fines destinata, uti antea demonstratum fuit; sed ut Episcopi simul potirentur jurisdictione in iis, quae Ecclesiarum clericorumque temporales res, aut sacras ipsorum personas spectant. Haec revera, subdit noster clariss. Gagliardi, (2) « videntur et ratio naturalis et jus gen- » tium conformibus tot exemplis populorum falsos » Deos colentium, et divina potissimum auctoritas » veteris testamenti suasisse (3). Quod enim obve- » niente sacerdotio profani judices et arbitri causas » eorum non cognoscere amplius nec judicare de- » beant : *id non tantum honori personarum, sed et* » *majestati Dei indulgetur cujus sacris vacare Sa-* » *cerdotes oportet* ex responso Pauli jurisconsulti (4). » Romani porro idololatrae jurisdictionem in Homi-

(a) Privilegium nimirum quo clerici nisi ad proprium Episcopum conveniri non possunt.

(1) *Sess.* 23 *de reform. c.* 20.

(2) *Inst. Can. Lib. III. Tit. de orig. jurisd.*

(3) *Gen.* 47. *Exdrae cap.* 7.

(4) *In l. non distinguemus* 37 *D. de recept. arbit.*

» nes omnes, ac Vestales Collegio Pontificum dimit-
» tebant. Quid ergo mirum ad Mauritium Imp. scri-
» bebat S. Greg. M. (1) si christianus Imp. veri Dei
» Sacerdotes dignatur honorare, dum Pagani ut prae-
» diximus Principes honorem impendere Sacerdoti-
» bus noverunt, qui diis ligneis et lapididus servie-
» bant? . . . Ipsa rei natura postulat ut magistra-
» tus cuique ordini peculiariter praesideat, qui cre-
» bras hominum lites rite cogniturus dirimat ex iis,
» quae specialim novit institutis et praeceptis. In
» quantam salus publica perniciem rueret si navicu-
» lariam alii praeterquam nautae agerent, morbos-
» que curarent non medici: in tanto versabitur ex-
» cidio labens in diem disciplina morum, ubi di-
» sceptatio negotiorum alienis demandaretur. Itaque
» si milites nonnisi a ducibus praefectisque legio-
» num, Senatores a Senatoribus, caeterosque a suis
» quoque magistratibus judicari leges recte jubent:
» eo justius constitutum, ut sacerdotes congruo Epi-
» scoporum judicio pareant: quum hierarchiae di-
» gnitas non patiatur ordinariam de sacris vel rebus
» vel personis cognitionem ad profanos proferri ».
Huic ergo privilegio, resumit cum ceteris DD. noster Rossi (2) « clerici nequidem volentes renuncia-
» re possunt (3) tum quia est juris publici, cui vo-
» luntate privatorum derogari nequit; (4) tum quia
» privilegium non est personale, cui renunciari pos-
» sit, sed toto collegio Ecclesiastico publice indul-
» tum. Atque ordinis quidem vinculo ita cohaeret

(1) *In Can. Sacerdotib. autem* 41. *c. XI. q.* 1.
(2) *Inst. can. lib.* 1. *tit.* 9.
(3) *C. si diligenti* 12. *de for. compet. etc.*
(4) *L.* Nemo *D. de legat.* 1.

» privilegium personae, ut ab ea avelli prorsus non » possit » (a).

Sane hoc privilegium quod et laicis ipsis est utile, ne scilicet si his perspecta essent delicta clericorum, demisse de eisdem sentirent, non solum in concilio Nicaeno (1) sancitum fuit, unde quotannis in qualibet provincia bis oportet Episcopos in Synodum congregari ad clericorum causas dijudicandas dictum fuit; sed et a sequentibus Conciliis CPolitano I. (2) Chalced. (3) (b) et aliis quos legere est apud nostrum

(a) Forum spectari potest 1.° in causis sacris et spiritualibus tum clericorum tum laicorum 2.° in causis omnibus etiam temporalibus clericorum 3.° in causis temporalibus laicorum sub imperatoribus infidelibus primorum temporum. De hoc ultimo Apostolus (*) multis verbis prohibet, ne ad judices ethnicos recurrerent Christiani. In verbis his non merum consilium, sed legem agnovit auctor Constitut. Apostolicarum (**). Primi Imperatores christiani deinc liberum reliquerunt litigantibus, causas etiam temporales deferre ad Tribunal ecclesiasticum, idque legibus firmarunt, ita ut sententiae episcoporum perpetuae stabilitatis jure firmae manerent. Lex Constantini extat in Cod. Theod. de episcopali judicio; at repetita fuit in capitularibus (***) relata a Gratiano (****).

In causis clericorum et ecclesiae temporalibus pro varietate causarum, et indulgentiarum Principum ac concordatorum varia fuit immunitas.

In causis denique sacris sive spiritualibus tum clericorum tum laicorum apud omnes catholicos immunitas, extra omnem suspicionis aleam locum obtinet, a quibus nec Heterodoxi plerique dissentiunt ut videre est apud Zanger (*****).

(b) A veritate inde aberrant aliqui, a concil. Chalcedonensi asserentes immunes primum fuisse clericos a foro laicali in iis quae eos respiciunt, ut inter alios noster Liberatore (******).

(1) *Can. V.* (2) *Can. VI.* (3) *Can. VIII.*

(*) *L. Cor. VI.* (**) *L. 2. c. 20.* (***) *L. 6. c. 281.*
(****) *Can.* 35 *et* 36. *t.* 1. *q.* 1.
(*****) *C.* 1. *p.* 2 *de exc. n.* 421. (******) *Polit. Eccl. tit. V.*

Selvagi (1) et praesertim canonibus Lateranensis V. quibus communione arcendum, ipso ut ajunt facto, illum esse constituitur, qui Ecclesiasticae jurisdictioni obtrectare, aut exagitare ausus fuerit (2). Hoc privilegium, ut citatus Doc. advertit, plures antea congregatae Synodi per Gallias Hispaniasque constituerunt. Idque postea Tridentini PP. confirmarunt (3) uti antea monitum fuit.

Hoc et ab ipso Constantino comprobatum fuit, et clericos functos illo privilegio tunc temporis constat, testante Eusebio (4) Imperator enim libellos accusationum in Synodo Nicaena sibi oblatos comburendos jussit, dicens: *Vos dii estis a Deo constituti; ite et inter vos causas vestras discutite, quia dignum non est ut judicemus Deos*. Tum ann. 354 lege lata prohibuit Episcopos in judiciis secularibus accusari. Praeterea Constantius comprobavit eamdem immunitatem; sic et Valentius, Gratianus, et Valentinianus. Tum Thedosius, Arcadius quoque, demum Iustinianus quo imperante, magis a judicibus secularibus immunitas se explicuit, etsi jurisdictio ecclesiastica sub iisdem ac successoribus suis modo latioribus, modo angustioribus conclusa finibus fuerit.

Idem jus, advertit noster Selvaggi (5) « ex pluribus evincitur obtinuisse in Italia; tum vel maxime ex eo, quod sub Theodorico Italiae ipsius Rege omnes Romanorum leges, atque adeo quae ad ecclesiarum clericorumque immunitatem spectabant nulla in parte fuerint antiquatae, quinimmo ex

(1) *Inst. can. lib. III. t. II.* (2) *Sess. IV.*
(3) *Sess. XXV. de reform. c.* 20.
(4) *L. III. c.* 10. *de vita Const.*
(5) *Inst. can. l. III. tit II.*

» pluribus Theodorici apud Cassiodorum epistolis li-
» quet, Regem ipsum omnes personales clericorum
» causas non civiles modo, verum et criminales Epi-
» scopis dijudicandas reliquisse ».

Facta incursione barbarorum, Longobardi eamdem fori immunitatem extenderunt ad vassallos, colonos, agricolas ipsos ecclesiarum. Ast illis ablegatis barbaris, Carolus M. veteres pro clericorum causis imperatorias sanctiones innovavit restituitque, cujus successores eamdem sequuti suut politiam. Demum imperator Fridericus insigni sua Authentica *Sancimus* (1) ita huic immunitati consuluit, ut a PP. Constantiensis Synodi commendaretur, confirmaretur, probareturque et exscriptam voluerunt illam velut appendicem ipsius concilii. « Statuimus ut nullus ecclesiasticam perso-
» nam in criminali quaestione, vel civili trahere
» ad judicium seculare praesumat contra constitu-
» tiones imperiales et canonicas. Quod si actor fece-
» rit, suo jure careat, judicatum non teneat, et ju-
» dex ex tunc judicandi potestate careat ».

Jure regni denique, ut idem Selvaggi monet (2). Northmanni Reges qui primi omnium, florentissimum hoc regnum obtinuere; ac prae ceteris Robertus et Rogerius clientes R. Sedi, eidemque addictissimi, nihil contra conones ac leges ecclesiasticam immunitatem spectantes innovarunt, uti patet ex concil. Melphiensi, cui Rogerius ipse interfuit. Tantum Willelmus in pactis conventis cum Hadriano IV. licet nihil contra ecclesiasticam immunitatem fuerit molitus, tamen constitutione edita, clericos in causis pecuniariis, quae ab ecclesiae rebus non penderent in seculari judicio disceptare jussit.

(1) *C. de Episcopis et cleric.* (2) *Cit. loc.*

Sub Svevis Fridericus Imp. uti modo diximus, roboravit potius latas immunitates: at mox non pauca ecclesiasticis juribus illata sunt detrimenta.

Svevis expulsis earumque progenie in Corrado extincta, ad Reges Andegavenses primum, mox Aragonenses regno delato, ecclesiastica jurisdictio in pristinum statum fuit restituta, et clericorum causae seu civiles, seu criminales, feudalibus tantum exceptis, in episcopali audientia definitae fuerunt.

Proregibus dein administrantibus regnum, dissensiones fuerunt inter utramque potestatem. Quoad immunitatem ipsam plurimae lites inter laicos magistratus, et judices ecclesiasticos exarserunt. Pacta conventa inter Benedictum XIV. et Carolum Borbonium ann. 1741. tranquilliorem formam dederunt usui earumdem.

Tandem hoc seculo exordiente, Gallis militariter detinentibus hoc regnum, vestigium nullum pene supererat hujus immunitatis. At post restaurationem ejusdem, pactis conventis ann. 1818. causas omnes ecclesiasticas in foro ecclesiae disceptandas statutum fuit (a).

(a) *Ecclesiae* nomine veniunt rectores et judices ecclesiastici a laicis distincti. Atque hos ipse intellexit Christus cum dixit *dic Ecclesiae*: hos intellexerunt PP. et concilium quando potestatem ferendi leges ad religionem pertinentes, et judicandi de causis iisdem memorarunt, uti Tridentinum (*). In primis vero intelligitur Summus Pontifex, dein Episcopi tum seorsim, tum in conciliis congregati, atque ii etiam quibus ab his jurisdictio pro foro interno, vel externo generaliter per institutas dignitates, aut specialiter per delegationes commissa est. Jurisdictio equidem et quaevis alia potestas ecclesiastica in corpus Christi mysticum, continetur in potestate clavium Petro in primis commissa a Deo,

(*) *Sess. XXVI.* c. 8. 4. 7. 8. 12.

Quoniam vero hae causae ecclesiasticae aliae civiles esse possunt, criminales aliae, quid de his distincte sancitum duobus concordatis supradictis juvat subnectere, ut politia jurisdictionis ecclesiasticae sub regnis Caroli III. et Ferdinandi I. cognoscatur simulque distinguatur quae tunc viguerit quaeque nunc obtinet.

CONCLUSIO DECIMAPRIMA

Disciplina hujus Regni de civilibus causis vi concordatorum ad forum Ecclesiae pertinentibus exponitur.

Spirituales causae omnes a foro laicali immunes esse ex divina institutione veritas catholica docet, ut observat Suarez, ita ut nec committi possunt laico, nisi a solo Pontifice jure delegato, non ordinario.

Principes catholici omnes hoc agnoverunt confirmaruntque, et concordatis Benedictino sancitum fuit, ac novissimo ann. 1818. art. XX. ubi dicitur « Archie-

---

in potestate solvendi et ligandi, pascendi et regendi data divinitus apostolis eorumque legitimis successoribus.

His adde: Clericus non quovis foro ecclesiastico, sed coram Episcopo suo conveniri, vel agere potest, ita ut sine consensu Episcopi non possit jurisdictionem alteri judici ecclesiastico vel Archiepiscopo prorogare (*). Si Episcopus ut suspectus recusetur dat delegatum, vel deputat quemquam, *qui partes mutuo consensu judicis compellat eligere* (**). Jurisdictionem Episcopus exercere potest quovis dioeceseos loco, non extra illam, nisi in casu expulsionis a sede, et servata forma, quae praescribitur Clement. un. tit. de foro compet.

(*) *C.* 1. 13. 18 *X. et c.* 1. *tit. de for. compet. in* 6.
(**) *C.* 4.

» piscopi, et Episcopi in exercitiis eorum Pastora-
» lis ministerii prorsus liberi erunt secundum sacros
» canones. Causas ecclesiasticas . . . . . in foro eo-
» rum cognoscent, ac de iis sententiam ferant. Hæc
» dispositio non respicit causas civiles, exempli gra-
» tia, contractuum, debitorum, haereditatum, quas
» laici judices cognoscent, et definiant ».

Cum vero in civilium causarum censu vix, aut ne vix quidem aliquae ad forum contentiosum ecclesiasticum causae perducuntur vi citati articuli, de beneficiariis et matrimonialibus praesertim dicemus, et primo de his

CONCLUSIO DECIMASECUNDA

Causae matrimoniales sunt fori Ecclesiae (a).

Concor. Bened. sancitum fuit (1)

Spetteranno a' soli giudici ecclesiastici privatamente le cause

---

(a) Jus sacrum de matrimonio agit ti. de spons. et matrim. et Trid. sess. XXIV. de reformatione matrimonii c. 2. Vide etiam Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. VII. c. 35.

Jure civili autem Prag. XVII. diei 11. dec. an. 1780. sancitum sic fuit 1.° Che trattandosi del giudizio di esistenza e inesistenza de' sponsali de futuro debba questo preventivamente spedirsi presso i giudici laicali 2.° Che per costare dell' esistenza de' suddetti sponsali dovessero questi essere contratti d' innanzi al Parroco, e testimonii, e col consenso in iscritto de' rispettivi padri de' sposi, o di coloro che ne sostengono le veci; ed esercitano il diritto della Patria potestà 3.° Che si escluda qualunque giudizio nel foro laicale, o ecclesiastico de' pretesi sponsali per la rispettiva loro esistenza o validità, la cui pruova dipenda da soli testimonii, senza l'intervento del Parroco, e senza il consenso

(1) *Cap. VI art. III.*

matrimoniali, nelle quali si tratti sopra la validità, o invalidità del matrimonio, come de' sponsali.

La cognizione e punizione del delitto di poligamia parimente apparterrà alla potestà ecclesiastica (1) (a).

Novissimo Concordato (2) de causis ecclesiasticis episcopo reservatis dicitur « utque in primis cau» sas matrimoniales quae juxta canon. 12. sess. 24. » sacri concil. Trid. ad judices ecclesiasticos spe-

---

paterno negli sponsali de' figli di famiglia. 4.° Che gli sponsali legittimamente contratti, e secondo la forma, che si prescrive con questa legge non debbono produrre ne' termini del dritto comune, e patrio alcuna azione coattiva. 5.° Che dichiarati validi i sponsali delle Curie Ecclesiastiche, possono far uso le stesse Curie contro a' renitenti delle canoniche ammonizioni, e queste riuscendo infruttuose, non possono venire alle censure, senza prima con distinta relazione, darne parte al Re per ottenerne il permesso; acciocchè in tal guisa secondo che si pratica ne' beni ordinati dominii, si evitino i molti e gravi inconvenienti, che possono derivarne. 6.° Che il consenso paterno negli sponsali si richiegga sino all' età di 30 anni compiti dei figli di famiglia, se sono maschi, e se sono femmine sino all' età di 25. anni compiti, e alla stessa guisa, che all' editto dei 10. aprile del 1771. fu stabilito nella contrazione delle nozze dei figli di famiglia. 7.° E finalmente che non meno i Parrochi, che le Curie Ecclesiastiche sotto la grave pena della reale indignazione stiano avvertiti ad osservare questo Sovrano editto, ch'è diretto ad evitare le frodi che si commettono, a sostenere la libertà ne' cittadini, ed a conservare la pace, e 'l decoro delle famiglie.

(a) Poligamia vox graeca, et denotat unius hominis unionem cum pluribus mulieribus, quod si fuerit cum duabus bigamia dicitur. Crimen etiam jure civili art. 331. II. pen. mulctatum; nec ob id a jurisdictione ecclesiae subductum, extrema equidem criminis ejusdem sunt primi matrimonii legitimi existentia, et attentatio secundi, hinc quaestio emergens de validitate primi matrimonii, quae foro ecclesiastico est reservata.

(1) *Art.* 11. *cap. cit.* (2) *Art. XX.*

« ctant, in foro eorum cognoscent ac de iis sententiam dicent ». Hinc ipse Liberatore (1) consequenter colligit jurisdictionis ecclesiasticae etiam vi hujus concordati esse, cognoscere et definire de divortio, et separatione conjugum quoad thorum, non obstante jure civili, quod de separatione hac etiam dicat; equidem spectat jura et competentia civilia conjugum, nec jurisdictionem ecclesiasticam ideo offendit, a qua pendere debent conjuges (a).

CONCLUSIO DECIMATERTIA

Beneficiorum causae forum spectant sacrum.

Concordato Benedictino ita sancitum reperitur (2)

Saranno di privativa giurisdizione ecclesiastica le cause beneficiali, purchè non si tratti di juspatronati regii, o feudali, per quelle sole cause, la decisione delle quali principalmente dipende dal vedere, se il patronato sia annesso o no al feudo, o *de universitate bonorum* negli altri patronati laicali.

Quod est intelligendum de iis dumtaxat causis quibus agitur de ipsa bonorum universitate, ejusque le-

---

(a) Nel tit. V. del lib. III. legg. civ. Le dipendenze della causa matrimoniale come le controversie sulla dote, sulle donazioni, alimenti e simili sono considerate come affari civili e provveduti da esse leggi.

Ex regula juris, Judex competens in principali, competenter jus dicat in accessorio. Hinc Judex Ecclesiasticus posset dicere de dote etc. uti jus sacrum docet cap. XV. de foro compet. sed ex Bened. XIV. ibidem, non ita ubi contrarium usu moribusque receptum est, scilicet, ut emergentes ejusmodi quaestiones Judici laico definiendae relinquantur.

(1) *Poliz. eccl. della giurisd. eccl.* §. 11. *sez. III.*

(2) *Cap. VI. art. IV.*

gitimo haerede, cui nonnisi simul, et bonorum possessionem et patronatum adipisci licet.

Novissimum concordatum ann. 1818. sic se habet (1). Causas ecclesiasticas . . . ad judices ecclesiasticos spectant . . . in foro eorum cognoscant etc. Causae ergo beneficiariae quae rem aut mere spiritualem, aut rei spirituali maximopere adnexam pertractant eidem foro tribuuntur. Collatio equidem beneficiorum, et ipsa institutio canonica redolent rem spiritualem; beneficium enim ecclesiasticum est perpetuum spirituale jus et obeundi aliquod officium in altaris ministerio, et ecclesiae famulatu; ac fruendi altaris ecclesiaeve fructibus; uti cum de beneficiis agemus enucleandum manet. Quoties ergo lites promoveantur de titulo beneficii ecclesiastici, an valida nimirum collatio sit, aut institutio canonica, et utri contendentium sit ea concedenda; itidem an bulla pontificia collationis sit necne ob vitium, quod saepe objicitur, subreptionis aut obreptionis, aliosque defectus exequenda, in foro solum ecclesiastico rite definiuntur. Quemadmodum et causae tam criminales quam civiles, ubi disputetur an sit clericus beneficio sibi collato privandus et deponendus; nam potestas adimendi jus spirituale ab ipsa conferendi potestate sacra profluit. Ita Gagliardi (2) qui subdit recte, quod causas etiam *de possessione* beneficiorum ecclesiarumque sive adipiscenda, sive retinenda, sive recuperanda forus ecclesiasticus *jure ordinario* cognoscit, et judicat, non uti spirituales, sed uti adnexas rei spirituali: quum possessio in mero facto sita, naturam nequeat spiritualem habere (a).

(a) In casu quo agitur de possessione nuda, vel mero facto circa causas ecclesiasticas, puta: an matrimonium inter has personas sit

(1) *Art. XX.* (2) *Lib. III. Tit. VII. de causis for. eccl.*

Jus tamen extraordinarium privilegii nimirum Apostolici, vel diuturnae consuetudinis dat non semel foro laico jurisdictionem in causis ejusdem possessionis beneficiariae ex traditis a Benedicto XIV. (1). Verum necessitas violentiae a possessionibus arcendae non raro trahit ad forum laicum; vim enim vi repellere et omnes leges et omnia cuique jura permittunt: unde Jo. Ferrara (2) et Guid. Papa (3) Martini V.

contractum, an ordo sit susceptus, iste homo sit clericus, num possederit beneficium: etc. quamquam jure scripto non sit in iis competens judex laicus (*) factum equidem magis spirituale, quam temporale habetur, et fere semper in quaestione facti, vel super possessione involvitur quaestio juris, DD. tamen sentiunt spectata consuetudine posse quoque a judice laico tractari. Ad haec vi capitulorum hujus regni, causae possessionis beneficiorum per vim turbatae quondam in S. R. Consilio, judicio ut ajunt summariissimo definiebantur. Et Altaserra (**) moribus nostris ait non incivile est judicem secularem cognoscere de possessione *retinenda*, vel *recuperanda* in beneficiis ecclesiasticis; salvo utique petitorio judici pontificio. De interdicto autem adipiscendae possessionis non consuevit judex secularis cognoscere: quia plus habet petitorii quam possessorii, plus spiritualis, quam temporalis. Et Emmanuel Consalez (***) modo exerceatur modeste, et sine cognitione articuli, qui petit juris controversi dispositionem, et qui cum plena causae cognitione apud superius tribunal ecclesiasticum examinandus sit; non solum non improbat Rota, sed aperte comprobat et laudat. Demum in supremo Aulico Consilio hujus regni confirmatum et approbatum principium, quo foro Episcoporum causae ecclesiasticae pertinere debent et in petitorio judicio, et in possessorio, cujus naturae sunt et illae liturgiae sacrae: ut in causa inter PP. Scholarum piarum, et Capitulum Cathedralis Ecclesiae Ruvens. decretum Regium sancivit ann. 1830. die 17. Junii.

(1) *De Synod. direc. L. VII. cap.* 75.

(2) *De jurib. et privil. Reg. Franc.* (3) *Dec.* 1.

(*) *Ex Clement. unic. de sequestr. et cap.* 12. *de sent. excomm.*

(**) *De jurisd. eccl. lib.* 3. *c.* 8.

(***) *In cap.* qualiter et quando 17. *de judic. n.* 7.

Bullam referunt, qua declarantur poenae ab eo sancitae in clericos quomodolibet conventos vel sese convenire patientes coram judicibus laicis, dicunt tamen non afficere illos in causis possessoriis, nec derogare quidpiam juribus moribusque regni Galliae, ubi contra clericos quoque in regia Curia cognoscuntur interdicta retinendae, vel recuperandae possessionis beneficiorum etiam Ecclesiasticorum. *Hanc praxim* scribit Consalez (1) *modo exerceatur modeste, et sine cognitione articuli, qui petit juris controversi dispositionem, et qui cum plena causae .cognitione apud superius tribunal ecclesiasticum examinandus sit; non solum non improbat Rota, sed aperte comprobat et laudat.* Ast abusum et excessum defensionis jura ipsa, etiam nostra municipalia Pragm. (2) improbarunt, ipsique DD. docuerunt locum illi extraordinario juri in clericos non esse, quoties aut sine violentia quispiam possessionem amiserit, aut dubia fuerit possessio, vel pateat injustitia, seu intrusio illegitimi possessoris; judiciumque tum jure ordinario exercendum pertinere ad forum ecclesiasticum (3).

Praeterea Jurispatronatus causae non jure communi tantum, sed et concordatorum, sicut et beneficiariae, immunitate gaudent a foro seculari, dicit concordatum Bened. antea excriptum.

Così saranno pure di privativa giurisdizione ecclesiastica le cause beneficiali, purchè non si tratti di juspatronati regii etc.

Ab eo non dissentit novissimum cum ecclesiasticas causas tribuit jurisdictioni ecclesiasticae (a).

(a) Apud Gagliardo vide vetustos mores hujus regni quibus
(1) *In cap.* qualiter et quando 17. *de judic.*
(2) *Sub. tit. de Conservatoriis Regina Johann. ann.* 1373.
(3) *Reg. de Ponte in ins. tract. de Regni capitulis; et alii.*

Verum etsi illud jus communiter ad profanos hæredes cum universitate profani partimonii transmittitur, et non spirituali inde patet adnexum; tamen juris Ecclesiae esse extra dubitationis aleam, quisque videt si jus idem patronorum nimirum deligendi et praeferendi beneficiarios, clericos, et praesbyteros observet concurrere cum spirituali jure episcoporum instituendi, et ordinandi praesentatos, eosque idoneos probandi promovendique uti arctatos ad clericalem gradum, sacrosque ordines beneficiis eisdem adnexos, quoties ea curam animarum habeant, aliudve ministerium sacerdotale (a). Propterea concludit i-

Regiae potestati judicium reservatum de regiis patronatibus; quemadmodum et de feudalibus Baronum quoties dubium erat, feudo ne adnexus, an non sit patronatus. Causae vero patronatuum laicorum in quibus agitur *de universitate bonorum*, quaeque ex Concordato adimunt ab Audientia Episcoporum sunt nimirum; si quis universum patrimonium suum aut haereditatem reliquit in dotem ecclesiae; aut benificii cum reservatione jurispatronatus; aut si haeres universalis, non peculiaris declarandus, qui successionem ad patronatum simul atque ad haereditatem postulaverit; et quotiescumque patronatus adnexus alicui nniversitati bonorum nequiverit sine ipsa bonorum universitate adipisci. Ex his nemo inficias ibit quod res singulae puta: praedia ex lega'o aliove titulo particulari quaesita, judicium de patronatu dubio, utrum sit illis an non adnexus, ad forum laicum non pertrahunt, uti idem Gagliardo advertit.

(a) Idem jus plura decreta et rescripta hujus regni post novissimum concordatum confirmarunt de beneficiis et jurispatronatu. Sane in rescripto 3. septembris ann. 1838. habetur « è » illegittima e priva di effetto, senza bisogno di essere impu» gnata la sentenza emessa da qualunque autorità giudiziaria » su la vertenza di un beneficio ». Sic in causis jurispatronatus canonicatus primicerii Cavae decretum 9. novembris 1819; et aliud 22. julii ann. 1826. in causa jurispatronatus Paroeciae casalis Barrae hujus civitatis. Item rescripto regio 16. januarii

» dem Gagliardi (1) « omnes de patronatibus locorum » quaestiones jure ordinario probatissimo definiuntur in curiis ecclesiasticis, nedum incidenter motae » in causis canonicarum institutionum, ubi suo quique » praesentato patroni ferunt patrocinium: sed etiam » principaliter et directe aut a laicis contra laicos » compatronos *de pertinentia*, ut dicitur, contendentes; aut inter Fiscum ecclesiasticum pro libertate » beneficii, et laicos pro sui patronatus *existentia* disputantes, ubi nulla pendeat causa institutionis (a). » Lex tamen ipsa concordatorum excipit ab hac regula *patronatus regios feudales* et *de universitate bonorum*.

Cappellaniae demum mere laicales, legata pia, et beneficia profana quae scilicet sine ullo consensu episcopi fundatores aut expresse, aut tacite noluerint ea conferri per canonicas institutiones, fori sacri non esse patet. Non enim naturam beneficii ecclesiastici sortiuntur. Ast fori hujus jus est compellere cappellanos clericos ad implenda onera missarum, aliave id genus, quae spiritualia sunt ex Panormitani sententia (2) quam advertit Selvaggi usu receptam esse. Ap-

---

ann. 1828. comparatum fuit, omnem litem de divisione lucri ecclesiastici ad forum episcopi pertinere, et alio 26. maji anno 1830. sancitum quod lis quaeque de privatione alicujus partis fructuum beneficii vulgo *puntatura* sit etiam ejusdem fori. Ad haec nullius effectus et illegitima dicta fuit quaevis sententia cujusque auctoritatis judiciariae civilis, in causis beneficiariis rescripto die 3. septembris ann. 1838. etc.

(a) Extat jure civili reale rescriptum ann. 1838. die 29. decembris quo prescribitur « che sino a nuova determinazione i » tribunali si astenessero dal giudicare su l' eccezione di pre» scrizione, che si oppone alla dimanda della chiesa. »

(1) *Loc. cit.* (2) *In cap.* Joannes de testamentis *n.* 7.

pendices ad patronatus ecclesiarum sunt sepulcra et jura funerum quibus patroni fruuntur. De his plura mox.

CONCLUSIO DECIMAQUARTA

Observanda de causis funerariis exponuntur, quas foro ecclesiastico convenire demonstratur.

Foro ecclesiae olim delatam politiam et jurisdictionem ecclesiasticae sepulturae constat; (a) religiosae sane fuerunt ipsis gentibus sepulturae. Ad Episcopos ergo etiam olim delata ecclesiasticae sepulturae politia, eam vel dignis concedentes vel impoenitentibus et indignis negantes: tametsi novo jure decretalium cunctis generatim fidelibus usque adeo patuit ecclesiastica sepoltura, ut alio in loco minus religioso electa improbetur. Concordatà superius dicta imo et his antiquiora disciplinae huic favent. Hinc noster Selvaggi eamdem explicans ait (1) « ecclesiastici juris est decernere » quibusnam indulgenda vel neganda ecclesiastica se-

(a) Quoadusque prioribus seculis cogebantur christiani, salva fide, leges moresque gentilium vel judeorum sectari, extra urbes ii etiam sepulti sunt. Constantinus M. primus omnium sibimet in atrio, et vestibulo CPolitanae Basilicae Ss. Apostolorum ab ipso aedificatae sepulcrum extruxit uti narrat Eusebius in ejus vita (*) Anastasius bibliotecarius in vita S. Marcelli P. et M. qui sedit ineunte seculo IV. fert, ipsum Pontificem *constituisse in urbe vigintiquinque titulos idest Ecclesias propter baptismum et poenitentiam eorum qui converterentur ex paganis, et propter sepulturam martyrum.* Nondum ergo indulgebatur cunctis fidelibus tunc intra ecclesiam sepultura, quae sensim exinde usu invaluit IV. et V. seculo.

(1) *Tit. V. lib. III.*

(*) *Lib. 4. c. 60.*

» pultura sit, controversias de electione sepultu-
» rae exorientes definire, tempus efferendis, hu-
» mandisque fidelium cadaveribus designare, ac de-
» mum de usu crucis parochialis, de abusionibus,
» quae a clericis hoc in capite forsan inducantur,
» de juribus funerariis inter ecclesias, ecclesiasticos-
» que distribuendis aliasque id genus controversias
» cognoscere ac terminare (a) ».

Hoc quoad suicidium comprobatum fuit regio decreto 10. octobris ann. 1826. quo sancitum est:

1.° Nei casi di suicidio rimane alla determinazione del proprio parroco il negare o l'accordare la sepoltura ecclesiastica al cadavere secondo che il suicidio sia stato volontario, ovvero non tale ai termini delle disposizioni canoniche.

2.° Dovrà il proprio parroco se la sua determinazione sia stata negativa, avvertirne immediatamente quell'autorità, che si trovi nel rispettivo comune incaricata delle funzioni di agente di polizia.

Quid postea agendum statuitur

3.° Sarà libero a'congiunti del suicida al quale sia stata dal parroco negata la ecclesiastica sepoltura, ed a chiunque altro il reclamare fra il termine di quindici giorni avverso la determinazione del parroco suddetta presso l'ordinario della rispettiva diocesi, il quale dovrà nel termine di un mese risolvere definitivamente, o rivocando o confermando la disposizione del parroco, e darne immediatamente notizia alla stessa autorità di polizia.

Modus, quo id faciendum sit, inde praescriptum

4.° Le disposizioni contenute nei precedenti articoli saranno comuni per coloro che muojono da publici impenitenti, rifiutando volontariamente di ricevere gli ultimi sagramenti.

(a) Lege Gagliardo lib. III. t. VII. §. 28. et seq. De sepulturis et funerum jurib.

CONCLUSIO DECIMAQUINTA

Vi eorumdem concordatorum quae causae criminales fori ecclesiastici sint, exponitur.

Crimina quae vel adversus fidem sunt, religionem, sacramenta etc., et ad causas mere ecclesiasticas pertinent; vel rempublicam laedunt et profanae causae dicuntur. Puta: homicidium furtum etc. vel communes causae demum habentur quae religionem simul offendunt et rempublicam uti adulterium, perjurium blasphemia etc.

Jure concordatorum Benedictini et Caroli III. in duas classes crimina ad forum ecclesiasticum pertinentia distinguuntur. In priori sunt haeresis, laica missae celebratio, confessionum auditio, sacri ordinis functio, poligamia: quae crimina quia continent errores in doctrina fidei, aut sacramentorum nefarium abusum, solius ecclesiae externo judicio plectuntur, cum plena facultate laicos nedum spiritualibus, sed et temporalibus etiam corpus affligentibus poenis corripiendi, eosque in carceres rapiendi, trudendique; nullamque in his judicibus laicis cognitionem permittit, quamvis, incidentem ipsa concordatorum lex, quae sic se habet (1).

Oltre alle materie di fede, ed a'delitti di eresia, che non si controverte, che siano di privata cognizione de' Vescovi, i laici i quali avranno la sacrilega temerità di celebrare la santa Messa, o di esercitare altre funzioni all'ordine sacro appartenenti, o di ascoltare le sacramentali confessioni, saranno privativamente processati, e puniti dalla sola potestà ecclesiastica. La cognizione del delitto di poligamia parimente apparterrà alla sola potestà ecclesiastica.

---

(1) *Cap. VI. art. I.*

In posteriori autem classe cetera sunt peccata et crimina cum scandalo, et praecipue sacrilegium, adulterium, concubinatus, usura, blasphemia, festorum violatio, testium falsitas, contumacia et si quae sunt alia, quae poenis tantum spiritualibus ab ecclesiastica potestate, corporalibus autem et pecuniariis ita cumulate compescuntur, ut ecclesiastici processus, laici judicii cursum non impediat, et viceversa. Ipso enim Concord. habetur (1).

Oltre a suddetti casi non potrà porsi impedimento alcuno a superiori ecclesiastici di procedere contro i laici secondo la disciplina della chiesa e le regole canoniche, con sole pene spirituali, anche di censure, contro de' peccatori pubblici e scandalosi, e precise contro de' sacrileghi, degli adulteri, de' concubinarii, degli usurari, de' bestemmiatori e cose simili (2). Con dichiarazione finalmente che ne' delitti come di furto della sacra Pisside con le particole consegrate, di bestemmie, e simili se dal processo risulterà, che il reo laico sia sospetto di eresia, dovrà il giudice laico, secondo quello che fin ora si è praticato, e si pratica in Regno, rimetterlo al giudice ecclesiastico, *ut procedat super haeresia*; dal qual giudice ecclesiastico proferita che egli avrà la sua sentenza, o assolutoria *ab haeresi*, o condannatoria, dovrà poi con la solita protesta del cap. *Praelatis de homicidio* in 6. consegnarsi il reo al giudice laico *ut procedat ad ulteriora* (a).

(a) Haec protestatio nimirum: quod non ad vindictam, poenamque sanguinis tendat sua ejusmodi traditio. Eam imperavit cunctis praelatis Bonifacius VIII. dum reos ii quoslibet capitalium criminum sive clericos sive laicos tradunt judici laico. Non praetermittendum ducimus hic monere, quod hujus concordati beneficio eliminatae fuerunt contentiones olim acerrimae ac frequentes de causis communibus religionem scilicet et rem publicam laedentibus, quas tertio loco significavimus su-

(1) *Art. V. ivi.*

(2) *Art. VI. ivi.*

Quod vero spectat personas clericorum, animadvertendum jure communi, quaedam ab iis atrociora crimina patrata foro saeculari subjici; puta: cum clericus in sacris constitutus sine habitu clericali et tanquam e coetu laicorum incedens incorrigibilis post trinam monitionem episcopi declaratur (1). Assassinus clericus sive mandans sive mandatarius, ejusque fautores, ubi satis de crimine constiterat, nec ulla vel depositionis, vel degradationis sententia aut solemnitate opus erat (2). Sic jure ipsius concordati Benedictini habetur (3).

Rispetto al delitto dell'assassinio commesso da qualunque chierico, o altra persona ecclesiastica, prevenendo il giudice laico nella cattura dell'inquisito potrà ritenerlo *nomine ecclesiae* nelle carceri laicali e formare il processo: ma prima di procedere alla sentenza ed alla esecuzione della medesima, dovrà aspettare la declaratoria del tribunale misto *super qualitate assassinii*, la quale dovrà darsi dal medesimo, veduto il processo fatto dalla curia laicale, *servatis servandis*, e sentito il reo nelle sue difese: per lo quale effetto dovrà dalla curia laicale esibirsi il processo al suddetto tribunale misto dentro lo spazio di mesi quattro (4). Trovandosi qualunque persona ecclesiastica con robba di contrabando, non sarà lecito alle curie e ministri laicali di arrestarne, o carcerarne la persona (a).

---

pra, criminum species distinguentes; Tridentini enim decretis (*) et decretalium canonibus (**) adversabatur politia regui.

(a) In reali actione dumtaxat, foro laico subjiciebantur. Id quod et jus decretalium videtur permittere (***).

Articulis sequentibus agitur de episcoporum domesticis et fa-

(1) *Cap. XXV. et XLV. de sentent. excomm.*

(2) *Conc. Lugd. c. 5. de homicid. in 6.*

(3) *Cap. III. sess. III.* (4) *Art. IV.*

(*) *In cap.* grave peccatum est 8. *sess.* 24. *de reform. et in cap. quamvis excommunicationis gladius* 3. *sess.* 25. *de reform.*

(**) *Greg. IX. in cap.* statuimus 3. de maledicis, in blasphemas *poenitentias canonicas inflixit praeter mulctam* 40. *vel* 70. *vel* 20. *solidorum et alibi.* (***) *Cap.* 1. *de alienat. Judicii.*

Post regni hujus restaurationem de immunitate quae jam magnam passa erat jacturam, concordati novissimi jam cautum citato articulo: « Archiepiscopi et » episcopi in exercitio eorum pastoralis ministerii » prorsus liberi erunt secundum sacros canones. . . . » In clericos reprensione dignos aut honestum cle- » ricalem habitum eorum ordini et dignitati con- » gruentem non deferentes, poenas a S. C. T. statu- » tas, aliasque quas convenientes judicaverint, *sal-* » *vo canonico recursu* infligent, eosque in semina- » riis et domibus regularium claudent: censuris quo- » que animadvertent in quoscumque fideles ecclesia- » sticarum legum, et sacrorum canonum transgres- » sores ».

Ad haec ex amica conventione inter regnantem summum Pontificem Gregorium XVI. et regem nostrum', quos Deus bono ecclesiae et regni felicitati semper sospitet ann. 1834. die 16. aprilis sancitos habemus articulos quinque scilicet.

Art. I. « In avvenire gli Ecclesiastici o i Religiosi non saranno più condotti sia in casa di arresto, sia in una prigione che in tempo di notte, o in legno, o coperti di mantello per nascondere agli occhi del pubblico il loro abito ecclesiastico.

Art. II. Gli Ecclesiastici saranno detenuti in prigioni particolari per quanto lo permetteranno le località, ed i condannati saranno chiusi in un ergastolo destinato a riceverli.

Art. III. » Non si faranno mai arresti nelle Chiese durante il servizio Divino, nè senza prevenirne il Curato, il Priore, in una parola il Superiore della Chiesa, nella quale si fosse rifugiata la persona colpevole.

Art. IV. » Ogni Vescovo potrà avere nel suo Episcopio una

---

mulis aliisque curiae episcopalis officialibus quoad fori ipsius exemptionem puta: Cancellario, Cursoribus etc.

prigione o camera di correzione per gli Ecclesiastici che crederà di dover fare arrestare e punire.

Art. V. » Il Governo non domanderà ai Vescovi la degradazione di un Ecclesiastico condannato a morte senza prima comunicar loro la sentenza di condanna, in cui devono esser riferiti tutti i documenti del processo che comprovano il reato. Non trovando i Vescovi osservazione a fare su tali elementi verranno, senza ritardare inutilmente il corso della giustizia, all' atto di degradazione, invocando in favore del paziente la commiserazione del Sovrano, giusta i dettami del loro istituto. Quantevolte poi ritrovassero nel processo gravi motivi in favore del condannato, li rassegneranno a Sua Maestà. I rilievi fatti dal Vescovo unitamente ai documenti che ha avuti presenti, saranno d'ordine di Sua Maestà rimessi alla discussione di una commissione composta di tre Vescovi con facoltà Apostolica approvati da Sua Santità sulla proposta del Re del doppio del numero bisognevole, e di due Assessori laici con voto consultivo, la quale deciderà inappellabilmente su i rilievi suddetti. Se la commissione troverà mal fondate le ragioni addotte dal Vescovo, ne avvertirà subito il medesimo, perchè proceda senz'altra replica ed esitazione all' atto della degradazione, e ne farà nel tempo medesimo prevenzione al Governo per sua intelligenza. Qualora poi la commissione troverà fondati i rilievi fatti dal Vescovo, ne rassegnerà motivato rapporto a Sua Maestà raccomandando il condannato alla clemenza Sovrana.

CONCLUSIO DECIMASEXTA

Privilegium competentiae exponitur

Privilegium in hoc situm est, quod clerici, si solvendo non sint, etiam a proprio judice non possunt mancipari carceri, vel excommunicari (1), nec cogi, ut plus solvant quam possint subducta competente substentatione. Non enim ex concil. Trident.

(1) *Cap. Odoardus* 3. *de solut.*

decreto (1) decet eos qui divino ministerio adscripti sunt cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quaestum exercere. Quod DD. etiam inferunt ex eodem privilegio competentiae militibus seculi, etiam ob merita in rempublicam tributum jure civili; (2) equidem clerici, ajunt, universe gaudent privilegiis militaribus ab eorum statu non abhorrentibus, passim enim dicuntur Deo (3) militare.

De hoc non est cur longius dicamus. Adeat Consalez in cit. c. *Oduardus* qui magis illum interpetratum amat.

CONCLUSIO DECIMASEPTIMA

Qui ordines et status sub generali nomine clericorum comprehenduntur, cum de privilegio fori agitur, declarantur.

Quoniam clericorum appellatio generatim omnes in sortem Domini vocatos, et divinum aliquod officium, ministerium, famulatum in ecclesia obeuntes complectitur (4) hinc non solum in majoribus seu sacris ordinibus constituti, etsi nec beneficium habeant, nec tonsuram aut habitum gestent, gaudent hoc privilegio; sed et omnes etiam in minoribus constituti, aut prima tonsura initiati, si beneficium habent, tametsi habitum et tonsuram non fe-

---

(1) *Sess. XXI. c. 2. de reform.*

(2) *Leg. 6. et 18. D. de re judicata, et l. 7. D. de castrensi peculio.*

(3) *Timoth. II. 4 c.* reprehensibile 19 *XXIII. q. 8.*

(4) *S. Hyeronim. in can.* duo sunt 7. *c.* 12 *q* 1.

rant. Si beneficium non habent fruuntur privilegio sub hac duplici conditione, si habitum clericalem, et tonsuram deferant, et alicui ecclesiae ex mandato episcopi inserviant, vel in seminario clericorum aut in antiqua schola, vel universitate de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendos versentur (1). 2.° Clerici conjugati si habitum, et t nsuram deferant, ac alicujus ecclesiae ministerio ab episcopo deputati sunt, duxeruntque unicam, eamque Virginem, talem nimirum quae communiter reputatur Virgo, aut ab alio quam ab ipso violata non sit, etiam gaudent privilegio fori in criminalibus, non in civilibus (2). 3.° Regulares utriusque sexus licet sint laici, in quorum numero sunt novitii, fratres, sorores tertii ordinis, si habitum gestent, et vivant in communi: eremitae in commune viventes, secundum modum ab episcopo approbatum, et ab eodem ad ecclesiae cujusdam servitium deputati, habitumque eremiticum gestantes (3),

CONCLUSIO DECIMAOCTAVA

Qui clerici privilegiis privantur enucleatur.

Fieri potest ut penitus, vel ex parte privilegia sua amittant clerici tum ob delictum, tum ob conditiones ab ecclesia praescriptas et non observatas: et 1.° contingit hoc minoristis, et clericis conjugatis ut in precedenti conclusione notavimus. Bigami

(1) *Concil. Trid. sess. XXIII. c. 6. de reform.*
(2) *C. un. de cler. conjug. in 6. et Trid. sess. 25. c. 6. de ref.*
(3) *Can. 38. XI. q. 1. c.* clericis 3. *de imm. eccl. in 6.*

vero nudantur omni privilegio, ut etiam sub anathemate prohibeantur deferre tonsuram vel habitum clericalem (1). 2.° Clerici qui dimisso habitu enormitatibus se immiscent, hoc est latrociniis, assassiniis; tyrannidi, apostasiae etc. non gaudent privilegio canonis (2); fori privilegio DD. putant illos etiam privari. 3.° Qui post trinam monitionem episcopi, nisi resipiscant, privilegium omne clericale amittunt, nimirum: publice et personaliter officium macellariorum, vel tabernariorum obeuntes (3), qui artem ignominiosam mimi, histrionis, joculatoris exercent: idque si faciunt anno integro, ipso jure perdunt privilegium clericale (4), qui relicto clericali habitu arma militaria gestant (5), qui alias neque habitu neque tonsura neque negotiorum qualitate clericos se exhibent (6) cujus rei ipsum jus rationem affert. *Frustra clericalis fori privilegium labiis allegant, qui factis paulo ante negaverunt clericatum: et privilegium meretur amittere qui permissa sibi abutitur potestate.*

4.° Qui servato habitu et tonsura clericali, negotiationes seculares exercet, tertio commonitus, immunitatem quoad bona sua non habet juxta Decretales quae illam donabant et civile jus antiquum. 5.° Depositos et degradatos exui omnibus privilegiis ex ipsa poena patet.

---

(1) *C. un. de bigam. in* 6.

(2) *Ex c.* 14. *de sent. excom. et c.* 23. *eodem et c.* 1. *de homicid. in* 6. *et c.* 1. *de apostatis.*

(3) *Clement. I. de vita et honest.*

(4) *C. un. de vita et honest.*

(5) *C.* 25. *de scan.*

(6) *De sent. excom. c.* 45.

CAPUT QUARTUM

DE SACRA HIERARCHIA.

CONCLUSIO UNICA

Natura sacrae hierarchiae enodatur, distinguitur, ac vindicatur.

Ecclesia sacro regimine fundata est, ut sit maneatque una sancta catholica et apostolica, jam demonstratum fuit (1) (a). Hierarchia ergo opus habet, quae, ut ait S. Maximus, est principatus ac velut cura ordinandorum sacrorum, sicut Hierarca dicitur qui sacris praeest eaque curat et dirigit. Vel ut aliis placet hierarchia coetus est seu ordo praesidum et sacrorum ministrorum ad regendam ecclesiam gignendamque in hominibus sanctitatem divinitus institutus atque ecclesiae essentialis. Re quidem vera hoc corpus fidelium ut unum sit, et sanctum; ut se teneat catholicum et apostolicum illo ordine praesidum opus

(a) Ipse Leibnitz homo heterodoxus duce ratione ait: « cum » Deus sit Deus ordinis, et corpus unius ecclesiae catholicae et » apostolicae uno regimine hierarchiaque universali continendum » juris divini sit, consequens est; ut ejusdem sit juris supremus » in eo spiritualis magistratus . . . . directoria potestate eaque » necessaria ad explendum munus pro salute ecclesiae agendi » facultate instructus.

(3) *Tom.* 1. *concl.* 1. *cap.* *V*.

habet, quibus gratiam divinam adipisci possit, et regimen unum teneat, quod a Christo institutum fuit, principatu nimirum qui clericis transmittitur solemni religione consecratis, sive sacra ordinatione, vel ut clarius dicam Sacramento Ordinis (a). Quod etsi unum, varios tamen habet potestatis, et dignitatis gradus; quae quidem vel ad Christi corpus verum in Eucharistia refertur, et complectitur omnia quae eam sacro ministerio spectant (1) atque potestas ordinis dicitur constans episcopis presbyteris et ministris (b); vel circa corpus ejusdem Christi mysticum tota versatur et potestas jurisdictionis vocatur, quam praecise corpori episcoporum dedit Christus cum, et sub primatu romani Pontificis (c). De hierarchia ordinis ne dicta repetamus, cum de sacramentis erit dicendi locus disserendum relinquimus, de hierarchia jurisdictionis mox sequentibus conclusionibus.

(a) Ordo si vim propriam ejus et notitiam accipimus, dispositio est superiorum, et inferiorum rerum, quae inter se aptae sunt, ut unum ad alterum referatur. Cum vero in sacro ministerio multi sint gradus et variae functiones, omnia tamen certa ratione distributa et collocata, recte et commode ordinis nomine sacramentum hoc distinguitur.

(b) Sunt quidem functiones et ministeria sacra ad quae tota episcopalis ordinis dignitate opus haud est; quae tamen magnum ministrorum numerum poscunt et ob frequentiam, et ob multitudinem credentium; fuerunt proinde inferioris gradus sacerdotes a Christo instituti, atque officia arctioribus constricta limitibus ut dignitas episcopalis quia vilesceret multitudine, sic videretur maxima.

(c) Cum non ingens episcoporum numerus ob ipsam ecclesiae per amplissimam locorum distantiam et regionum, non potuerit esse satis, hinc factum est ut inter ipsos inducerentur gradus am-

(1) *D. Thom. in* 4. *Dist.* 24.

CAPUT QUINTUM

DE JURISDICTIONE IN GENERE.

CONCLUSIO PRIMA

Natura jurisdictionis sacrae explicatur (a).

Jurisdictio quae a jure dicendo est secundum aequitatem jurisque regulas, tamquam praecipuo publicae potestatis officio: definitur facultas alicujus auctoritatem et eminentiam super alios habentis ad eorum regimen et gubernium. Haec si versetur circa causas

---

plioris, vel minoris jurisdictionis, ut sic inferiores ministri per medios, ac medii per superiores in commune unitatis centrum traherentur, et ecclesiae principatus claresceret magis.

(a) Etsi primum fuisse constat Gregorium Magnum, qui nomen jurisdictionis usurpavit (*) quod deinde in Jus Canonicum invectum reperitur, praesertim ubi clerici romani juri operam navarunt; semper tamen vocabulo *auctoritatis*, aut *potestatis* patres usos fuisse comperimus. Et consentit ipse Justinianus (**) qui Episcopo tribuit dicaeologian h. e. jurisdictionem in monasteria, aliaque loca religiosa. Ceterum jurisdictio ampliorem significationem habet in jure canonico, quam civili. In eo sane omnem potestatem ligandi, solvendi, docendi, tum et jus decernendi, puniendique denotat (***). Hujus jurisdictionis Christus fuit auctor, qui Petro dedit claves regni Coelorum, et Apostolis

(*) *Lib. XIV. epist. 8. ad Bonifac. diacon. CPolitan.*
(**) *Novell. CXX. cap. VI.* §. 11.
(***) *Clement. unic. de foro compet.*

ad Dei cultum, et animarum salutem pertinentes dicitur ecclesiastica, quae brevius definiri posset, potestas gubernandi subditos in ordine rerum ad salutem pertinentium. Diximus : 1.° *potestas gubernandi* seu pascendi vel regendi, quo colligi possit non esse simplicem honoris praerogativam aut praeminentiam; sed et praecipiendi, prohibendi, permittendi, legesque ferendi potestatem comprendere 2.° *subditos. Quid*, ait Apostolus (1) *mihi de his qui foris sunt judicare.... Eos qui foris sunt Deus judicabit*. Sine subditis enim nulla auctoritas (a).

3.° *In ordine ad salutem*. Habetur ex hoc distinctio sacrae a civili jurisdictione scilicet ex fine, institutione, et existentia quae comprendunt omnia essentialia sacri magistratus cui solus illa commissa

---

insimul cum Petro potestatem ligandi atque solvendi. Nobis heic potius ut explicemus illam manet, jam enim et probata atque vindicata habetur superiori volumine, atque vindicabimus deinceps cum de personis in specie dicemus, et de judiciis.

(a) Nomine subditi nisi qui baptismum receperit non intelligitur. Trid. (*) *Ecclesia* inquit *in neminem judicium exercet qui non prius in ipsam per baptismi januam ingressus fuerit*. Nunquam ob id in ethnicos ecclesia jurisdictionem vindicavit nec exercuit. In chatecumenos vero stricte loquendo, posset probationibus illos subjicere diversis, quas libere est eis suscipere.
Haereticos vero schismaticos atque excommunicatos utpote sacro baptismate initiatos, quia eisdem jus manet quoddam radicale ad participationem sacramentorum aliorumque bonorum spiritualium; subditos esse ecclesiae, a cujus potestate quia extorres subduci certe non possunt, nemo inficias ibit. Quis etenim Principibus jus denegat quo cogere possunt desertores ad castra relicta repetenda? Ad officia ergo quorum curam habet ecclesia illos recte adigit. Sed de his alibi dictum jam fuit.

(1) I. *Cor. V*. 12.

(*) *Sess. XIV. c.* 2.

fuit, et a quo ipse clericus opus habet admitti in usum et exercitium jurisdictionis ipsius. Demum ex officiis et obligationibus ejus, quae respiciunt gratiam eorum qui pascendi sunt ad aeternam salutem ipsa elucet distinctio, Apostolo praecipiente (1): *Obedite praepositis vestris... ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

CONCLUSIO SECUNDA

Potestas jurisdictionis licet cum illa ordinis connexa ab ea distinguitur et distat.

Rem in medio sic D. Thomas ponit (2) « Duplex » est spiritualis potestas, alia sacramentalis, alia ju» risdictionalis. Sacramentalis potestas per aliquam » consecrationem confertur: omnes autem consecra» tiones ecclesiae sunt immobiles, manente re quae » consecratur; sicut etiam patet in rebus inanima» tis, altare etc. Et ideo talis potestas remanet secun» dum suam essentiam in homine, qui eam est ade» ptus, quamdiu vivit, sive in schisma, sive in » haeresim labatur, quod patet ex eo quod rediens » ad ecclesiam non iterum consecratur. *Tamen hae» retici, et schismatici* usum potestatis amittunt, ita » scilicet quod non liceat eis sua potestate uti: si » tamen usi fuerint, eorum potestas effectum habet in » sacramentalibus, quia in his homo non operatur » nisi sicut instrumentum Dei: unde effectus sacra» mentales non excluduntur propter culpam quam» cumque conferentis sacramentum.

(1) *Hebr. XIII.* 17. (2) 2. 2. *q.* 39 *a.* 5.

» Potestas autem jurisdictionalis est quae simplici » injunctione hominis (missione) confertur; et talis » potestas non immobiliter adhaeret: unde in schis- » maticis et haereticis non manet; unde nec absol- » vere possunt, nec excommunicare, nec indulgen- » tias facere, aut aliquid hujusmodi; quod si fece- » rint nihil est actum. »

Non est ergo cur Febronius vafer homo dicat, jurisdictionem episcopalem ab ordine separare, *dilacerationem esse episcopalis dignitatis a Christi instituto alienam, easque dissociare et inter se quodammodo discernere sit piaculum.* Et revera, num sacerdos absolvens quem sibi subditum non habet, deficiente sibi nimirum jurisdictione, valide absolvet? etenim si confunderetur potestas ordinis cum illa jurisdictionis praesertim in sacramento poenitentiae hoc esset. Idem Tridentinum (1) contra eum jampridem docuerat: «Quo- » niam natura et ratio judicii exposcit ut in sub- » ditos sententia feratur, persuasum semper in ec- » clesia fuit nullius momenti absolutionem eam esse » debere, quam sacerdos in eum profert in quem » non habet jurisdictionem. »

Ad haec, objectum potestatis ordinis sunt consecrationes, sacramenta, sacrificium, preces publicae, quae nec alicui communicari possunt qui non habet ordinem; potestas vero jurisdictionis regimen spectat et ei etiam communicari potest, qui ordines non habet. Hinc et prima etiam manente, haec imminui, augeri, vel etiam tolli potest. Deinc episcopis qui loco renuntiarunt, depositis vel degradatis nulla manet jurisdictio, quam tamen habent episcopi electi

(1) *Sess. XIV. c.* 7.

et confirmati etsi non consecrati. Verum qui loco et dignitati cesserunt, etsi nec quae ordinis potestatis sunt licite, valide tamen exercent (a).

CONCLUSIO TERTIA

Ratione actuum quos exercet jurisdictio dividitur et explicatur.

Jurisdictionis actus vel in interiorem exercentur, sive foro interno; vel in exteriorem seu foro externo (b): illud vocatur etiam forum poli, et conscientiae; hoc forum fori. Est autem jurisdictio fori interni, potestas regendi conscientiam fidelium de internis, ac secundum propriam allegationem, et spectat praecipue poenitentiae sacramenti administrationem: jurisdictio fori externi est, quae ad regimen refertur fidelium, prout sunt visibilis societatis membra, et per actus publicos ac manifestos exercetur (c).

Haec vero subdividitur in gratiosam seu voluntariam, et contentiosam: voluntaria est quae nonnisi

---

(a) Actus possunt esse validi sed illiciti, eo quod fiant sine jurisdictione, aut absque concessione, aut saltem tolerantia illius qui habet jurisdictionem, puta: sacramentorum administratio, poenitentiae illo excepto. verbi Dei praedicatio, coeremoniae, praecesque publicae etc. Et sane eorum substantia non supponit in agente potestatem regiminis: illiciti tamen quia non reguntur ab eis quibus commissum est gubernium fidelium quatenus membrorum sacrae societatis.

(b) Forum significat tribunal ubi judiciaria potestas exercetur.

(c) Jurisdictionis externae in ecclesiasticam et civilem divisionem praetermittendam, quia nostro argumento alienam, ducimus.

in volentes exercetur (a), nec partem contradicentem admittit. Hanc praelatus exercens, vel renuens exercere, non tenetur suae voluntatis rationem reddere. Hinc non datur appellatio ab actibus ejus puta: absolvere a censuris, administrare sacramenta, dispensare etc. Haec jurisdictio in causis propriis exercetur etiam, cum non indigeat cognitione causae. Dicitur vero etiam gratiosa quia plerumque pro objecto habet gratiam conferre v. gr. beneficiorum collationem, officiorum distributiones, facultatum concessiones etc. (b). Jurisdictio contentiosa est quae etiam in invitos exercetur, et praesertim causas definiendo qua civiles, qua criminales. Hinc discrimen inter

---

(a) Excipe tamen aliquos actus quibus denegari se non possunt Episcopi, uti institutionem presentati a legitimo patrono, cui aliter tenetur rationem reddere, et appellatio etiam concessa est a sua sententia ad tribunal superius. Quoniam vero facultates et gratias aut denegare potest superior, aut concessas revocare quando speciali lege non est interdictum v. gr. revocare facultatem audiendi confessiones a sacerdote approbato, cujus actus nec tenetur reddere rationem, ob id jurisdictio voluntaria intelligitur exerceri etiam in invitos; etsi et hi volentes dici possint 1.° quia gratias postulantes sponte se huic jurisdictioni subdiderint: 2.° quia deest in iisdem actibus coactio, vis, comminatiove poenarum.

(b) Potestas ferendi leges libet et huic voluntariae jurisdictioni tribui, quamvis aliquibus arrideat contentiosae referri; non enim requirit fori strepitum aut judicialem apparatum: Ita et de potestate quae dicitur coercitiva, sive *modica coercitio* qualis patri in filios, magistris in discipulos etc. legibus romanis tribuebatur, illa nimirum emendandi subditos in levioribus delictis sine solemnitate judiciorum; sed ut dicitur *in plano* extra tribunal. Haec censetur competere superioribus regularium quibus deest contentiosa jurisdictio: imo plura capitula, aliaeve communitates in sua membra vindicarunt (*).

(*) *Lege. ep.* 22 *Augustini ad Marcellinum, et Conc. Trid. Sess. XIII.*

utramque; quod haec extra proprium territorium exerceri non potest, nisi consentiant expresse ipsae partes, juxta illud juris romani canonizatum (1): *extra territorium jus dicenti non paretur impune*. Voluntaria non ita; nam saltem regulariter extra territorium potest exerceri non tantum valide, sed etiam licite. Dixi regulariter, nam Episcopus non potest in aliena dioecesi sine licentia ordinarii etiam suis subditis conferre Ordines, aut sacramentum Confirmationis; nec Parochus nuptias solemniter et publice benedicere etc.

CONCLUSIO QUARTA

Ratione modi quo acquiritur jurisdictio distinguitur.

Jurisdictio vel acquiritur immediata, scilicet ut exerceatur per se et *generaliter*, independenter a causis necessitatis extraordinariae; vel mediata et est qua actus sui exerceri non possunt in territorium, in plebem, nisi deficiente, aut negligente, aut perperam agente pastore immediato: sic metropolitanus non habet jurisdictionèm immediatam in eos qui pertinent ad dioeceses suffraganeorum. Immediatam esse Pontificis Romani in singulas orbis dioeceses, cum de eo tractatum statuimus argumentis demonstrabimus.

Ordinaria insuper, vel delegata est jurisdictio. Prima jure proprio habetur, seu ratione officii et dignitatis quam possidet quis ex lege, canone, vel consuetudine (a). Jus civile (2) concordat de eadem dicens: *Qui*

(a) Ordinarius dicitur simpliciter qui possidet jurisdictionem fori externi praesertim ad universalitatem causarum. Et hoc no-

(1) *C.* 2 *de constit. in* 6. (2) *L.* 5 *et* 6 *ff. de jurisdict.*

eam jure suo, non alieno beneficio habet. Inde nomine proprio exercetur. Delegatam vero dicimus quam solum ex commissione alterius quis habet, et cujus vices gerit delegatus ut illum repraesentet, atque adjuvet. Haec proinde censetur territorii limitibus omnino constricta; etenim in adjutorium possidentis instituta, non dat proprie subditos, uti jurisdictio ordinaria, quae afficit magis personas. Verum enim vero nonnumquam delegatio seu commissio generalis est ita, ut efficiat statum permanentem, officium ecclesiasticum, dignitatem, cui jus annectitur repraesentandi superiorem. Ideo plura jure canonico in prima institutione erant merae delegationes, postea reputata sunt habere jurisdictionem ordinariam; atque aliquando sacri canones eorum jura et prerogativas praefixerunt. Tales sunt officiales, vicarii generales, poenitentiarii Episcopi, legati, et poenitentiarii Pontificis.

---

mine intelligitur in statu ecclesiastico 1.° Papa per totum mundum constitutus per verba *Pasce oves meas:* (*) Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi (erga subditos suorum suffraganeorum, tunc tantum quando actu visitant): 2.° Episcopus et Vicarius generalis qui unam cum Episcopo personam efficere ac unum tribunal censetur. 3.° Praelati exempti qui jurisdictionem quasi episcopalem exercent in certis territoriis. Et quoniam Parochis fori externi potestas non est, ordinarii non sunt: quod et ex Trid. (**) patet, aliam distinctam Parocho tribuente, aliam ordinario reservante. Sed de his, cum de personis in specie manet disserendum.

(*) *Joann.* 21.
(**) *Sess. XIV de reformat. matrim. c.* 1.

CONCLUSIO QUINTA

Titulus ad jurisdictionem necessarius enucleatur et defenditur.

Titulus est ea ratio, ex qua intelligitur justitia et legitimitas actionis: jurisdictionis ergo exercitium sicut et cujuscumque juris fundatur *titulo*, ita ut titulus verus et legitimus, jurisdictionem legitimam reddit (a). Ast et titulo colorato, modo adjungatur error communis convenit validos reddere actus illius qui eo potitur; quamvis exercens eos cognosceret defectum, quem caeteri ignorant. Nam ex benigna interpetratione praesumitur hoc casu ecclesiam supplere jurisdictionem ob bonum animarum. Hoc quod jure Romano constat, in ecclesiastico etiam cautum est (1). Ita enim inter alia decreta habetur: *Si servus, dum putatur liber, ex delegatione sententiam dixit, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta, rei judicatae firmitatem accipit*. Et celebri decreto: *Ad evitanda scandala dicitur quod nemo a Sacramentorum administratione aut receptione; aut aliis quibuscumque divinis, intus et extus, praetextu cujuslibet censurae ecclesiasticae tenetur abstinere, nisi sententia fuerit de-*

(a) Titulus est *verus* quando omnes habeat conditiones requisitas: est *coloratus* quando de se aptus esset ad jus conferendum, nisi laboraret subjectum aliquo vitio occulto, quo redditur incapax ex. gr. quando superior legitimus excommunicato concedit jurisdictionem, invalida est haec concessio ob defectum, qui est in accipiente, sed non cognoscitur publice: est *fictus* quando falso supponitur ab eo concessus, qui potest concedere.

(1) *P. III. q. 7 c. 1.*

nunciata specialiter et expresse. Unde colligunt DD. validam esse Sacramentorum administrationem, licet conferantur a sacerdote iis ligato censuris, quae solo facto incurruntur. Ecclesia igitur supplet omnem defectum, et medetur incapacitati, modo non sit ea immedicabilis, quod contingeret si esset juris Divini aut naturalis incapacitas, puta: ei qui non accepisset sacerdotium, non posset conferri jurisdictio in foro poenitentiae exercenda.

Num vero ex solo errore communi ecclesia suppleat jurisdictionem, quamvis communior sententia neget; probabilis contraria dicitur a S. Ligorio (1).

CAPUT SEXTUM

DE JURISDICTIONE ORDINARIA.

Jurisdictio ordinaria competit alicui ratione muneris sui, quod quidem beneficiis plerumque adnectitur; necesse ergo erit nobis de ea tractantibus et ea expendere quae institutionem seu collationem beneficiorum spectant, quaeque jus dicit de iis obtinendis, atque amittendis, non solum jurisdictionem spiritualem habentibus propriam; sed propter connexionem materiae etiam de beneficiis simplicibus, quatenus tamen hoc idem argumentum respiciant, ne repetitionibus moremur; et ut mutuam sibi lucem haec omnia sibi afferant.

---

(1) *L. VI. tract. IV de sacram. poenit.* §. 572.

CONCLUSIO PRIMA

Institutione canonica nonnisi titulus ad beneficia, quibus potissimum jurisdictio adnectitur, haberi potest legitimus (a).

Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro, ait Christus, (1) qui autem intrat per ostium *pastor est ovium*. In ecclesiam ergo *regnum*, *corpus*, *ovile* cujus *rex caput* et *pastor* est Christus (2), non intratur nisi per ipsum; qui proinde est ostium ejus; nec nisi cui Ostiarius a Christo electus ostium illud pandet et aperit. *Huic*, subdit, *Ostiarius aperit et oves vocem ejus audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas* (3). Potestas inde concludit Augustinus (4), pascendi animas et regendi ecclesiam

---

(a) Institutionis canonicae nomine latissime sumptae, hic intelligitur concessio beneficii quovis modo canonico a superiore ecclesiastico facta, cui juxta leges et morem ecclesiae catholicae competit et determinare uniuscujusque beneficii, sive officii materiam, subditos assignare, limitesque figere inter quos exerceri debet auctoritas. Hanc institutionem canonicam ad qualemcumque gradum ordinariae jurisdictionis semper requisitam fuisse, omnes catholici consentiunt vel tamquam ejusdem jurisdictionis causam et principium, vel saltem ut conditionem praeviam. Eamdem proinde necessariam extendunt regulariter loquendo ad beneficia cujusvis generis, et officia ecclesiastica: eo enim ipso quod existit jure Divino in ecclesia regimen, auctoritas in pastoribus residens, necessario sequitur omnia officia publica quae finem habent spiritualem, ab ea auctoritate pendere, nec sine ejus approbatione posse exerceri.

(1) *Joann. X. v. 1.*

(2) *Matth. V. Coloss. 1. 18. Joann. X. 6.*

(3) *Joann. XV.* (4) *Tract. 45 in Joann.*

accipienda est per Christum a Spiritu Sancto, ut rata sit ac valida. Nec nisi qui a Christo, vel ab his qui suum tenent locum missionem accipiant, legitimam habere jurisdictionem possunt in eas; proindeque discipulis, quos elegit et Apostolos nominavit, ipse dixit (1): *Sicut misit me Pater et ego mitto vos.* Ita ut sacrae literae condocent: *Nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* (2). Argumenta sancta Tridentina Synodus comprobavit, etenim definivit (3) « Si quis dixerit eos qui nec ab ec- » clesiastica et canonica potestate *missi sunt* aliunde » veniunt legitimos esse verbi et sacramentorum mi- » nistros anathema sit. » Quoniam vero beneficiis ordinaria jurisdictio acquiritur; hinc generalis est regula juris (4): *Beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtineri*: imo regulariter nec valide quidem nisi praescriptione defectui medeatur ut inferius patebit. Hac regula Innocent. III. (5) irritandam censuit ejus electionem, qui administrationem ecclesiae adgressus fuerat sine canonica institutione, et confirmatione, cui consonat Bonifacius VIII. (6). Sicut vero institutione canonica legitimus habetur titulus pro jurisdictione, ita et hujus limites assignare intra quos valeat exerceri, illius est auctoritatis qui institutionem canonicam confert. Hinc reprobata fuit constitutio civilis in Galliis ann. 1791. in qua sola auctoritate civili facta fuit suppressio antiquarum metropoleon, ac plurimarum sedium

---

(1) *Joann. X. 3.* (2) *Haebr. c. 5. v. 4.*
(3) *Sess. XXIII. c. VII.* (4) *C. 1 de R. J. in 6.*
(5) *In cap. qualiter 17 de electione.*
(6) *In cap. avaritiae 5. eod. tit. in VI.*

episcopalium, aliarumve nova divisio, quarumdam erectio. Supponebant illius decreti conditores jurisdictionem uniuscujusque episcopi esse sua natura universalem, et posse exerceri quocumque potestas *civilis* ejus exercitium provocaret. Quos errores ex infra dicendis etsi per se patebunt magis, refellit tamen *expositio principiorum* cui omnes fere Episcopi clarissimi Gallicani subscripserunt ex quibus concludebant, immerito a quibusdam postulari, ut Episcopi suam jurisdictionem delegarent in loca quae per decreta civilia alteri dioecesi attribuebantur, tum quia ea delegatio non potest esse perpetua, tum quia necessario debet esse libera etc. Consule etiam de hac materia brevia Pii VI. quibus dicta decreta reprobantur.

Verum nec institutionis canonicae necessitas eludi potest ab electo ad beneficium quodque, exercente aliquem actum ejus sub diverso titulo etiam alias forte licito. Concilium enim Lugdunense II. ita eorum malitiam explicat, et damnat (1). « Avaritiae coecitas, et damnandae ambitionis improbitas aliquorum animos occupantes, eos in illam temeritatem impellunt, ut quae sibi a jure interdicta noverint exquisitis fraudibus usurpare conentur. Nonnulli siquidem ad regimen ecclesiarum electi, quia eis jure prohibente non licet se ante confirmationem electionis celebratae de ipsis, administrationi ecclesiarum ad quas vocantur ingerere, ipsam alibi tamquam procuratoribus seu oeconomis, committi procurant. Cum itaque non sit malitiae hominum indulgendum, nos hac constitutione sancimus, ut nullus de cetero administrationem di-

(1) *C. avaritiae de electione et electi potestate in* 6.

» gnitatis ad quam electus est, prius quam celebrata » de ipso electio confirmetur, sub oeconomatus vel » procurationis nomine, aut alio de novo quaesito » colore in spiritualibus vel temporalibus per se, aut » per alium, pro parte, vel in totum, gerere vel » recipere, aut illis se immiscere praesumat » (a).

CONCLUSIO SECUNDA

Laici conferre beneficia nullatenus possunt.

Sancta Trid. Synodus (1) decrevit « eos qui tan» tummodo a populo aut seculari potestate ac magi-

---

(a) Inter alia tristia fuerunt exempla in Galliis, tempore factionis vulgo dictae *la Ligue*, cum in plures partes regnum divideretur mandato curiae supremae (par arrêt du grand conseil) plures episcopi electi, sub titulo *oeconomorum* spiritualium, ecclesiarum administrationem susceperunt, sub eo praetextu quod capitula cathedralium in eos sua jura transfunderent. Quod delictum comitia cleri, anno 1595. vocaverunt *monstrum hoc infelici saeculo in Gallia natum; superioribus saeculis prorsus inauditum*. Post ann. 1682. cum recusassent Pontifices Romani iis canonicam institutionem dare, qui declarationi subscripserant, et postea ad episcopatum fuerant electi, jussu Ludovici XIV, iidem a capitulis cathedralium in *vicarios* eligebantur; eoque nomine administrabant, unde evenit multarum ecclesiarum perturbatio. Nostro aevo, jussu Napoleonis, idem peractum vidimus, et quidem cum majori scandalo, magnaque religionis pernicie et ruina. Horum actus invalidos, nullius proinde valoris titulos ab eis collatos facultatesque concessas maxime omnium dixit Pius VII. in celeb. ad Card. Maury Brevi. Illis autem qui propter necessitatem hoc excusabant, ut in simili negotio optime dixerant Comitia anni 1595. mox citata, respondemus *Nulla est necessitas delinquendi.*

(1) *Sess. XXXIII. cap.* 3.

» stratu vocati et instituti ad haec ministeria exer» cenda ascendunt, et qui propria temeritate sibi su» munt, omnes non ecclesiae ministros, sed fures et » latrones per ostium non ingressos habendos esse. » Et re quidem vera aeque potestas conferendi beneficia, ac illa consequendi sunt jus spirituali officio annexum, consequenter eorum collatio requirit potestatem spiritualem, sicut consecutio ordinem spiritualem: cum igitur laici omni ordine clericali destituti ne capaces quidem sint juris et potestatis spiritualis (1), nec conferre, nec adipisci beneficia possunt. Quod quidem et ex ipsa natura beneficii colligitur: officium enim seu ministerium sacrum, seu jus inserviendi ecclesiae, ac connexum jus reciprocum percipiendi redditus altaris et ecclesiae, sicut spiritualem naturam beneficii constituunt, ita postulant ut non alii possint nisi ecclesiastici Praesules ecclesiastica beneficia conferre. Hinc canones (2) dein leges, (3) laicos incapaces hoc jure renuntiant. Proindeque nec consuetudine nec praescriptione potest ad ea quis pervenire (a). Bene tamen per privilegium apostoli-

---

(a) Intrusus proinde dicitur illie qui praeter legitimam institutionem, idest praeter auctoritatem illius ad quam pertinet collatio, beneficium vel officium occupat. Ut autem innumera monumenta traditionis praetereamus, haec omni ecclesia applaudente decernebat Pius VI. 13 apríl. 1791. occasione schismatis Gallici. « Declaramus ac decernimus nefarias eorumdem consecrationes esse » omnino illicitas, illegitimas, sacrilegas, et factas contra sanctorum canonum sanctiones; ac proinde eosdem temere, nulle-

(1) *C. 2 et 3 de judic.*

(2) *C. 2. et seqq. C. X. q. 1. Alex. III. in cap. consuluit 15. de jurepat.*

(3) *Just. Nov. 57. c. 2. et Nov. 123. c. 18. Carol. M. an. 800. in capit. V. Reg. Franc. apud Balut. tom. 1.*

cum possunt habilitari laici spiritualis potestatis incapaces, ut eam quae non ab ordine sacerdotali per impositionem manuum, sed ab ecclesiastica potestate profluit, et mandari sejunctim a sacra ordinatione consuevit, vicario jure exerceant, velut instrumentum Pontificis, et collatoris ecclesiastici nudus minister, aut procurator (1) (a). Congruenter DD. in hoc Re-

» que jure electos, omni ecclesiastica, et spirituali jurisdictione
» pro animarum regimine carere . . . Praecipientes dictis ele-
» ctis et eligendis, sive in Episcopos, sive in Parochos, ne ullo
» modo se pro Episcopis, sive Parochis, sive Vicariis gerant
» . . . . et ne jurisdictionem ullam proque animarum regimine
» auctoritatem, facultatemque sibi arrogent, sub poena suspen-
» sionis et nullitatis, a qua quidem suspensionis poena nemo ex
» hactenus nominatis poterit numquam liberari, nisi per nos
» ipsos, aut per eos quos Apostolica Sedes delegaverit. »

Quod si superior cui competit instituere, injuste deneget institutionem, poterit haec via adhiberi; scilicet si qua competat appellatio canonica ab eo qui injustitia reus, ad auctoritatem ecclesiasticam superioris gradus, utatur ea.

(a) Privilegium vel expressum dicimus quoties liquet principem ecclesiae fundatorem cum adsensu Pontificio patronatum una cum jure conferendi in ea sibi, suisque successoribus reservasse. Praesumptum vero oritur ex longaeva observantia; ubi scilicet ab immemorabili tempore consueverint Reges arbitrio suo beneficia, et ecclesias regii patronatus conferre inconsultis quum Episcopis dioecesanis, tum Rom. Pontif. Nam consuetudo immemorabilis conjecturam facit legitimam privilegii apostolici, seu juris conferendi in limine fundationis reservati, et obtenti (*). Unde si principes et alii seculares dicuntur providere ecclesiis suarum ditionum et conferre praeposituras, canonicatus, episcopatus, sensus est quod habeant jus nominandi et quodammodo praesentandi clericos ad beneficia vacantia vel, ut fit per

(1) *Fagnanus in cap. caussam* 8. *de elect. n.* 15. *et in c. contingit* 8. *de arbitris n.* 29.

(*) *Lege Fagnanus. in cap. Consuetudines* 1. *de consuetud. n.* 54. *et seqq.*

gno neapolitano ex privilegio quidem Apostolico docent derivare regiam collationem beneficiorum regii patronatus, quod in primis ostendunt, uti monet Gagliardo, (1) publica monumenta in regiis archiviis permanentia; vel ex inveterata plurium seculorum consuetudine conijcitur. Ipsosque Svevos, Andegavenses, Aragonios, ceteros subsecutos reges neapolitanos contulisse stat ex codicibus et actis publicis conspicuas dignitates quasi Episcopales, Archipresbyteratum Altimuranum, et Prioratum S. Nicolai Bariensis, tum Abbatiam S. Egidii Altavillae; et insuper canonicatus tam capituli Lucerini alternatim cum Episcopo, quam S. Nicolai Bariensis alternatim cum Priore, cetera inferiora beneficia in variis regni dioecesibus posita ne-

---

primas preces, ad vacatura; quae non sunt nisi nominationes personae alicujus idoneae ad beneficia ex speciali privilegio praesertim Imperatori Germaniae indulto intra fines suae ditionis: et sic petant conferri certis personis a potestate ecclesiastica, non quod ipsi conferant jus officio spirituali annexum: quoad investituras vero Joann. Semeca auctor glossae (*) observat laicis non competere investituras beneficiorum, *nisi auctoritate Papae habeat laicus investituras sicut Rex Apuliae*. Andreas de Isernias (**) contestatur quod neapolitani Reges olim non modo praestabant, sed et investiebant clericos de beneficiis ecclesiasticis, et illis haec *conferebant per privilegia papalia*, quae possunt hoc laico concedere. Ast DD. advertunt amplius quod laicus sine consensu Episcopi non possit tradere investituram quoad spiritualia; quoad temporalia tamen, si quoad ea soleat dari specialis investitura, potest saltem de consuetudine ex. gr. Patronus, vel Dominus territorialis, licet de jure communi patrono laico etc. non conveniat ejusmodi jurisdictio.

(1) *De beneficiis t. VII. §. XXV.*

(*) *In comment. ad Gratian. in can.* 1. *causa* 16. *q.* 1.
(**) *In proem. constit. regni n.* 50.

dum simplicia, sed adnexam quoque habentia curam animarum (a).

Ultimo concordato ann. 1818. postquam art. IX. dictum fuit. « Catalogus tam Abbatiarum regii pa-
» tronatus, quam earum quae regii patronatus non
» sunt; prout apud capellanum majorem descriptae
» reperiuntur, quamprimum Sanctitati suae exhibe-
» bitur » Art. XXVIII cautum sic fuit. « Sanctitas
» Sua attenta utilitate quae ex hac conventione ema-
» nat in Religionem et in Ecclesia, utque singularis
» benevolentiae suae testimonium Majestati Ferdinan-
» di Regis praebeat. Eidem, atque ab eo descenden-
» tibus catholico in regno successoribus, concedit in
» perpetuum, indultum nominandi dignos et idoneos
» ecclesiasticos viros iis dotibus praeditos quos sacri
» canones requirunt, ad omnes illas archiepiscopales
» et episcopales ecclesias regni utriusque Siciliae, ad
» quos Majestas Sua jure nominandi non gaudebat...
» Majestas Sua tempore debito Sanctitati Suae no-
» minatos manifestabit, ut necessarii processus juxta
» canones de iis fiant, atque Canonicam Institutio-
» nem modis et formis consuetis obtineant. Priusquam
» vero eam obtinuerint, regimini, seu administra-
» tioni ecclesiarum respectivarum, ad quas erunt de-
» signati, nullo modo sese immiscere poterunt. »

Hoc interea consilio uti debet privilegiarius, laicus sit, vel ecclesiasticus, ut formam indulti adamussim servet, nec fines ejus transiliat. Insuper quia privilegii natura juri communi adversa, strictae interpe-

---

(a) Syllabum ecclesiarum, beneficiorumque regiae collationis videsis apud B. Chioccarelli archiv. tom. 6. Scipion. Marzella descrizione del regno di Nap. pag. 389.

trationis est, a casu ad casum non extendat, vel consimilem in dubiis quae emeserint sententia negars tenet. Exinde demum vigore indulti beneficia conferentes, super illis perpetuas pensiones reservare non possunt, neque resignationes in favorem certae personae admittere; sunt enim haec duo Sedis Apostolicae.

Restat ut de abusu regaliae dicatur. Qui tamen utpote praesertim edicto ann. 1618. et altero ann. 1675. se latius in Gallia manavit, ex obductis oppositionibus in ea, facile erit aequa judicii lance librare quid de illo sentire fas sit. Et revera dimicarunt plures ecclesiae contra ea edicta, et praesertim Summi Pontifices; quod si postea in comitiis ann. 1682. ob id conventis, Praelati tentarunt aliquo modo rem componere, *et posito ecclesiae consensu* posse tolerari dixerunt usum regaliae ab ipsis limitatum in iis beneficiis, quae nullam haberent jurisdictionem adnexam; et postulare non destiterunt ab Inn. XI. ut eam concessionem confirmaret; aegre tulit Pontifex hanc comitiorum conniventiam; acriter eos objurgavit; eorum acta rescidit, id potissimum inculcans *per abusum regaliae non solum everti disciplinam ecclesiae; sed etiam fidei ipsius integritatem in discrimen vocari, quod intelligebatur ex ipsis regiorum decretorum verbis, quae jus conferendi beneficia regi vindicant, non tamquam profluens ex aliqua ecclesiae concessione, sed tamquam ingenitum et coevum regiae coronae.* Nec demum omittendum hic juvat quod inter epistolas cleri Gallicani legitur (1) de dignitatibus et praebendis aliquibus vi regaliae collatis, quibus jurisdictio proprio nomine exercenda annecteba-

(1) *Inter opera Bossueti t. VIII. p.* 225. *edit. Vers.*

tur, quae ita » in regia erant potestate, ut non
» modo nulli canonico et ecclesiastico examini sub-
» derentur, sed etiam nullam missionem aut appro-
» bationem obtinerent. *Res vero ejusmodi est adeo*
» *aliena a canonica disciplina, ut qua arte in mo-*
» *res irrepserit vix intelligamus.* »

CONCLUSIO QUARTA

Species institutionis distinguuntur.

Institutio, late, sed tamen adhuc satis proprie sumpta, est quaelibet concessio beneficii canonica et collativa tituli qua confertur. jus in re et proprietatis in beneficio : hoc sensu est duplex nempe *libera*, quae fit ad arbitrium collatoris sine ullo jure per nominationem, aut praesentationem alicui competente et dicitur specifice *collatio*: alia est *necessaria* quae definitur *concessio ecclesiae* vel beneficii vacantis auctoritate Episcopi, vel alterius ordinarii facta ad nominationem, vel praesentationem Patroni, et *institutio* specifice talis dicitur.

Prima aut legitimo superiori competit et collatio nominatur, que vel simpliciter collatio est sive institutio *collativa ;* quia per eam confertur titulus in beneficio, vel *auctorizabilis* per quam clerico committitur cura animarum per sacramentorum administrationem exercenda, (a) vel corporalis seu inve-

---

(a) In beneficiis quibus cura animarum incumbit, si a quovis inferiore collata sint etiam proprie, et in titulum, pro hac cura obtinenda, recurrendum est ad Episcopum; qui praemisso examine, aut si alias idoneum judicet eum, cui beneficium est collatum, concedendo curam animarum, dicitur dare institutionem

stitura nimirum illa per quam clerico post titulum, seu jus in re jam legitime consecutum, tribuitur apprehendi possessionem corporalem, et actualem beneficii (a): aut collegio canonicorum convenit, et electio vocatur, quae rursus vel nulla indiget confirmatione et *electio collativa*, vel a Superiore confirmanda manet, et electio confirmativa dicitur, sicut et beneficium electivum dicitur vel confirmativum. Disputaturi igitur de collatione sive institutione ad beneficia fas erit dicere 1.° de libera collatione beneficiorum, quae nullam scilicet praesupponit praesentationem vel electionem, 2.° de institutione specifice tali quam praecedere debet praesentatio clerici idonei facta ab habente jus patronatus, 3.° de confirmatione vel admissione legitimi Superioris praevia electione, vel postulatione, 4.° de collatione auctorizabili deque investitura. Ponemus demum exceptionem nimirum, quod beneficium obtineri valet etiam per praescriptionem et optionem adeoque sine

---

auctorizabilem: quae uti dictum fuit auctoritas est ab Episcopo data in oves, seu commissio regendi. Differt hinc a collativa tituli quia haec fit per inferiorem Episcopo: differt et ab approbatione pro audiendis confessionibus, quae ex Trid. (*) illis necessaria est, qui beneficium curatum non habent.

(a) Secundum quosdam canones investitura differt a corporali immissione (**). Sane etiam in jure feudorum investitura feudi distinguebatur a traditione et adeptione corporalis possessionis. Est autem investitura feudi nihil aliud quam solemnis concessio feudi, quae in ipso contractu intervenit, et sine traditione possessionis substitit adhibita immaginaria symboli traditione. Sic investitura beneficii olim per annulum fieri solita erat, more ducto a jure feudorum. Sed de his cum de beneficiis erit tractatum.

(*) *Sess. XXIII. c. 15. de reform.*

(**) *C. Pro illorum 22. de praeb. c. Praeposuit 4. de connes. praeb.*

canonica institutione. Omnia sequentibus exequemur capitibus.

CAPUT SEPTIMUM

DE IIS QUI LIBERAM COLLATIONEM HABENT.

Triplici jure praesules ecclesiastici beneficia contferunt; *plenario* nimirum, *ordinario* et *delegato*. De collatoribus inde disseremus jure plenario, vel ordinario, aut extraordinario.

CONCLUSIO PRIMA

Plenario jure beneficia confert Summus Pontifex.

Primatus Ecclesiae Romanae divino jure institutus, et sollicitudo omnium Ecclesiarum Divo Petro ejusque Sedi Apostolicae in perpetuum a Christo Domino demandata, Romanum Pontificem dicunt Episcopum Oecumenicum, Ordinarium Ordinariorum. Hinc quamquam moribus introductam ab ortu Ecclesiae divisionem parochiarum et dioecesum firmassent Nicaeni canones, jureque factum sit ut uniuscujusque parochiae et dioecesis negotia gerere, clericos ordinare, praebendas, ministeria, et officia conferre nonnisi Episcopo dioecesano liceret; nihilominus tot dioeceseon potestas, supremae omnium potestati Sedis Apostolicae ab initio subjecta magis confiteatur, quam metropolitis et primatibus humano jure institutis subiectam eandem potestatem admittunt ipsi S. Sedis hostes: ita ut Ecclesiae unitas ex uno capite multisque membris compacto, et ovile unum uni Pastori

concreditum postularunt regnum Sacerdotale ab uno Principe plurimisque subministris gubernaretur, et sollicitudo omnium ubilibet ecclesiarum ab eodem retineretur: cujus proinde plenaria administratio omnium bonorum cum esset, et beneficiorum omnium collatio pleno jure ei datur non solum quia jure positivo humano inducta, sed uti demonstratum fuit totus orbis jure divino sua dioecesis est (a).

Nec ipsa ob id fundata in jure intentio quam Episcopus habet pro conferendis beneficiis suae dioeceseos obest huic juri et potestati RR. Pontificum: uti ex ipsa mente canonum, sive ipso jure clare eruitur: hoc enim manifeste agnoscit illam eamdem potestatem in mandatis de providendo, gratiis expectativis, reserv - tionibus, variisque provisionibus apostolicis, quorum mox sermo erit. Recte ergo in universa Ecclesia, et cunctis ubique dioecesibus ait Bonifacius VIII (1) *Ecclesiarum, personarum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Rom. Pontificem noscitur pertinere: ita quod non solum ipsa cum vacant, potest de jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis.*

Ipse Petrus Alliacensis cujus auctoritate saepe gloriantur Apostolicae Sedis adversarii duplicem assignat titulum quo Papa conferre beneficia potest, aut sibi reservare 1.° jus universale administrationis papalis 2.°

(a) Ipse Gersonius t. 1. ita scribit: « Papa est sic immediatus praelatus omnium fidelium, quod potest pro libito per se, » vel alios commissos omnia exercere licite, quae potest quicumque praelatus, vel curatus inferior, et aiu ubi non subest » necessitas propter defectum inferiorum, neque rationabilis utilitas. »

(1) *In c. licet 2. de praeb. in 6.*

abusuum qui in collatione beneficiorum contingebant tollendorum aut praecavendorum (a).

Et revera Pontifices praesertim pro piis et honestis clericis ac potissimum iis qui omni ecclesiastico beneficio destituti unde viverent non habebant a primis ecclesiae temporibus, non preces uti male animo adversariorum versatur, sed *mandatum* hoc est praeceptorias dedere literas, pro beneficiis conferendis; etsi onus plurium mandatorum iisdem ecclesiis imponere non consuevere.

Prae caeteris juvat hic pauca seligere exempla : Inn. I. ann. circiter 413. Episcopo Naissitano jussit ut presbyteros a Bonoso, antequam damnaretur, ordinatos, qui Ecclesias in Naissitana dioecesi constitutas administrabant reciperet (1). Celestinus ann. 430, *aperte Sedis Apostolicae auctoritatem sanxisse*, scribit (2), *ut clerici de dignitate dejecti locum suum*

(a) Verba Alliacensis sunt (*): Papa jure potuit ordinationes majorum et electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum sibi, et Apostolicae Sedi reservare, quia haec antiquissimo jure sibi competebant. Haec etiam non solum jure universalis administrationis Papalis potuerunt competere; sed etiam ex speciali causa, ratione materiae subjectae : utpote quia inferiores in suis electionibus, ea ordinarii collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, et per potentiam laicalem saepe jure suo non libere uti permittebantur seu aliqua speciali ratione . . . . Ex quo subinfertur quod cum Sedes Apostolica in praemissis praescripserit, supposito quod Summi Pontifices in hoc abusi fuerint, vel excesserint, non propter hoc est ab eis hujusmodi jus tollendum, sed abusus pellendus, et excessus restringendi sunt. Vide ex his aliud argumentum pro re nostra.

(1) *Epist.* 16. *apud Const.*

(2) *Epist.* 14. *ad clerum et popul. CPolit.*

(*) *De Eccl. conc. gener. R. Pontif. auctor p.* 2. *c.* 1. §. *unde alterius t.* 2. *opp. Gersonii p.* 945. *ed. Artuerpiae* 1706.

recuperare deberent. Leo Magnus ann. 544. (1) Anatolio CPolitano Antistiti jussit ut Aetium de Archidiaconatu ejus Ecclesiae dejectum restitueret, ejiceretque Andream, qui ejus locum injuria occupabat. S. Gelasius I. extremo fere V. seculo de redditibus Ecclesiae universae constituit; in Episcopos qui secus fecissent decreta poena (2). Sed ne morer ubi auctoritatem luce suffundimur, pro omnibus sit S. Gregorius M. antiquarum regularum studiosissimus nec proinde novae disciplinae auctor; quemque suspicari non licet jus alienum invadere, et rem non suam arripere voluisse, cum pluries usus est eo jure (3) (a).

(a) Post disjunctas a sacris ordinationibus collationes praebendarum, officiorumque ecclesiasticorum, seculo sexto continuo apparuit praerogativa Patriarchae, Pontificisque Romani in conferendis ecclesiis, praebendis, monasteriis et dignitatibus ecclesiasticis ubilibet vacantibus vel vacaturis praesertim in regionibus occidentalibus et suburbicariis. Hinc placet praeter supranotatos casus exscribere collationem ab eodem S. Pontifice Gregorio post eversam a Longobardis Episcopalem ecclesiam magnae civitatis in provincia Brutiorum, seu Calabria factam Paulino illius episcopo, abatiae seu monasterii S. Theodori in Sicilia in Civitate Messanensi, cujus dioecesi et jurisdictioni suberat (*): Tum cuidam presbytero Dominico parochiam Importuno Episcopo Atellano subjectam contulit, jubens literis ad eundem Episcopum datis ut omnia illius ecclesiae emolumenta faceret sine mora praestari presbytero illi ab se instituto, una cum fructibus decimarum jam perceptis (**). Consuevit praeterea idem Pontifex, Epi-

(1) *Epist.* 113. *c.* 2. *Epist.* 132. *c.* 2. *tom.* 1. *ed. Ballerin.*

(2) *Epist. V. ad Episc. Lucaniae c.* 27.

(3) *Ep.* 8. 79. 80. *lib.* 1. *col.* 495. 563. *epist.* 13. 74. *et* 37. *lib.* 2. *col.* 577. 587. *et* 599 *et seqq. et alibi tom.* 2. *ed. Paris* 1705. *ubi multa hujus rei exempla sunt.*

(*) *Cap.* 38 *ad Episc. Messanens. lib.* 1.

(**) *Ep.* 10. *ad Import. Ep. lib.* 2. *quam exscriptam habet Ughell. in addit. Ital. sacr. t.* 10. *de Episc. Atellan.*

Male ergo dixit Franciscus Florentius alias eximius canonum interpres, rescripta Romanorum Pontificum de vacantibus et vacaturis beneficiis auctorem habuisse Alexandrum III. qui sedit ab ann. 1159. non alium eo antiquiorem, in cujus pontificatu, cum aliis DD. ejusdem sensus, inter quos videtur esse noster Selvagi (1), figit aeram novae disciplinae. Ast errorem certo contrahunt, et quandoque bonus dormitat Homerus. Originem hujus rei vetustiorem, imo vetustissimam facile jam possent omnes noscere ex hactenus dictis, et prospere progressam processu temporum insigni abhinc aevo S. Gregorii Magni, imo et vetustiori.

Dicimus hinc potius cum Devoti (2) non sub Pontificibus Hadriani IV. Alexandri III. Innocentii III. Honorii III. vestigia adparuisse illius juris; sed sub iisdem nimirum, seculo praesertim VII. explicabatur per triplex genus literarum, non semper eadem formula verborum, sed ut semper tamen exitum habere deberent. Dabantur enim primum literae *monitoriae* quibus nisi pareret Episcopus, adhibebantur literae *praeceptoriae* et si neque iis mos gereretur, mittebantur *executoriae*, et simul cum iis executor; cujus erat curare, ut pontificia mandata exitum consequerentur. Horum executorum delegatio et potestas evidentius patet in corpore juris canonici (3).

---

scopis commendare egenos potissimum clericos, quatenus alimenta ex redditibus ecclesiasticis, velut pensiones alimentarias iisdem subministrarent (*).

(1) *Tit. XXIV. Inst. Can.* (2) *Tit. V. sect. III. Inst. can.*

(3) *Cap. veniens* 13. *de renunt. cap. cum olim* 38. *de praeb. et fore titulo de offic. et potest. jud. deleg. et alibi passim.*

(*) *Ep.* 14. *ad Syracusanum Episc. lib.* 3.

Quid ergo? usu dicemus qui non sit antiquus jus hoc plenarium Pontificis inductum! O plumbeum pugionem! nonne universe factum hoc olim a Pontificibus jam demonstratum fuit? undenam ergo illius potestatis non antiquum usum, ac proinde tollendum probant, nec quis facile videre poterit. A quo tamen tollendum esse censent? Ab Episcopis ne particularibus, quibus jus nullum, nullaque potestas insit in Supremam Pontificis auctoritatem? Quid perversius? An a potestate laica? (si scripturis, patribus, dogmati catholico assentiare) ecquid juris competere potest in spiritualem praesertim illam quae cum plena sit jure gaudet disponendi quod e re ecclesiae fore prospexerit? Quod potuisse doctrina Synodi Tridentinae et poscit et flagitat, cui refragari velle, hominis est non catholici, sed cum haereticis sentientis.

Unum restabat Sanctae Sedis hostibus ut hoc plenarium jus quod nec auctoritate, nec antiquitate pessum dare potuerunt, diris saltem ac maledictis pro suo praesidio onerarent. Invectos enim abusus Pontificum illas collationes blaterarunt induxisse. Age vero argumentum eorum inquiramus. Et primo quibus dicant nobis judicibus abusionum utantur? Launojo, Dupinio, Boehemero forsan? Veruntamen quis istos judices statuit, aut quis potestatem his dedit rejiciendae communis etsi non veteris uti volunt disciplinae? Pontificum, Synodorum Oecumenicorum, quibus praesidet Pontifex non singularium scriptorum est expendere, quid usus communis, quidque abusus ferat, indeque quid statuto sit opus judicare. Id si recusent concedere, caveant ne schismaticis esse deteriores videantur. Hi enim non fuere ausi negare, aut in controversiam revocare quod S. Gelasius P. M.

Acacianis objecerat (1) « Quaero, inquit ille, ab » his judicium quod praetendunt, ubinam possit agi- » tari? An apud ipsos, ut iidem sint inimici, te- » stes, et judices? Sed tali judicio nec humana de- » bent committi negotia, nedum divinae legis inte- » gritas. Si quantum ad religionem pertinet, non- » nisi Apostolicae Sedi juxta canones debetur sum- » ma judicii totius. Si quantum ad seculi potestatem, » illa a Pontificibus et praecipue a B. Petro Vicario » debet cognoscere quae divina sunt, non ipsa ea- » dem judicare. Nec sibi hoc quisquam potentissi- » mus seculi (qui tamen Christianus est) vindi- » care praesumit. . . Ineptias suas sibi servent nisi » recipiscant potius cogitantes Christi vocem non esse » superfluam quae confessione B. Petri Apostoli in- » ferni portas nunquam praevalituras asserit etc. »

CONCLUSIO SECUNDA

Species juris quibus Papa uti potest in conferendis beneficiis aperiuntur et rursus vindicantur.

Conferre beneficia potest Papa quadruplici jure: 1.° *praeventionis*, 2.° *concursus*, 3.° *devolutionis*, 4.° *reservationis*.

Et primo jure praeventionis: dum nempe praeveniendo vacationem beneficii vel in *forma pauperum*, vel in *forma dignum*, vel in *forma commissoria* mandat illud conferri a collatore ordinario, aut ipse ex tunc jam confert postquam vacaverit. Hinc Apostolica mandata *de providendo* quibus Pontifex de be-

(1) *Epist. II. ad Faustum Magistrum Tom. II. Concil. edit. Paris pag.* 886.

neficiis provideri mandaverat, quaeque *expectativae* nuncupatae sunt, si de beneficiis *vacaturis* ageretur, eo quod qui mandatum hujusmodi in sui favorem obtinuisset *expectativam* habebat. Praeter textum expressum in jure (1) ratio illud comprobat, tum quia provisio Papae in hoc casu, utpote praeveniens collationem Ordinarii, ipsam praecedit tempore, ab eoque est illi preferenda; tum quia Papa, Episcopo, vel alteri collatori Ordinario facultatem generalem concessit conferendi beneficia vacantia in sua dioecesi; sed quoniam generi per speciem derogatur, per collationem specialem Papae ipsius, nimirum per praeventionem, recte illi facultati Episcoporum derogatur. Praeterea in iis, quae pendent a voluntate Principis non censetur ipse per generalem concessionem voluisse sibi auferre facultatem idem concedendi per gratiam specialem (a).

(a) Jus praeventionis maxime evulgatum regula cancelleriae *De verisimili notitia* cavit, irritas habendas quascumque Pontificias collationes, nisi a die mortis beneficiarii tantum spatium effluxerit, ut probabile sit de ea certiorem Pontificem fieri potuisse eo die quo libellus Romam venit. Eadem poena locum quoque habet ubi comprobatum sit ante mortem nuntium Romam adpulisse, quod *cursum* vocant *ambitiosum*. Addesis 1.° Praeventio beneficii quoties pertineat ad electionem vel praesentationem alicujus, locum non habet (*) nisi apertis verbis eidem juri seu eligendi, seu praesentandi derogaverit, ubi derogationibus Pontificiis non adversentur leges et consuetudines locorum: 2.° Divisione mensium inter sedem Apostolicam, et ordinarios ex reg. cancellariae et concordatorum jus hoc praeventionis pene abolitum, nam his tacite libera relinquitur collatio Ordinariis in mensibus suis.

(1) *Cap. dudum, de praebendis in* 6.

(*) *Bonif. VIII. in c.* in illis 16. *de praebend.*

Secundo: jus concursus illud est vi cujus tamquam Episcopus universalis concurrit cum omnibus collatoribus inferioribus quoad beneficia actu vacantia; et tunc datur locus praeventioni, ac illius collatio valet, qui prior contulit (1).

Qui quidem concursus de jure communi etiam Legatis a latere competit (2) (a).

Tertio: jus devolutionis (b) vi cujus illa confert beneficia, quae propter aliquam causam ad eum devolventur, puta si inferiores beneficium affectum; vel indignis; vel non debito tempore contulerint etc. (3) (c).

(a) Cum non constat cui sit facta prius collatio ab Episcopo an a Papa, ille qui prius adeptus sit pacificam possessionem, praeferendus non possidenti, quia melior est ejus conditio (*). Si neuter possideat tunc praeferendus provisus a Papa ob hujus majorem dignitatem (**). Si vero in collatione Papae apposita sit dies, et in illa Ordinarii dies et hora, hujus praeferenda est collatio, quia praesumitur prius facta, nam certior ejus probati. habetur per expressionem horae, quae magis tempus determinat.

(b) Jus devolutionis dicitur illud, quo secundum jura suppletur, vel emendatur quod ab alio omissum est; aut male actum est, idque maxime in beneficiis (***). Quod quidem jus Pontificis non solum ex dispositione juris, sicut est Metropolitarum in dioecesibus suffraganeorum, etc. sed etiam ex natura et statu officii sui exercetur per universum orbem, ut ab Episcopo in sua dioecesi.

(c) Beneficia ubi vacaverint inter certum tempus conferenda sunt, ex diutina enim vacatione multo in rem ecclesiasticam incommoda promanant. Et quidem dignitates capitulorum, pa-

(1) *C.* licet *de praebend. in* 6.

(2) *C.* 6. *X. et c.* 1. *et* 3. *de legat. in* 6.

(3) *Juxta cap.* quampuam ut fere *tot tit. de elect. in* 6.

(*) *Cap.* in pari *de reg. jur. in* 6.

(**) *Cap. si a Sede de praebend. in* 6.

(***) *Vide titulum* X. *lib.* 1. *Decretal.*

Quarto: jus reservationum, quae sunt decreta quibus Pontifices collationi suae vacantia, vel vacatura be-

---

roeciae et omnia minora beneficia sex mensium spatio conferenda sunt (*); tribus vero mensibus episcopatus, et majores dignitates regulares (**). In generali Concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. vacantia, quae conferre intra sex menses collatores ordinarii neglexerint, jure devolutionis Metropolitis reservata manent (***) vel Rom. Sedi ob eorum negligentiam qui non habent alium Superiorem (****). Spatium id semestris decurrit a die non vacationis, sed notitiae istius contra negligentes tantum, et quovis impedimento vel juris vel facti non interveniente, aliter interea suspenditur cursum ejusmodi temporis. Adhaec Praelato suspenso ab sua jurisdictione ex officio, quia tunc deficit Ordinarii collatoris negligentia, non ad alium nisi ad Rom. Pontificem devolvi collationem constat; nam hic praeter ejus desidiam et negligentiam potest praebendas donare uti Innocentius III. declaravit (*****); mox consuevit non valere collationem ab Ordinario collatore factam lapso tempore Conc. Laterensis (******). Honorius III. itidem rescripsit Episcopali Sede vacante, ad capitulum non devolvi Episcopalem collationem praebendarum per Superioris negligentiam; cum non fuerit ibi Superior, qui eas posset de facto, vel de jure conferre (*******). Praeterea observandum restat quod a capitulo negligente ad Episcopum fere semper, ab Episcopo ad capitulum aliquando fieri devolutionem et 1.° reciproca datur devolutio a capitulo ad Episcopum et viceversa ubi per vices diviso inter eos exercitio communis collationis alterutrer suam neglexerit vicem, 2.° ubi communem et indivisam uterque habeant collationem, nulla datur ab Episcopo ad capitulum devolutio, 3.° at quoties Episcopus cum capitulo communem ut canonicatus obtineat collationem, negligente capitulo ad eum ut Praelatum fit devolutio, nullam si causam is dederit capitulari negligentiae: si cum dolo dederit, secus, 4.° capitulo si nullum sit cum Episcopo con-

(*) *Cap. II. ex de concess. praebend.* (**) *Cap. XLI. ex de elect.*
(***) *Cap. nulla 2. de concess. praebend.*
(****) *Ex Innocen. III. in Can. licet. 3. de suppl. neglig.*
(*****) *In cap.* quia diversitatum *5. cit. tit.*
(******) *In cap.* literas *4. eod.*
(*******) *In cap.* illa devotionis *2. ac Sede vacante etc.*

neficia addicunt, ordinariis collatoribus eorum conferendorum ablata potestate: ex quo enim minus com-

---

sortium in collationibus, ad capitulum ex episcopali negligentia nequit ordinaria potestas conferendi, qua illud expers omnino est, devolvi, 5.° si Episcopus alternis cum Papa mensibus, et alternis cum capitulo vicibus in collatione beneficiorum fruens neglexerit beneficium suae vicis conferre, quod vacasset in aliquo mensium alternorum mobilium; nec etiam ad capitulum tunc, sed ad Papam collatio devolvitur ex recepta sententia Lotterii contra Consalez quam firmat Rigantius (*) perinde ac si vacatio in mense reservato contigisset, 6.° divisa inter Episcopum proprietate juris conferendi olim communis, nec etiam locus erit devolutionis ab Episcopo negligente ad capitulum, 7.° quoties ad solum capitulum excluso Episcopo pertinet quomodolibet collatio beneficiorum, a capitulo negligente ad Episcopum Praelatumque suum ut immediatum Superiorem Ordinarium tunc ea devolvitur (**), 8.° sed beneficia ob negligentiam inferioris collatoris ad Episcopum, vel Archiepiscopum devoluta, hujus capitulum Sede vacante non confert, quamvis Episcopalem interea jurisdictionem exerceat (***) ut superius dictum est, 9.° electionem quoque seu praesentationem patronorum ecclesiasticorum per sex menses negligentiae ita fieri caducam, ut libera provisio ad Ordinarium collatorem devolvatur (****). Demum juvat paucis concludere, quod Sedes Apostolica vix unius cujuslibet Ordinarii semestrem expectans solet supplere vices suas etiam ad alios Superiores intermedios devolutas jure *praeventionis*; quod et recepti mores comprobant in hoc regno potissimum; nec inquirere in sua curia impletam conditionem negligentiae consuevit, sed beneficium devolutum largiri cum clausula conditionali dummodo *tanto tempore vacaverit* quod ejus collatio ad Sedem Apostolicam legitime devoluta sit, quod Metropolitis datum non est, ipsi enim devoluta ut conferant, judicium devolutionis debet rite praeire.

Post devolutionem irrita est ordinarii collatio. Reservata et affecta ad inferiores a Papa nunquam devolvuntur.

(*) *Tom.* 2. *part.* 2. *Reg. IX. Cancell.*
(**) *Gloss. in cap.* irrefragabili 13. *de offic. Ordin.*
(***) *Rigant in Reg.* 2. *Cancell.*
(****) *Fagn. in c.* nulla 2. *de concess. praebend.*

moda jura praedicta Pontificis visa sunt, satius fuit literis consignare certas beneficiorum reservationes. Unde canonistae observant mandata *de providendo* locum dedisse specialibus hisce reservationibus sicut et speciales generalibus, de quibus mox (a).

Prospero successu invaluere haec jura ex continuatis etiam Pontificum constitutionibus extravagantibus, quamvis Galli et Angli potissimum pro aris, et focis pugnantes contra, studuissent ipsarum vim a se totis lacertis avertere (1). Iidem tamen, aliae-

---

(a) Vicina reservationi est *affectio* beneficii, quae fit per appositionem manus a Pontifice factam, quando nimirum Papa aliquando coepit disponere de aliquo beneficio in ordine ad illud conferendum, et sic tacite, ac ipso facto suae collationi reservare censetur: differt autem a reservatione, quod haec fit verbis, illa facto, item quod affectio cessat si Pontificis collatio semel consecuta est effectum, reservatio durat, quotiescumque vacaverit beneficium. Porro effectus tam reservationis quam affectionis est quod beneficium reservatum, vel affectum ab inferiori collatore conferatur invalide, atque omnia reduci debeant ad statum priorem, cum inferiori ligatae sint manus (*). Quod verum est etsi reservationi non sit appositum decretum irritans: licet non afficiat ignorantem, sed valet collatio inferioris, qui ignorat reservationem, sine clausula irritante factam: e contra si reservationi appositum sit decretum, etiam afficit ignorantem collatorem, inficit titulum, et vitiat possessionem ita ut, si provisus spoliatur possessione, non possit agere de spolio. Ita Chokier (**): hinc Paulus III. (***) declarat beneficium censeri *affectum Papae* sic ut nemo de eo valide disponere possit duplici modo 1.° per appositionem manus Papae si et de eo aliquo modo disponere coeperit 2.° per solam reservationem etsi de beneficio reservato nihil disposuerit.

(1) *Nat. Alexander in histor. sec. XIII. et XIV. cap.* 6. *art.* 3.

(*) *In Reg.* 1. *Cancell. n.* 18.
(**) *C.* 2. 13. *de praebend. in* 6. (***) *In extrav. ult. int. comm.*

que nationes in Synodis Constantiensi, Basileensi e Tridentina quamquam nudo capite ob id decertassent jus plenarium praeventionis impetere ausi non sunt Imo idipsum plane salvum voluit Synodus Basileensis (1): Patresque Tridentini (2) quum plura decrevissent ad reformandam disciplinam beneficiorum initio protestati sunt, ea ipsos constituere, salva semper in omnibus Sedis Apostolicae auctoritate (a).

(a) Sy odus Constantiensis, Galliae deputatis urgentibus no aliud decrevit nisi ut Rom. Pontifex proxime tunc eligendus reformationi ecclesiae incumberet super propositis articulis, praesertim de reservationibus Sedis Apostolicae, tum de collationibus beneficiorum, et gratiis expectativis. Sed electo Martino V nihil contra egit; imo a S. Pontifice in ipso Conc. probatae confirmatcque sunt tum antiquae reservationes, tum regulae cancellariae, ac praeterea nova est inducta reservatio mensium quae regula IX. ipsius Cancellariae continetur (*). Synodus autem Basileensis, ubi contendit generalem reservationem cathedralium, collegiatarum, monasteriorum, et dignitatum electivarum abolere excepit semper apertissime, et comprobavit *reservationes in corpore juris clausas, et quas in terris Romanae Ecclesiae ration directi, seu utilis dominii, mediate sive immediate subjectis fier contingerit*. Postremo instaurata de istis quaestione in Con. Tridentino, vix *mandata de providendo, quae gratias expectativa* ante vacationem beneficiorum indulgebant, et captandae morti votum fovebant, vetita sunt; simul et *reservationes mentale* quibus nimirum Papa hoc, vel illud beneficium collationi suae reservabat, relicta persona, ut illud esset inde collaturus; e *aliae quaecumque gratiae ad vacatura* Conspirant huic legi regulae cancellariae XLVI. LVVIII. et LXII. Ceterae autem reservationes et affectiones adhuc stant. Quae quidem aliquibu in regnis per pacta conventa inter Apostolicam Sedem et Principes modum habuerunt impositum uti concordato Caroli III. cun Benedicto XIV. et nuperrime pactis conventis inter Pium VII et Ferdinandum I. hoc in regno.

(1) *Sess.* 31. (2) *Sess.* 7.

(*) *Sess.* 43. *col.* 722. 731. *et* 1275.

Et revera pro re nostra adhuc valida stant argumenta; nam non solum Pontifex, ut alii Patriarchae in regionibus suis, in Occidentalibus praecipue dioecesibus clericos ubilibet, ac praesbyteros tunc etiam ordinare consuevit, quum ex ordinibus uno eodemque tempore praebendae conferebantur; sed et cum ab Episcopis conferri coeperunt a sacris ordinibus sejunctae. Ipse Pontifex necesse fuit juribus expositis uti, ut obviam iret vitiis collationum episcopalium: horum enim plerique suo abutentes arbitrio consanguineos, familiares, amicos, minus idoneos ecclesiasticis redditibus, ac beneficiis locupletare studuerunt, egenos autem, digniores posthabitos eatenus contemnere, ut eos esurientes ad longinquam peregrinationem adigerent mendicaturos victum. Adhaec opus erat ut Apostolica Sedes Ordinarios locorum vel invisos, vel abjectos adjuvaret. Item ut majori libertate quam ab Episcopis, a S. Sede beneficia aliqua conferentur. Demum necessitas distribuendi ecclesiastica stipendia tot tantisque viris apud Sedem Apostolicam collaborantibus in centro Ecclesiae, unde mittuntur per orbem nedum Episcopi sed operarii plurimi, jure vindicant Romani Pontificis potestatem in collationibus sicut preventis sic sibi reservatis, et jure concursus aut devolutionis provisis.

CONCLUSIO TERTIA

Jus reservationis exponitur in speciebus suis, quae passim distinguuntur.

Reservatio propria dicta est avocatio beneficii vacaturi a collatore ordinario ad Superiorem ad id potestatem habentem. Alia est generalis, per quam re-

servantur v. g. in aliqua provincia, Regno beneficia in communi. Specialis alia, per quam reservantur tantum certa beneficia v. g. ratione loci, qualitatis, personae etc. Alia continua et fixa, relate ad certa beneficia pro omni tempore et loco, quo vacant. Alia discontinua, vel eventualis si vacant certo loco ex. gr. in curia, aut certo tempore ex. gr. in mente populi. Iterum alia est clausa in corpore juris; qualis est de beneficiis in curia vacantibus (a); aut non clausa in corpore juris, quae extravagantibus comprehenduntur, qualis est quae continetur in extravag. *ex debito* IV. de elect. inter comm. (b) ta-

(a) Hoc est si quis beneficiatus moritur ibi, ubi existit Pontifex, vel ejus Curia, quod etiam extenditur ad locum Papae, vel ejus curiae vicinum, et non distantem ultra duas dietas legales. Excipe: si dum defunctus curialis est, locus ejusmodi vicinus proprium ejusmodi domicilium extiterit (*)· His tamen moderatio addita est (**): Ut ii, ad quos eorumdem beneficiorum, et dignitatum spectat collatio, demum post mensem a die, quo dignitates, seu beneficia ipsa vacaverint numerandum, ea conferre valeant, quo tempore elapso, ea ordinarii Antistites pro jure suo conferunt, idque ne diutina vacatio ecclesiis obsit. Haec reservatio quae inscribitur Clementi III. qui fuit creatus Pontifex ann. 1187. et memoratur in extrav. 1. 3. 13. inter comm. est perpetua, et durat etiam sede vacante (***) exceptis beneficiis parochialibus (****). Etiam est generalis relate ad omnes dignitates, et beneficia, et relate ad omnes beneficiatos, quacunque causa ad curiam venerint, vel ab ea recesserint. Per curiam vero fere intelligitur locus in quo causae, et literae Apostolicae expediri solent. Demum juvat monere quod una dieta continet 20 milliaria Italica. Et vicena millia passum in singulos dies jus numerari vult. Milliare Italicum est mille passum.

(b) In ea latius explicatur et confirmatur reservatio beneficiorum per obitum in Curia

(*) *C.* 2. 34. *de praebend. in* 6. (**) *C.* 3. *in* 6. *ibid.*
(***) *C.* 24. *in* 6. (****) *C.* 35. *in* 6.

lis ea quoque censetur quae continetur in Extrav. Execrabilis 4. (a) et Extrav. ad regimen 13. tit. de praeb. inter com. (b). Duae priores editae sunt a Joan. XXII. ann. 1317. tertia a Benedicto XII. ann. 1335. (c).

Perpetuam inesse vim clausis in corpore juris reservationibus DD. omnes consentiunt. Temporaneas vero alias esse, quas ad suam quisque vitam dumtaxat duraturas induxerunt singuli deinde Pontifices constitutionibus primum extravagantibus, mox aliis, quae inter extravagantes non recensentur et praesertim, quae in regulis Cancellariae habentur, crastino cujusque novi Pontificatus die instar edicti Pretorii promulgari solitis, quorum mox dicendi locus erit. Una excepta extravagante jam dicta Joan. XXII. omnium beneficiorum, quae ob retentionem alterius incompatibilis ipso jure vacatura sint, vel dimittenda intra mensem post aliud incompatibile adeptum: ea etenim ait Pontifex *collationi et dispositioni Nostrae et Sedis ejusdem, auctoritate apostolica reservamus.*

Sunt vero, quae Bullis Tridentino posterioribus habentur reservationes S. Pii V. spectantes 1.° beneficia vacatura propter crimen haereseos (1) 2.°

(a) Reservatio scilicet collationis beneficiorum vacantium per prohibitam eorum multitudinem, sive pluralitatem.

(b) Hac constitutione reservata manent beneficia, quae vacua fiunt, ubi quis Episcopatum est assequutus, ubi alio translatus, ubi notus dignitate, ubi addictus Curiae decessit, postremo beneficia, quae coram Pontifice resignantur.

(c) Hae sunt reservationes quae extravagantibus continentur tum communibus, tum Joann. XXII. nunc corporis juris canonici partem conficientibus; sed quoniam huic corpori nomine extravagantium sunt insertae, pristinam adhuc naturam suam retinere videntur ideoque corpore juris clausae non dicuntur.

(1) *Cum ex Apostolat.* 44. *tom.* 4. *pag.* 2.

beneficia recepta contracta fiducia sive ut ajunt *in Confidentiam* (1) beneficia vacantia vacua Sede Episcopali (2) Ecclesias parochiales, quae concursu delatae non sunt (3). Tum Alexandri VI. de beneficiis eorum, qui offendunt litigantes, judices, causidicos Curiae Rom. (4) itemque Pauli VI. de beneficiis eorum qui simulato nomine subeunt examen, aut pro aliis beneficium obtinent, aut pensiones offerunt beneficii obtinendi causa (5): Praeterea Gregorii XIII. bulla est reservationis beneficiorum vacantium ex resignatione, in qua observatum non fuit praeceptum, quod de ea pubblicanda ab ipso Greg. dictum est (6). Denique ex bullis Sixti V. et Benedicti XIII. beneficia vacantia ob non delationem habitus, et tonsurae clericalis reservata manent.

Regulis Cancellariae demum comprehensae reservationes sunt, uti jam dictum fuit (a).

Regula I.ª addicit collationi pontificiae beneficia omnia, quae Joannes XXII. et Benedictus XII. sibi ad vitam reservarunt, et praeterea beneficia omnia officialium Romanae Curiae, etiamsi ante obitum officiales esse desierint; tum beneficia, de quibus ordinarii Antistites contra Tridentini regulas disposuerint.

II.ª Item ecclesias omnes cathedrales, et monasteria omnia virorum, quorum annui reditus excedunt

---

(a) De his regulis jam dictum fuit Concl. VII. cap. III. libri II. tom. prioris.

(1) *Intollerabilis* 117. *t.* 4. *p.* 3.
(2) *Sanctissimus in Christo* 77. *ibid.*
(3) *In conferendis* 51. *t.* 4. *p.* 2.
(4) *In eminenti Sedis* 15. *t.* 3. *p.* 33.
(5) *Inter ceteras* 17. *t.* 4. *p.* 1.
(6) *Humano vix judicio* 155 *t.* 4. *p.* 4.

ducentos florenos aureos, et beneficia, quae vacante Sede Episcopali, aut alterius praelati seu collatoris quovis pacto vacaverint, et ad illius solam collationem pertinent (a).

III.ª Pontifici reservat beneficia in fraudem reservationis ab iis resignata, aut dimissa, qui ab Sede Apostolica incompatibilia expectant beneficia, tum et ipsa incompatibilia, quae a Pontifice obtinuerint (b).

IV. Regula reservatae sunt majores dignitates post Pontificales in ecclesiis cathedralibus, et principes dignitates in collegiatis; sed reditum excedentes decem florenorum auri, nimirum non omnes, sed quae sit prima: praeterea prioratus, praepositurae, et aliae dignitates conventuales, et praeceptoriae generales ordinum quorumcumque non militarium: et beneficia

(a) Florenus idem valet quod ducatus unus de Camera, ex uno scuto auri, et uno julio argenteo costans: nimirum ex juliis decem et septem cum dimidio manualis monetae Romanae. Itaque floreni ducenti conflant scuta Romana 350. ducatos neapolitanos 437. et asses 50. quum intimus valor centum scutorum ex juliis decem monetae romanae aequipolleat centum vigintique ducatis neapolitanis. Verum in hac regula minime comprehenduntur Abbatiae monachorum triennales, aliaeque regularium dignitates et praepositurae, in quibus conferendis integra capitulis generalibus libertas est, uti edixit Benedictus XIV. in epist. ad Carolum Borbonium Regem die 7. octobris 1741. Sed procul dubio reservatione afficit monasteria conventu fratrum, vel monachorum carentia; quae solet Papa clericis secularibus ad vitam commendare cum decreto revertendi in titulum (*). Tum eadem regula nec ecclesiae, nec dignitates regiae collationis reservatae censendae sunt. Praeterea jure hujus regni beneficia, quae vacant, Sede Episcopali vacante reservantur venturo Episcopo ex executione ultimi concord.

(b) Fraudis indicium est vacatio beneficii incompatibilis, ad quod resignans adsperaverit.

(*) *Vide Gagliardo de benef. l. V. n. 38. et 39.*

quae familiares tum Papae, tum Cardinalium, et continui commensales eorum obtinent, et in posterum familiaritate obtinebunt, etiamsi familiares quavis ratione esse desierint (a).

V. Regula, omnia beneficia collectorum, et subcollectorum, qui fructum camerae Apostolicae durante eorum officia obtinebant (b).

VI. Et beneficia curialium itinere decedentium dum curia transfertur in quovis loco contingerit, etiam quantumcumque a dicto Curia remoto ultra duas dietas legales.

VII. Et beneficia cubiculariorum, vel cursorum Papae, eorum scilicet qui extra muros, vel honoris causa nuncupantur.

(a) Juvat monere, quod constitutione Julii III. declaratur etiam Cardinales tamquam Pontificis familiares habendos esse; familiares Papae sunt cubicularii etiam honoris, scutiferi, cursores milites S. Petri S. Pauli etc. conclavistae, Commissarius camerae, thesaurarius datariae, referendarii et alii officiales panem ex palatio habentes, subdiaconi, auditores rotae, litterarum Apostolicarum scriptores etc.; ex Paulo III. protonotarii etiam non participantes, et alii officiales etiam nec a palatio panem habentes connumerantur inter familiares; exceptis illis creatis a Nuntiis, et legatis a laterae, et aliis ex Lotterio (*). Insuper alii quos videre est apud Gagliardo (**) Cardinalium vero familiares sunt qui in omni honesto munere quum ordinario, tum extraordinario ei inserviunt sive sub eodem tecto, sive extra commorantes, singuli scilicet famulantes qua nobiles, qua ignobiles stipendio conducti, atque in albo stipendiariorum descripti (***).

(b) Hoc in Regno munus collectoris exercebat Nuntius Pontificius, quo scilicet exigebat spolia, et quascumque decimas, quartas, medietates, et quasvis alias partes fructuum ecclesiarum quarumvis, et beneficiorum saecularium et regularium, et super illis quascumque concordias, transactiones et conventiones ineundas, uti ex breve Benedicti XIV. die 21. Martii 1744. datum Arch. Gualterio Nuntio ad hoc Regnum colligitur.

(*) *Lib. q. 11. a.* (**) *De Benefic. c. v.* (***) *Rigant in eand. reg*

VIII. Beneficia vacantia in Basilicis D. Joannis Lateranensis, Principis Apostolorum, et S. Mariae Majoris (a). Item beneficia quaecumque ad provisionem Cardinalium ratione suorum titulorum, et Episcopatuum si isti a Romana Curia absint (b).

IX. Quae est Clementis VIII. beneficia omnia etiam non reservata ubicumque vacantia, quae octo mensibus, nempe januario, februario, aprili, majo, julio, augusto, octobri et novembri vacaverint. Etsi Episcopis, qui in ecclesiis suis assidui sint, S. Pius V. indulsit, non aliis collatoribus Episcopis inferioribus, ut sex mensibus, isque alternis cum Summo Pontifice, qui primo mense scilicet januario conferre incipiet, collationem partiantur. Hanc remunerationem tamen debent postulare Episcopi. In impetratione autem beneficii debet fieri mentio mensis, in quo illud vacaverit.

Excipe tamen ab hac regula 1.° beneficia quae propria non sunt, vel quae resignata pure et simpliciter sunt in manibus Ordinarii, non autem sub conditione, et in favorem tertii; reservat enim regula resignata extra curiam. 2.° Cardinales, qui si Episcopi sunt, et in suis dioecesibus resideant, non habent alternativam cum Papa, sed beneficia alias

---

(a) Rigantius in hanc regulam observat heic non comprehendi minora beneficia, quorum collatio ad Cardinales Archipresbiteros atque ad Capitula pertinet.

(b) Azor vero, et alii id procedere monent, si absint a Curia sine juxta causa, non vero de licentia Papae ob servitium sedis Apostolicae, vel ob praestandam residentiam in suis Ecclesiis. Imo Garzias et Barbosa sentiunt hic solum reservari beneficia vacantia in dioecesibus sex Cardinalium Episcoporum Suburbicariorum Ostiensi scilicet etc.

reservata conferre possunt quolibet interim mense i
la vacent (1). 3.° Reges et Principes qui ex privile
gio Sedis Apostolicae beneficia conferre possunt. It
Garzia loc. cit. 4.° Beneficia vacantia in Germani
de quibus adsunt concordata (a).

(a) Ipsa lex indulti imponit impetrantibus a Cardinalibus be neficium quomodolibet reservatum vel in mense reservato va cans obtentum, onus impetrandi ab Apostolica Sede literas *nova provisionis* cum solutione taxarum omnium intra quatuor fe menses, quotiescumque beneficii redditus vigintiquatuor ducat auri de Camera, nullis deductis oneribus excederent. Ne qu autem impune ex regula supradicta onus id crederet posse abi cere, Benedictus XIV. motu proprio in perpetuum sanxit, ut nem deinceps ab eisdem Cardinalibus ordinariis collatoribus provisi de beneficio in aliquo ex mensibus apostolicis praefatis vacat possit se quocumque praetextu eximere ab expeditione literarum apostolicarum in forma *novae apostolicae provisionis*, juxta for mam in indultis Cardinalibus concedi solitis praescriptam: alia elapso tempore ibidem praefixo possit idem beneficium a Sede A postolica praedicta impetrari (*). Verum in hanc regulam vari quaedam breviter perstringere opus est, et 1.° quod prima men sis dies computatur a media, quae praecesserit, nocte mensem superiorem terminante 2.° prior hujus regulae pars odiosa est favorabilis altera 3.° beneficia, quae ad patronorum nominatio nem, praesentationem, electionem pertinent jure conferendi ex pertium videntur excepta (**) 4.° quisquis Episcoporum ab ec clesia, sua vel dioecesi abest qualibet ex causa vel justissima etiam pro exequendis Sedis Apostolicae mandatis, vel fortuito a quodvis vel modicum tempus, alternatio mensium ei non suf fragatur. 5.° parochialia item beneficia cum animarum cura quamvis dignioribus conferre Episcopus cogatur, liberae colla tionis dicuntur a Rota (***) 6.° beneficia, quorum collationem habet Episcopus communem insimul cum Capitulo suo, aliov

(1) *Ita Garz. in Reg. Cancell. Chockier in reg.* 8. *Glos.* 10. *n.* 4. *et* 5.

(*) *In const. cum sicut accepimus* 12. *t.* 1. *Bull.*
(**) *Gagliardo de beneficiis* C. *V.* §. *XLIII.*
(***) *Decis. P.* 19. *n.* 16. *et aliis.*

X. Cuique Pontifici reservantur beneficia, quae Papa defunctus sibi reservaverat, et ante obitum vacantia non contulerit.

LVIII. Item beneficia temporariis regulis et constitutionibus reservari solita, quae vacante Apostolica Sede vacaverint, et Antistites ordinarii non contulerint, vel non jure contulerint. Verum cum nostri muneris sit, multis non morari, missas facimus reliquas, quas videre est praesertim apud pluries non immerito citatum Gagliardo de beneficiis (1), et addere tantum juvat supradictis aliquas ipsius cancellariae alias generales reservationes, quae passim in decidendis causis beneficialibus allegari solent ceu:

XIX. Regula, quae dicitur *de viginti*, quaque irritatur resignatio infirmi, intra 20 dies post praestitum coram legitimo superiore consensum, decedentis (a).

---

inferiore praelato, in mensibus alternatis vacantia ab Apostolica Sede conferri, non ab Episcopo qui alternationem mensium acceptaverit. Ea vero ipsa quoties in quatuor mensibus ordinariis vacaverint, Episcopus una cum Capitulo confert ordinario jure communionis et societatis. Vide Gagliardo cit. loc.

(a) Ex hac regula de infirmis resignantibus alia regula cancellariae de publicandis resignationibus originem habuisse videtur, quae habet, resignationes in loco beneficiorum publicandas, et a novis beneficiariis possessionem petendam, idque intra sex menses a die datae supplicationis, si resignationes Romae; intra mensem, si alibi factae sint; beneficia vero vacare per obitum, si resignantes post statuta tempora in possessione decesserint; et collationes illorum, tamquam resignatione vacantium factas, et omnia deinceps acta nullius momenti esse. Ast haec regula neglecta fuit, nec deinceps inter alias relata postquam Gregorius XIII. edita bulla *Humano vis judicio* LXXXV. novam constituit beneficii resignati publicationis formam, contra quam factas resignationes irritas declaravit.

(1) *Cap. V.*

XXX. De *verisimili notitia* qua statuitur, ut omnes gratiae de beneficiis per obitum vacantibus factae, nullius roboris sint, nisi post obitum, et ante *datam* gratiarum tantum temporis effluxerit, ut interim vacatio ipsa de loco, in quo obitus contigerit, ad Papae notitiam vero similiter potuerit pervenire; uti antea jam dictum fuit.

XXXV. De *annali possessore*, qua praescribitur, ut, quicumque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate praecedentem pacifice possessum, et quod certo modo vacare praetenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, et nobilitatem possessoris, et quot annis ipse illud possederit, ac specificam causam, ex qua clare constet, nullam dicto possessori jus competere, exprimat: et infra sex menses eundem ad judicium evocari faciat, causamque extra, tunc infra annum usque ad sententiam definitivam prosequi teneatur. Alioquin impetratio, et quaecumque inde secuta nullius sint roboris etc.

XXXVI. De *triennali possessore* decernitur, ut, si quis quaecumque beneficia ecclesiastica, *absque simoniaco ingressu* ex quovis titulo, apostolica vel ordinaria collatione, aut electione, et electionis hujusmodi confirmatione, sive praesentatione, et institutione illorum, ad quos ista pertinent, per triennium pacifice possederit (dummodo in beneficiis hujusmodi, si Pontifici ex reservatione generali in corpore juris clausa, reservata fuerint, se non intruserit), super iisdem beneficiis taliter possessis dicantur irritae, et lites superius motae extinguuntur (a).

(a) In casu hujus regulae beneficium praescriptione acquiri jure dicitur.

Cancellariae regulae uti observavimus (1) vim omnem amittunt, decedente Pontifice, sed paulo post creationem ab unoquoque suscitantur. Quod tamen non ita intelligendum est ut vacua Sede Apostolica liceat Episcopo conferre beneficia omnia quae in illis regulis sunt; sed videndum cujus generis sit reservatio; nam quae adhaeret rei, cujus sunt generis regulae I. II. III. IV. et VIII.; et quae spectant certam personam, cujus officium reservationem inducit uti reg. V. VI. VII. etiam mortuo Pontifice manent. Quare exceptis illis quae curam habent animarum, ab Episcopo recte conferendis ne dilata collatione populus accipiat aliquid detrimenti (2) ex iisdem regulis desinunt esse reservata beneficia tantum que pertinet ad tempus conferendi, quae scilicet reg. IX. continentur; ita tamen ut ab Episcopo collatio fiat vacante Sede Apostolica, amittit aliter facultatem conferendi, et redit ad Pontificem ex regul. LXVII.

Affectiones item nunquam evanescunt, vel deficiunt obeunte Papa; sed continuam habent stabilitatem cum reali reservatione.

Hactenus dicta locum non habent in beneficiis de jure patronatus, quum regio, tum feudali, tum laicali, qua simplici, qua mixto, quae ab omnibus regularum cancellariae reservationibus eximit communis DD. sententia in hoc regno recepta, pluribusque juris communis, et earundem regularum auctoritatibus firmata; uti jam monuerat Gagliardo eodem de beneficiis tractatu cit. loc.

---

(1) *Concl. cap. I. 1.*
(2) *Cap. 35. de praebend. in 6.*

CONCLUSIO QUARTA

Jure novissimo concordati ann. 1818. *quid de reservationibus cautum, excribitur: numque praescriptio, aut consuetudo vim in concordata habeat declaratur.*

Art. VIII. « Collatio beneficiorum simplicium liberae collationis cum fundatione, et erectione in titulum ecclesiasticum fiet a S. Sede, et ab Episcopo pro diversitate mensium, quibus vacabunt; scilicet a mense januarii usque ad mensem junii conferentur a S. Sede, a mense vero julii usque ad mentem decembris conferentur ab Episcopis. Provisio autem semper fiet in favorem subditorum Majestatis suae.

Art. X. « Canonicatus liberae collationis in capitulis, sive cathedralibus, sive collegiatis, respective conferuntur a S. Sede, et ab Episcopis; scilicet sex primis anni mensibus a S. Sede; alii vero sex mensibus ab Episcopis. Prima dignitas semper erit liberae collationis S. Sedis.

Art. XI. « Sanctitas Sua concedit Episcopis regni jus concedendi paroecias, quae quovis anni tempore erant vacaturae . . . . Excipiuntur paroeciae vacaturae in Curia, aut quarum Parochi fuerint a S. Sede de aliqua ecclesiastica dignitate, aut canonicatu provvisi. Harum omnium collatio spectabit ad Summum Pontificem.

His positis, num contra concordata vim habet praescriptio aut consuetudo restat videre; quod sic concinne absolutum censemus. Praescriptio immemorialis, aut longissimi temporis cum titulo potest fieri etiam contra jura per pacta publica, aut legem acquisi-

ta (1). Consuetudo autem vim legis etiam ecclesiasticae habet; ergo et praescriptio et consuetudo vim contra concordata habent. Confirmatur. De facto beneficia minora curata semper conferuntur ab ordinariis, etsi ex concordatis alternativa sint. Dein legibus etiam generalibus potest derogari per consuetudinem communitatis particularis. Quod si Curia Romana semper contra violationem concordatorum decidit, nec contra facit; decidit ex suppositione, quod non sit facta praescriptio.

CONCLUSIO QUINTA

Reservatio fructuum quorumdam beneficiorum, idest annatae distinguuntur, et vindicantur.

Annatae sunt pensiones, seu certae quantitates pecuniae, quae de fructibus primi anni beneficiorum concistorialium puta Episcoporum etc. solvi debent Camerae Apostolicae. Aliae sunt *integrae* quae vocantur *communia servitia;* quia de jure pendi debent integri fructus, qui primo anno ex episcopato, praelatura ejusmodi percipiuntur: ex benignitate tamen Apostolica taxa ita moderata est, ut quintam partem fructuum annuorum non excedat. Et quidem ut primo anno tantum dimidia solvi debent, altero anno iterum dimidia. Et si praelatura bis eodem anno, aut saepius vacet, non plures sed una tantum annata solvenda est, nec onus solvendi ad successorem transit. Aliae annatae sunt non *integrae* quae specifice *annatae* dicuntur, et sunt illae, quibus ex beneficiis inferioribus tantum dimidia pars fructuum primi anni

(1) *C.* 13. *et* 14. *de praescript.*

Camerae Apostolicae pensitatur; si nempe valor seu redditus annuus beneficiorum excedat 24. florenos auri, seu ducatos secundum camerae taxam, quae tamen maxime moderata habetur. De beneficiis autem unitis aliis ecclesiis, vel iis, quae cum prius essent reservata Sedi Apostolicae facta fuere electiva, vel collativa liberae collationis ordinarii, solvuntur *quindennia*, hoc est singulis quindecim annis solvitur in camera una integra, vel media annata, juxta qualitatem beneficiorum superius recensitam.

Justissima, atque rationabilis, ideoque omnino licita annatarum exactio, colligitur partim quia in signum exiguntur subjectionis ad Sedem Apostolicam, partim ut Papa habeat, unde Cardinales, aliosque officiales, quibus indiget plurimis ad regendam universam ecclesiam, sustentet, benemeritos de ecclesia praemiis donetur, egentibus succurrat, ecclesiam contra hostes defendat, fidem inter infideles propagare possit etc. Hinc cum saepe de annatis actum, quaesitumque fuisset; nihil contra eas constitutum est sed firmae immotaeque sunt relictae, omniaque explosa, et rejecta, quae adversus ipsas proponebantur (a).

(a) Actum de annatis in Concilio Constansiensi partem adversam tenentes potissimum nationis Gallicanae deputati, etsi nec Petrus de Alliaço, nec Joannes Gerson praeclara ecclesiae Gallicanae lumina, quam certe deputati non repraesentabant, nec alii praesules annatas ipsas Simoniae numquam damnarunt, sicut illi. Interim Martinus V. cui Concilium annatas emendandas inter caetera proposuisset, nihil contra constituit. In Concilio Basileensi non obstantibus praecibus Patrum Summus Pontifex annatas retinuit. Illi praeterea male animati in Eugenium IV. a quo Synodus revocata erat annatas sustulerunt; sed quas in legitimo Pontifice condemnaverant, dederunt Pseudo-Papae Felici V. Etiam ad Concilium Tridentinum quaerelae contra an-

Quae quidem annatae ex jam insinuatis causis et aliis exiguntur, non tamquam pretium pro rebus spiritualibus annexis; quia non exiguntur ex pacto, sed ex lege jam antecedenter existente; imo debitae sunt ex natura rei, velut onus reale h. e. ipsis fructibus primi anni impositum, ac subrogatae sunt decimis, quae olim ex toto orbe christiano debebantur, et solvebantur Papae juxta veteris ecclesiae institutum, (1) simoniae labe obnoxiae nonnisi puериliter et inepte dicuntur.

Si verò circa modum solutionis quidpiam mutatum reperitur, id causam et naturam annatarum nihil immutat. Retinentur equidem bullae provisionum, confirmationum etc. donec solutio fiat. Hoc tamen ab eorum ingratitudine ortum invenies (jam dudum scripsit Aeneas Sylvius ad cancellarium Muguntinum) qui cum ecclesias consecuti essent, dilationem solutionis faciendae obtinuissent, postquam literas Apostolicas habuere, neque praestituta die, neque multis post annis Apostolicae camerae satisfacere curavere.

CONCLUSIO SEXTA

Jure ordinario collatores beneficiorum exponuntur.

Episcopi sunt nati, et ordinarii collatores beneficiorum: horum enim collatio ubi seorsim ab ordinatione facta fuit, veluti pars voluntariae jurisdictionis Episcopi haberi coepit, qua ecclesiastica officia dispensantur.

---

natas delatae sunt, sed earumdem aequitatem Patres potius demonstrarunt. Pius demum V. responsa dedit ad querelas Germanorum de annatis, quas conferre apud Raynaldum juvat.

(1) *Leuren. p.* 3. *q.* 190.

Et revera nova disciplina, qua mancipatio cleric
rum ad inserviendum certae ecclesiae non amplii
conjuncta sacrae ordinationi reperitur, non potu
essentialibus obesse juribus Episcoporum; proindequ
sicut antiquitus, adhuc etiam unius Episcopi est or
dines conferre, et ordinatis ministeria sacra et off
cia cum adnexis praebendis ac stipendiis tribuere
nonne Episcopus quisque suos coadjutores, et sul
ministros ad curam exercendam necessarios, pericul
suo idoneos deligit, rationem Deo redditurus de om
nibus totius gregis dioecesani capitibus? Quae cu
ergo primaria juris Episcopalis, ordinariam collatio
nem beneficiorum vindicavit ab initio Episcopis, eadem
et vindicat, atque addicit adhuc, ut adeo ad benefi
cia conferenda habeant intentionem fundatam in ju
re (1), nec impediri ob id potest donec constet, e
probetur contrarium (a) iis tantum exceptis, quae ve
Sedes Apostolica, cui ob unitatis bonum subiiciuntur
reservavit sibi, uti ex antea dictis liquet; vel alis ex
traordinem conferenda ex privilegio, seu indulto spe
ciatim concessit; vel consuetudo inveterata atque prae
scriptio ad inferiores transtulit collatores, vel co

(a) Episcopus etiam consecratus, vel alius quasi episcopa
jurisdictione fruens non habet jus conferendi beneficia, nisi po
expeditas litteras Apostolicas suae promotionis, easque capitu
ostensas (*). Item in Romana curia manens non potest conferi
beneficia tunc temporis in sua dioecesi vacantia, nisi exeat a cur
uti Covar. advertit (**), et consonat juri Caesareo, quo procons
imperium, et jurisdictionem quamvis, statim deponebat cum R
mam ingressus fuerat (***).

(1) *Text. et DD. in can.* 10. 11. *causs.* 16. *q.* 7. *c.* 1
de offic. ordin. c. 3. *inst. c.* 12. *de haeret.*

(*) *Estrav.* 1. *de elect.* (**) *Lib.* 3 *resol. c.* 20.
(***) *In leg. fin. ff. de offic. Proconsul.*

quales ; aut voluntas fundatorum patronatui subjecit, eligendi, seu praesentandi jure patronis vel ecclesiasticis, vel laicis eatenus reservato, ut nonnisi electos ab iis, vel praesentatos idoneos coguntur ordinarii locorum instituere; uti mox dicendi locus erit et deinceps.

Hinc quoniam cathedralis ecclesiae canonici et Episcopus unum corpus efficere creditum fuit, adactus fuit ille cuncta ecclesiae negotia agere consilio vel consensu sicut olim cleri, mox capituli; communem propterea habebant olim capitula cathedralium collationem beneficiorum cum Episcopis (a). Processu autem temporum Episcopi suam expleverunt jurisdictionem inconsulto capitulo, neglectis primo canonicis rescribit enim Celestinus III. (1) *ex antiqua et probata consuetudine vel concessa libertate fieri posse ut praelati in ecclesiarum, seu beneficiorum collationibus nullam collegii, seu capituli consensum debeant requirere.* Inde paucae sunt ecclesiae quibus capitula ipsa jure speciali tantum, eoque vario pro variis locorum statutis, pactisque fundationum vel privilegiis vel consuetudinibus potestatem habent conferendi beneficia in mensibus ordinariorum, aut communem cum Episcopis, aut privatim sine ullo Episcoporum suffragio (b). Vide quae diximus antea Concl. II. hujus Cap. pag. 125 in fin. not.

(a) Alexand. III. decrevit (*) institutiones et destitutiones personarum ecclesiasticarum *sine consilio fratrum* a Patriarcha Hierosolym. factas fore irritas. Innocentius III. itidem rescripsit (**): Episcopum non posse absque capituli consensu ecclesias in perpetuum aliis concedere.

(b) Hoc in regno capitulum neapolitanum nonnulla beneficia

(1) *In cap. ea noscitur* 6. *de his quae fiunt etc.*

(*) *In cap. novit.* 4. *de his que fiunt etc.*

(**) *In cap.* tua nuper 8. *tit. eod.*

Addesis monachos qui sicut capitulum canonicorum; paroecias quae eis *pleno jure* addictae sunt in spiritualibus et temporalibus conferunt (1).

Quoad porro collegium canonicorum ecclesiae cathedralis Sede vacante cui episcopalis jurisdictio de-

---

intra basilicam S. Restitutae fundata, quae de mensa capituli dicuntur, confert Archiepiscopo inconsulto: cetera omnia quum in eadem basilica, tum in tota dioecesi Archiepiscopus solus inconsulto capitulo, exceptis canonicatibus ecclesiae cathedralis, quorum collationem in quatuor ex sex mensibus ordinariis, communem, et promiscuam simul habent Archiepiscopus et capitulum. Insuper capitulum Trivicanum canonicatus, et dignitates ecclesiae cathedralis inconsulto Episcopo; alia cuncta beneficia solus Episcopus confert. Alia insuper scilicet Beneventanum, et Novariense Patavinum Brixiense captula consimili jure potiri ex multis Rotae DD. testimoniis fert Rigantius (**). Verum necesse non est ut Episcopus conjunctim cum canonicis in collegio conveniat ad electionem celebrandam, sed sufficit si ex intervallo in diversis etiam loco et tempore suum consensum prebent. Quoties autem Episcopus dissentiat, de quota votorum alterutrius disputari solet. Sed quaestionis decisio pendet a statutis cujusque loci, vel a consuetudine. Ast ad evitandas hasce dissensiones mos inolevit ita dividendi per vices exercitium, vel propietatem communis hujus juris, ut in una vacatione solus Episcopus, in altera capitulum conferat et sic deinceps. Diviso tantum exercitio viget jus accrescendi seu non decrescendi; quoties nimirum in vice sua Episcopus impediatur vel absentia, vel morte etc. jus conferendi ea etiam vice solidatur, atque ad capitulum pertinet; et e contrario vices suspensi vel impediti capituli, puta in mensibus apostolicis explet Episcopus fruens indulto. Sed divisa cum assensu Apostolico *proprietas* nullum dat locum juri accrescendi et vices Episcopi vel suspensi, vel destituti etc. non capitulum, sed Sedes Apostolica tunc implet.

(1) *Conf. Thomass. par. II. lib.* 1. *c.* 55.

(*) *T.* 2. *in part.* 1. *Reg. IX. Cancell.*
(**) *Rignat. in Reg. Cancell.*

volvitur, uti advertit inter alios Cardinalis de Luca, (1) non ex privilegio vel delegatione, sed ex ratione juris non decrescendi; quia ecclesia cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo et capitulo, canones (2) ei denegant collationem beneficiorum, quae libere solus Episcopus confert; nam moram ferre possunt, et in interregno qui gubernat, ea differre debet, quae differri sine damno possunt. Ast recte confert beneficia, quae conjunctim ad Episcopum et capitulum pertinebant, sicut et praesentatos a patronis instituit.

Praeterea praelati inferiores quasi episcopalem jurisdictionem habentes quia instar Episcoporum inter ordinarios numerantur sicut curam in suis ecclesiis, locisque exemptis habent, ita et jus conferendorum beneficiorum. Ita ex Bonifacio VIII. colligitur (3) et ex Innocentio III prae caeteris, qui rescripsit ad Abbatem quemdam ratione abbatiae pertinere donationem seu collationem tam custodiae, quam aliarum dignitatum et praebendarum in ecclesia Patrinensi (4).

Item Vicarius generalis cui translata jurisdictione archidiaconi, olim vicarii nati Episcopi atque jus hoc habentis ut praesertim Alexander III docet (5); ratione officii de jure potest instituere in ecclesiasticis beneficiis jurispatronatus electos, aut praesentatos a patronis. Idem Alexander III. ait de eo (6): quae

---

(1) *In cap. si soli ordinario 6.* *de concess. praebend. in 6.*
(2) *In cap. cum ad nostram 7. de instit.*
(3) *Ad Concil. Trid. disc. 31. n. 1.*
(4) *Cap. 7. ex de rescript. cap. VI. ex ne sede vacante etc.*
(5) *In cap. super eo. 15. de officio delegat.*
(6) *In cap. ex frequentib. 3. de institutionibus.*

sunt vero beneficia liberae collationis Episcopi, nonnisi hujus speciali mandato confert, vel sui praelati; *cum in generali enim concessione nequaquam illa veniant* subdit Bonifacius VIII. (1) *quae quis non esset verosimiliter in specie concessurus, nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa: officialis aut Vicarius genaralis Episcopi beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa.* Data autem Vicario generali speciali facultate conferendi beneficia poterit conferre etiam ea, quae jure devoluta ad Episcopum ob negligentiam vel delictum inferiorum, quorum erat jus conferendi; nisi devoluta sint ad Episcopum tamquam Sedis Apostolicae delegatum, puta ob negligentiam regularium (2). Vicarius generalis similiter potest conferre etiam curata. Sic Fagnanus (3) et alii.

CONCLUSIO SEPTIMA

Extra ordinem sive jure delegato qui sint beneficiorum collatores declaratur.

Cardinales legati a latere possunt conferre beneficia in provincia in qua legationis munere funguntur uti textus docet (4), adeoque possunt concurrere cum ordinariis, et aliis inferioribus, ita ut in dubio, col-

(1) *In cap. cum in generali* 3. *de offic. vic. in* 6.

(2) *Clement.* 1. *de supplend. neglig. etc. Barbosa de offic. et potest. Episc. p.* 3 *alleg.* 14.

(3) *In c. Mandato* 46 *de Simonia et Rota decis.* 7. *de offic. vicar.*

(4) *Cap. dilectis de offic. legat. et cap. penult. de praebend.*

latio legati, utpote dignioris, praeferenda sit collationi ordinarii (1).

Excipe cathedrales, collegiatas vel regulares ecclesias aut dignitates majores in cathedralibus post episcopalem, puta praepositura; has enim utpote Sedi Apostolicae reservatas (2) Legatus a latere conferre nequit (3). Idemque dicendum de aliis beneficiis Papae reservatis in quibus sine speciali mandato illius se immiscere non potest (4).

Verum ex indulto quod legere est apud Rigantium (5) et Germonium, (6) Cardinales conferunt beneficia etiam reservata in mensibus Apostolicis, exceptis vacantibus apud Sedem et in curia; quaecumque dimiserint veri familiares Papae aut Cardinalium, Cardinales ipsi et conclavistae; item quae duabus pluribusve reservationibus coequalibus afficiuntur (a).

Praeterea Cardinales absentes a Curia romana beneficia in dioecesibus suis commendatis tantum, non alia suis in titulis vacantia conferunt. Nec suam ante promotionem vacantia conferunt sine indulto specialissimo. Potestas haec Cardinalium nec jura eligendi,

---

(a) Haec collige: personales ambo, vel ambo reales reservationes dicuntur coequales; personalis una, realis altera inaequales. Tum personae tum officii respectu personales reservationes indultum non excludunt. At plures uni officio adnexae qualitates, puta familiaritas Papae ac dignitas protonotarii unam ferunt reservationem. Reservatio mensium cum reservatione personali vel reali concurrens indulto vim non adimit.

(1) *Cap. si a Sede de praeb. in 6. Ibique Glossa in verbo legat.* (2) *In cap. 2. de translat. Episcop.*

(3) *Cap. de deliberatione de offic. legat.*

(4) *C. quod translationem eod.*

(5) *In reg. cancell.* (6) *De indult. Cardinal.*

aut praesentandi minuit, et devoluta ad Sedem Apostolicam non comprehendit. Insuper beneficia in episcopatibus suburbicariis, ecclesiisque titulorum suorum in urbe conferunt, quamdiu in curia resident: triumque basilicarum inferiora beneficia conferunt Cardinales Archipresbyteri, earumque canonici. De his tamen aliisque ad rem pertinentibus par erit legere Gagliardo (1) ubi enucleata scite reperiuntur.

Legatis non Cardinalibus Nunciisque Apostolicis, aliisque praesulibus Sancta Sedes consuevit idem jus indulgere intra fines provinciae eis demandatae: nec his nisi extra ordinem collatores habendi sunt beneficiorum Innoc. IV. definivit: *Simplices legatos quum mistos, tum natos ex ipsius legationis munere nullam habere potestatem conferendi beneficia nisi eam alicui ipsorum Papa specialiter indulgendam duxerit* (2).

Hoc idem jus quomodo in laicos et praecipue reges cadat, ne dicta repetamur ex conclus. secunda cap. IV. patet, cui argumentum istud refertur.

CAPUT OCTAVUM

DE ELECTIONE.

Ad dignitatum culmen laicarum, ut ambitus, et factiones cessent, visum rectius fuit, ut per successionem certus dominus designetur. Ast in ecclesia recepta quia a viris religiosis ait Gonsalez (1) ambitus et regendi cupido abesse omnino praesumitur

(1) *De beneficiis c. VI. in cap. officii c. de offic. leg. in* 6.

recepta fuit electio. Hujus ergo tractatum nostra refert instituere ut de collationibus liberis absolvatur argumentum quod agimus; ex dictis enim canonicorum collegiis potissimum convenire potest beneficiorum collatio, quae electio collativa dicitur; nam nulla indiget Superioris confirmatione et plenam analogiam cum ipsa collatione habet.

CONCLUSIO PRIMA

Natura electionis distinguitur, et enodatur.

Electio latissime dicitur promotio ad praelaturas, imo ad ministerium quodvis ecclesiasticum, et sic excludit omne jus promoti ad munus ecclesiasticum proveniendi puta, etas, nobilitas, propagatio naturalis sicut fuit tribus Levi, etc. includit vero omnem aliam cujusque generis designationem nimirum praesentationem institutionem etc.

Electio late sumpta est assumptio personae ad munus ecclesiasticum facta plurium suffragiis, accedente fere legitimi superioris confirmatione, et sic excludit institutionem, et liberam collationem seu provisionem; includit autem postulationem et electionem stricte dictam. Haec autem de qua agimus est canonica vocatio personae habilis ad praelaturam vacantem, facta per suffragia legitimorum electorum a superiore fere confirmanda (a). Definitionem expositam non in-

---

(a) Electio distinguenda est ab ordinatione seu consecratione et missione; etsi hi tres actus primis ecclesiae temporibus fere conjuncti fuere. In Apostolis tamen re et temporibus segregati erant. Christus enim primo vocavit discipulos, et elegit duode-

greditur sexus quia eliguntur etiam abbatissae ; et in ea superioris confirmatio dicta non fuit necessario ; nam electio datur collativa, puta aliquorum dignitatum quae non solent ex consuetudine confirmari.

Vacans igitur praelatura. Suffragia legitimorum electorum, sententiaque collegialis. Habilitas personae eligendae. Forma canonica. Confirmatio, electionis naturam constituunt, quae omnia nostrum est enodare sequentibus conclusionibus.

CONCLUSIO SECUNDA

Ut beneficium rite concedatur necesse est ut prius debito modo vacet.

Vacate beneficium potest triplici modo 1.° *De facto tantum* quando aliquis habet titulum et jus beneficii, sed nondum possessionem, quia nempe vel

---

cim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit (*). Dein potestatem dedit consecrandi (**), et potestatem absolvendi (***). Demum cum potestate misit in universum orbem (****).

Adhaec plura juvat observare quae prae ceteris, electionis sunt propria et 1.° quod laicis convenire non potest; maxime vero praesentatio: 2.° electione acquiritur jus ut electores variare non possint : 3.° non in re, sed ad rem electio jus tribuit, hinc electo etiam post acceptatam electionem liberum est eam prosequi, vel renuntiare eidem : 4.° electio supponit personam de jure habilem ad praelaturam.

Electio locum potissimum habebat in beneficiis quae vacua viduam faciunt ecclesiam, uti episcopatus, abbatiae etc., sed moribus hominum et consuetudine factum est ut ad alia dignitates quoque imo ad aliqua simplicia beneficia obtinenda via sit electio.

(*) *Luc. VI.* 13. (**) *Matth. XXVI.* 26. 27.
(***) *Joann. XX.* 22. 23. (****) *Matth. ult.* 18. *et seqq.*

illam nondum est adeptus, vel vi expulsus est, vel longo tempore abest a beneficio, et ignoratur, ubi sit. 2.° *De jure tantum* vacat si quis amisit titulum et jus ad beneficium, vel nullum obtinuit, ita tamen ut aut adhuc habeat possessionem, aut se in eo intrudat (a). 3.° *De facto simul et jure* vacat beneficium quando nec titulus, nec possessio beneficii est apud aliquem: puta si beneficiatus est mortuus etc. quae vacatio dicitur propriissima; secunda propria; prima *de facto scilicet tantum* est impropria et beneficium censetur non vacare.

His positis certum est 1.° non sufficere si beneficium *tantum de facto* vacet, ut alteri conferri possit (1). Nec sufficit si vacet interpetrative scilicet si

(a) Casus sunt: 1.° Si beneficiatus valide contraxerit matrimonium. 2.° Si religionem ab ecclesia approbatam professus est. 3.° Si secutus sit militiam secularem. 4.° Si assecutus est beneficium incompatibile primae classis sine dispensatione. 5.° Si beneficii sibi collati possessionem vi occupavit. 6.° Si obtinens beneficium parochiale non suscepit sacerdotium intra annum a die adeptae possessionis. Si per ipsum stetit quominus adipisceretur. 7.° Si ligatus de beneficio sequestrationem decretam impedit, aut fructus sequestratos quoque modo occupare praesumit. 8.° Si commisit crimen, cui privatio beneficii ipso jure annexa est, uti haeresis, simonia, sodomia saepius repetita, assassinium, falsificatio literarum Apostolicarum. 9.° Si praelatus bona seu res immobiles, aut mobiles pretiosas non servatis solemnitatibus juris alienavit. 10. Si Episcopus electus juxto impedimento cessante, intra tres menses post consensum electioni praestitutum non petit confirmationem, vel si ante confirmationem se ingessit administrationi, aut si pacificam possessionem, vel confirmationem assecutus, ultra tempus a jure definitum distulit consecrationem.

(1) *Cap.* 1. 2· 7. *tit. de concessione praebend. et eccl. non vacantis et c.* 4. *de donat.*

beneficiatus solum sit suspensus, excommunicatus irregularis, ab hoste captus etc. et sic impeditus ab administratione; sed debet vere vacare (a). 2.° Si vero beneficium *de jure tantum* vacet, ut legitime conferatur requiritur primo ut in rescripto interpretrationis et provisionis fiat mensio possessionis coloratae; alioquin impetratio et collatio est subreptitia et nulla: secundo ut non concedatur possessio beneficii, etsi conferri et promitti possit, nisi prius vocato possessore (modo ejus possessio non sit notorie injusta)

(a) Etiam promissio beneficii nondum vacantis, sive certi, sive incerti, aut proxime vacaturi, est ipso jure nulla, etsi juramento vel scriptura sit firmata, sive a collatore sive a patrono facta: sicut non valet promissio de conferendo alicui beneficio in genere ex. gr. *cum potero*, *cum se occasio obtulerit* ut a jure cautum fuit (*), et correctum illud quod contraibat; (**) ratio est quia sublatae sunt gratiae expectativae, quae hisce promissionibus dabantur, ne praeberetur occasio captandae mortis beneficiati; item ne in beneficiis sit species successionis haereditariae; neque minus dignis sit occasio ambiendi beneficia. Quod si dari hujusmodi promissiones de facto quis dicat, hoc per modum spei aut intentionis conferendae fuit, nunquam strictae obligationis aut collationis etc. Excipe tamen si ex speciali privilegio Apostolico concessum fuit, uti in favorem scientiarum aliquibus universitatibus, quae nominant aliquos doctores ad beneficia nondum vacantia. Nec valet quod jus antiquum canonicum supranumerum admisit (***); nam correctum fuit a Tridentino citato loco. Imo nec jus illud praebenda futura dabat illi, ita ut conferri opus esset ei praebenda ex stricta promissione, sed tantum quia congruum est ut canonicus non careat ea, si aliqua commode dari potest; et sic sacra Congregatio declaravit apud Fagnauum, canonicum supranumerum non acquirere jus et actionem ad praebendam.

(*) *Cap.* 2. 3. 11. 13. *tit. de concessione praebend. et eccl. non vacantis c.* 2. *eod. in* 6. *Trid. sess.* 24. *c.* 19. *de refor.*

(**) *Cap.* 14. *cit. tit.*

(***) *Can.* 7. *dist.* 79. *c. bonae memoriae* 36.

et praevia cognitione, an huic non competat aliquod jus in beneficio (1) quia contra alium, prius non auditum, nihil unquam statuendum est, ne quis injuste suo jure possit privari.

3.° Patet inde quod conferri non possit beneficium nisi vacans, ita ut qui in beneficio non vacante, aut solum vacante de facto scienter se institui passus est, ille praeterquam quod a beneficio sic obtento repellendus sit, et a communione fidelium removendus; etiam ex post facto, illud etsi revera vacet, non amplius obtinere potest sine Apostolica dispensatione, uti ex citatis testibus colligitur.

CONCLUSIO TERTIA

De suffragiis legitimorum electorum sive de voce activa disseritur, et de sententia collegiali.

Et primo suffragia eligentium, sive vox activa et jus eorum in singulis quibus competit spectatur. Quoniam vero ex regula juris (2). *Quae contra jus fiunt debent pro infectis haberi.* Suffragia habentur invalida et nulla quae sunt 1.° laicorum, utpote juris spiritualis incapaces, quibus proinde nec consuetudo nec praescriptio juvat etiam immemorialis; quamvis ex plenitudine potestatis Pontifex possit indulgere (a).

(a) Si quis laicus absque privilegio se intrudat et votum suum commisceat, idque clerici si possunt, non prohibeant irrita est electio. Si vero prohibere non possunt, cassari potest electio in odium praesuntionis laicorum (*). Verum sola habilium suffragia attendi possunt, si inter eos misceantur inhabiles,

(1) *Cap.* 28. *de praebend. in* 6.

(2) *C.* 41. *de elect.*

(*) *Cap.* 43. *et* 56. *de election.*

2.° Furiosi et mente capti. 3.° Impuberes. 4.° Excomunicati excomunicatione majore et suspensi simpliciter, vel ab officio tantum (1) (a). 5.° Personaliter interdicti, aut qui interdictum locale in loco interdicto sine speciali privilegio celebrando temere violarunt. Ceterum affecti censura, si sint tolerati, et adversos eos non excipiatur, videntur valide eligere quia jus eligendi non respicit favorem eligentium, sed ecclesiae et fidelium. Ita non pauci DD. 6.° Absentes vocem activam non habent, et legitime non impediti, quominus electioni intersint (2). 7.° Qui intra tempus a jure indultum, cessante legitimo impedimento, praelatum non elegerunt; nam devolvitur illa vice jus ad superiorem. Ita DD. in hunc titulum de electione (b). Adhaec impediuntur quo minus eligant 8.° scienter eligentes, vel postulantes indignum (3). 9.° Attentantes innovare postulationem a superiore jam cas-

---

etiamsi illi constituant minorem partem. Si qui denique exranei aut inhabiles facti, electioni se immiscent, et jus aeligendi praetendunt, ne sufflaminentur inhabiles, et electio extrahatur, interponi solet protestatio, quod vox eorum, qui non deberent interesse de jure, vel consuetudine non valeret (*). In processu dein confirmationis examinatur quaestio, siquidem ex ea pluralitas suffragiorum, et exitus electionis pendent.

(a) Verum alias sensit quod suspensus a canone eligere potest: a judice suspensus nec eligere nec eligi potest: nisi enim agitur cum lege quam cum homine.

(b) Canonico bona fide possidenti canonicatum non denegatur jus eligendi, et ejus votum valet etiamsi postea constet jus penes ipsum non fuisse; ita DD. quia, lite pendente nihil innovandum, et relinquenda omnia in eo statu in quo erant temdora coeptae litis.

(1) *C.* 16. *tit. cit.* (2) *Cap.* 42. §. 1.

(3) *Cap.* 1. *de postul. praelat.*

(*) *Cap.* 50.

satam (2). 10. Ad episcopatum scienter postulantes eum qui 27 annos non attigerit (3). 11. Permittentes fieri electionem per abusum secularis potestatis (4). 12. Qui non observant formam praescriptam (5) aut sententiam.

Nec praetereundum demum quod de jure communi eligere possunt solum Capitulares ecclesiae vacantis, et in sacris constituti (6)(a). Attamen jure speciali possunt etiam eligere alii 1.° ex privilegio summi Pontificis. 2.° Reservatione in fundatione facta. 3.° Singulari concessione totius capituli per unanimem consensum (7). 4.° Nomine procuratorio. 5.° Consuetudine ab antiquis deducta temporibus. 6.° Praescriptione (b).

Jus vero elegendi non solum spectari debet quatenus singulis, sed ut capitulo etiam competat, nimirum debet fieri capitulariter h. e. sub forma ca-

(a) Si electioni intersit cononicus nondum in sacris constitutus ipsius suffragium est nullum, non tamen electio per se irrita. Praeterea excorporatione jus hoc amittitur; nec valet reservatio vocis activae quoad prius monasterium facta a monacho, qui in alterius monasterii abbatem electus eo transmigravit (*). Demum si de jure eligendi cononicos in ecclesiis cathedralibus agitur, Episcopus nequit pro extraneo haberi, nec habet praesumptionem contra se; nam electio canonicorum de jure communi videtur pertinere ad capitulum, et Episcopum simul. Qui ergo privative jus eligendi sibi competere dicit id probare tenetur (**).

(b) Extraneus qui jus elegendi quasi possidet, in possessione manutenetur (***): hinc praestat tueri se possessorio, non cu-

(1) *Cap.* 2. *eod.* (2) *Extrav. unic. dis. tit.*
(3) *Cap.* 43. *de elect.* (4) *Cap.* 43. *eod.*
(5) *Cap.* 1. *et* 14. *eod. Clement.* 2. *de aetat. et qualit. et Trid. Sess.* 22. *c.* 4. *de reformat.* (7) *Cap.* 40. *eod.*

(*) *Cap.* 47. (**) *Cap.* 31. *eod.*
(***) *Cap.* 3. *de causs. poss.*

pituli congregati : nam singulos seorsum interrogari non sufficit. Capitulum autem seu collegium ut habeatur, sufficiunt tres personae et videntur etiam duæ sufficere (1). In tanta paucitate cavendum cuique ne collatione suffragii efficiat ut ipse eligatur ; multominus in seipsum eligat.

CONCLUSIO QUARTA

Eligi quinam possunt : seu quinam vocem passivam obtinent exponitur.

Omnes et soli digni eligi possunt (2). Indigni autem sunt qui ullo impedimento juris naturae, uti infantes amentes etc. vel juris divini uti foeminae etc. vel juris ecclesiastici laborant. Impedimentum vero I. ex defectu II. ex delicto III. ex censura IV. ex irregularitate haberi potest, quae quidem sic cursim colligi fas erit. Defectus sunt I. aetatis (3) II. ordinis (4) III. literarum et scientiae etc. (5) nimirum omnes irregularitates ex defectu. Delictis impediuntur 1.° qui electioni de se factae per secularis po-

---

mulando petitorium ; fieri enim possit, ut vincat in possessorio et per eamdem sententiam succumbat in petitorio (*). Praescribitur verum jus eligendi et postulandi 40 annis cum titulo colorato ; sine titulo tempore immemoriali (**).

(1) *Cap.* 1. *eod.*
(2) *C.* 7. *de elect. c.* 7. *et* 37. *eod. in* 6.
(3) *C.* 3. *de aetat. et qualit.*
(4) *Trid. sess.* 22. *c.* 2. *de reformat.*
(5) *Trid. ibid. et alibi.*

(*) *Cap.* 3. *de cous. poss.*
(**) *Cap.* 1. *de praescript. in* 6.

testatis abusum consentiunt contra canonicam libertatem (1). 2.° Ambitiosus seu qui in electionem sui, tamquam jam factam, ante formatam, et publicatum electionis decretum consensit; estque talis electio ipso jure irrita (2) vel qui alios solicitat precibus ut eligatur ipse, maxime si pacta et juramenta intervenerunt (3) jure enim *sicut locus regiminis desiderantibus negandus est*, *ita fugientibus offerendus* (4). 3.° Retinentes beneficia plura curata, vel dignitates, aut personatus tempore electionis absque dispensatione (5). 4.° Scienter eligentes simoniacum (6). 5.° Schismatici (7) et haeretici, etiam haeresi absoluta, et horum credentes, receptatores, defensores, et ex his descendentes usque ad secundum gradum quoad lineam paternam, et primum quoad maternam eligi non possunt ad ullum beneficium vel officium ecclesiasticum publicum (8). 6.° Sacrilegi, quia etiam ab aliis actibus legitimis repelluntur (9). 7.° Qui ob crimen semel repulsi sunt a praelatura; nam semel malus, semper praesumitur malus seu suspectus in eodem genere mali (10). Verbo: omnes irregulares ex delicto. Irregularis enim est ad officium sicut ad beneficium quod propter illud habetur.

Ex censura excluduntur 1.° Excommunicati etiam tolerati (11) (a). 2.° Suspensi (12). 3.° Personaliter in-

---

(a) Quia per const. *Ad evitanda scandala* Martini V. nihil favoris ipsis censuratis indultum est. Praeterea excommunicatio

(1) *Cap.* 43. *de elect.* (2) *Cap.* 46. *et ibi glossa.*
(3) *Cap.* 26. (4) *Cap.* 9. *VIII. q.* 1. (5) *Cap.* 54.
(6) *Cap.* 26. (7) *Cap.* 15.
(8) *C.* 2. *et* 15. *de haeret. in* 6.
(9) *Arg. c.* 34. *et can.* nulli *c.* 3. *q.* 4. (10) *Cap.* 12.
(11) *C.* 7. *et fin. de cleric. excom.* (12) *C.* 8. *de consuet.*

terdicti, temerarii violatores interdicti sive localis, sive personalis (1) (a).

Num denique eligens non aliunde sciens aliquem esse indignum quam ex sola confessione sacramentali, facile erit videre ex decreto S. C. Gen. Inquisitionis edito auctoritate Innoc. XI. ann. 1682, quo uti possit hac notitia tam publice quam privatim nec docere nec defendere quis potest sequentem propositionem proscriptam; *scientia ex confessione acquisita uti licet, modo fiat sine directa, aut indirecta revelatione, et gravamine poenitentis, nisi aliud multo gravius ex non usu sequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.* Illicitum ergo constat esse uti scientia confessionis cum aliquo gravamine poenitentis, quamvis desit omnis sigilli revelatio, et quamvis multo majus gravamen ejusdem poenitentis ex non usu sequeretur. Praeterea omnibus est DD. sanctum; quod severissime prohibitum sit quidquid poenitenti affert incommodum, redditque odiosam confessionem. Insuper in hac materia etsi aliqui affirment, aliquid cadere sub sigillum quod alii negant, quis nescit quod in praxi sequi expedit quos favent sigillo confessionis?

---

etiam minor impedimentum ponit. *Eo quod ad susceptionem eorum eligitur, a quorum perceptione a sanctis patribus est privatus* (*). Ex quo glossa in hoc caput finale infert, quod sicut a perceptione sacramentorum per excommunicationem minorem quis excluditur: ita nec eligi potest ad officium, qui deberet ob illud sacramentum ordinis suscipere, imo et missam celebrare.

(a) Si nihil hujusmodi juris communi opponi potest electo, vel eligendo; jus speciale quo forte excluditur probandum est ab opponente.

(1) *Ibidem.*

(*) *Cit. loc.*

CONCLUSIO QUINTA

De libertate electionis, deque poenis contra impedientes tractatur.

Libera debet esse electio ut valeat (1) vis ergo et metus vitiant eam. Potest tamen electio, quae metu est extorta, ita, ut non ad certam personam, sed aliquam ex pluribus determinatis, aut ex certo personarum genere eligendam electores cogantur, esse valida; sed per sententiam superioris rescindi potest. Adhaec qui spoliando vel aliter injuste vexando gravant electores, recusantes eligere certam personam, vel horum consaguineos, ipso facto incurrunt excommunicationem. Demum qui sponte electionem per abusum secularis potestatis celebraverint, vel ita celebrare consenserint, pro ea vice ipso jure potestate eligendi excidunt, et ab officiis et beneficiis triennium suspenduntur per sententiam judicis, electio vero talis est ipso jure invalida, et sic electus, si in sui electionem consenserit, ipso jure fit inhabilis ad praelaturam, vel dignitatem ecclesiasticam. Porro electio Episcopi vel praelati censetur fieri per abusum illum, quando laici, unus vel plures, se immisceant electioni, impediendo quomodocumque libertatem eligentium (2).

(1) *Cap.* 14. *h. t.*
(2) *Cap.* 43. *eod.*

CONCLUSIO SEXTA

Multa advertuntur, quae observanda ante electionem sunt.

Et primo fieri debet electio in loco intra ecclesiae viduatae ambitum sito, aliter potest per sententiam irritari si fiat sine juxta causa (1). Nec obest si ecclesia sit interdicta. Ita DD. communiter docent. Quod si ob necessitatem, vel majorem commoditatem fiat extra locum consuetum, tunc debent ad ejusmodi locum eligendum congregatae esse duae partes, et major ex his pars in illum consentire, ubi absentes se conferre debent.

Secundo. Tempus intra quod facienda est electio in cathedralibus et regularibus ecclesiis sunt tres menses. In aliis prelaturis, dignitatibus, beneficiis sunt sex menses (2) seclusis specialibus privilegiis, et si electus iterum renuntiet, vel ante confirmationem moriatur, rursus incipit de novo tempus dictum. Incipit autem currere trimestre a die notitiae habitae de vacatione, si nullum adsit impedimentum, secus a die remoti impedimenti. Si vero capitulares intra hoc tempus non eligant, privantur ipso facto pro hac vice jure eligendi, et devolvitur ad superiorem, qui alias electionem confirmare deberet (3). Regulariter non debet electio celebrari ante defuncti praelati sepulturam et tertium depositionis diem, nisi urgeat necessitas. Postea possunt sibi eligere diem quemcumque usque ad terminum praefixum.

---

(1) *C.* 18. *de elec. in* 6.
(2) *C.* 26. *eod. in* 6.
(3) *C.* 41. *eod.*

Tertio. Tractatus qui duplex potest esse, unus quo capitulares praevie tractant et deliberant de una vel pluribus personis, quae prae caeteris dignae videantur; et quem tenere modum, vel formam eligendi placeat adhibere, et iste omnino licitus, etsi jure communi ad substantiam non pertineat, nec tamen necessarius sit, excepta electione summi Pontificis (1) de qua suo loco erit sermo. Ast vivente praelato capitulares non possunt collegialiter tractare valide de electione successoris: potest tamen ipse praelatus hoc cum suis capitularibus decernere, et consultare etiam de persona eligenda idonea; etsi isto consilio non ligentur electores. Alter tractatus qui communiter vocatur *Capitulatio* est quo capitulares inter se paciscuntur ante electionem de quibusdam articulis ab eligendo observandis circa ecclesiae regimen: rerumque, et jurium ad eam administrationem pertinentium; et iste tractatus tunc est illicitus, imo et invalidus etiamsi juramento firmatus, quando per illos articulos praejudicatur vel ecclesiae, vel praelato eligendo (a). Hi vero qui juramentum scienter praestiterunt, usu, et commodo rei, cujus causa jurarunt, eo ipso privantur, adjectis aliis excommunicationis, suspensionis, et interdicti poenis. Uti ex rubrica *ne Sede vacante* etc. et constitutionibus

---

(a) Si dubium sit an hujusmodi capitulationes sint vel non injustae; locum obtinet constitutio Innocent. XII. *Ecclesiae catholicae* ann. 1685 cujus declaratio facta fuit a Benedic. XIV. ann. 1754 const. *Pastoralis regiminis* vi quarum si pactiones tales ante electionem factae sint, declarantur irritae; si post electionem suspensa manet earum obligatio donec examinatae fuerint et a S. Sede approbatae.

(1) *Cap.* 1. *d.* 23.

Pii V. ann. 1570 Greg. XIII. ann. 1584 et Innoc. XII. 1695 habetur.

Quarto. Vocandi sunt ad electionem omnes, qui jus eligendi habent etiam absentes, qui volunt, et commode possunt interesse; nam per se non tenentur nisi aliud exigat statutum particulare, aut necessitas, vel utilitas ecclesiae. Itaque, si vel unus non sit vocatus, hic si velit, etsi non teneatur, posset agere ad rescindendam electionem, etiam a superiore confirmatam. Sed agere debet intra terminum a jure praescriptum pro facienda electione, alias non amplius auditur; sicut et illi, qui publico edicto ante confirmationem electionis moniti non impugnarunt: quia censentur juri suo renuntiasse (a). Si tamen plures quam tertia pars non essent vocati ex contemptu, electio ipso jure esset irrita ob defectum potestatis eligendi, quae residet in duabus saltem partibus jus suffragii habentibus, qui volunt, et possunt interesse. Ita communiter DD. (1).

Quinto. Absens non potest eligere *voto epistolari. Quia votum non est ante scrutinium, sed in ipso*

(a) Qui nimis remoti a loco electionis sunt, praeteriri possunt (*). Absentes ergo vocantur per literas, dummodo non ita distent ut sint extra provinciam. *Fratribus*, ait Textus, *omnibus, qui fuerint in provincia, convocatis* (**). Consuetudines tamen dioecesum hac in re spectandae sunt, alius textus enim ait (***) *Cum de toto regno Franciae vocentur absentes de consuetudine ecclesiae Gallicanae*. Praeterea etiam praeteriri potest qui sine periculo vocantium nec vocaretur; puta.: aliquis fortassis suspectus principi, vel hosti civitatem occupanti, et quorum gravis indignatio timeretur (****).

(1) *Cap.* 28. *eod.*

(*) *Cap.* 18. *de elect.*
(**) *Cap.* 25. *eod.*
(***) *Cap.* 55. *in fin. eod.*
(****) *Cap.* 28. *in part. decis.*

scrutinio secrete, *et sigillatim tantummodo exprimendum* verba sunt ipsius textus (1).

Sexto. Legitime impeditus (a), potest loco sui, constituere procuratorem vel cum speciali mandato, ut certam eligat ac determinatam personam, vel cum generali ut illam eligat quam ipse judicat dignissimam; hoc tamen discrimine, ut si habeat mandatum generale, debeat tam suo nomine, quam mandantis, unam eamdemque personam eligere: secus est, si habeat speciale; nam tunc tenetur quidem nomine mandantis illam eligere; suum vero suffragium potest dare alteri. Procurator debet esse ex gremio: alias capitulares, extraneum etsi possint si velint, non tenentur tamen admittere (2). Si absens plures constituit procuratores, eos constituere debet in solidum, et tunc melior erit conditio possidentis: si ambo postulent se admitti, is admittatur dumtaxat, quem capitulum, vel major pars elegerit, vel si concordare nequeunt, is, qui primo instrumento vel literis procurationis extiterit nominatus (3).

(a) De impedimento, nisi notorium sit, fides facienda est per attestata medicorum, magistratus, vel jurejurando (*). At justa impedimenta non sunt, quae ex causa privatae utilitatis proficiscuntur, ex. gr. magnum incommodum veniendi; pluralitas praebendarum, indeque facta impossibilitas.

(1) *Cap.* 46. *in* 6. *de elect.*

(2) *Ibid.*

(3) *Ibid.*

(*) *Cap.* 42. §. 1. *eod.*

CONCLUSIO SEPTIMA

Forma canonica electionis enucleatur.

Forma et modus eligendi jus praescribit (1), et desumitur a concil. Lateran. et exequi potest 1.° *scrutinio* per secretam scilicet votorum collectionem, ac denuntiationem illius, in quem major pars conspiraverit 2.° per *compromissum*, et fit per commissam communi consensu viris idoneis potestatem eligendi 3.° per *quasi inspirationem* divinam, si nempe omnes capitulares in loco solito congregati absque ullo tractatu praevio, et velut impulsu divino incitati, unanimiter et sine contradictione, vel haesitatione in unum eumdemque absque vitio consentiant; ita ut suspecta esset electio haec, si tractatus aut conquisitio votorum praecessisset. De ea tamen utpote rara, et si contingat, difficultatem non habet, nihil ultra addendum (a); bene tamen de scrutinio et compromisso.

Et quoad scrutinium, quod vi notionis denotat inquirere diligenter singillatim et secreto; per citatum caput requiruntur quinque actus sine morali interruptione sese consequentes hoc ordine. 1.° *Electio scrutatorum*. Assumantur tres de collegio fide digni dicit jus cit. Eliguntur proinde tres ad colligenda et fideliter annotanda, atque conferenda, pronuntiandaque vota; nisi speciali jure id munus ad quos-

(a) In primitiva ecclesia saepe Spiritus S. indicio eligendi designabantur (*). Nec desunt exempla sequioris aevi ut legitur de SS. Petro Chrisologo, Ambrosio, Nicolao aliisque.

(1) *Quia propter* 42. *de elect.*

(*) *Act. XIII.* 2.

dam digniores pertineat: nec videntur eligi posse extranei nisi ex consuetudine, modo sint clerici. 2.° *Secreta suffragiorum collectio* ne posteriores suffragio suo electionem inclinare queant, quo ipsi volunt, nimirum accessione. Collectionem itaque facere debent scrutatores a singulis, ita ut reliquis non innotescat cui quis dederit suffragium, et exquirere debent vota sive scripto per schedam clausam, sive per vivam vocem, sive alio modo datam, explorando etiam (si viva voce dentur) quo zelo, et ob quae merita dentur, eaque statim annotare in protocollo scripto per se, vel per tabellionem, tum ad faciliorem memoriam tum ad probationem. Ipsi autem scrutatores, si sint de collegio, et voce activa praediti, vel statim initio, vel saltem post receptum votum illius qui collegio praeest, a seipsis mutuo excipere debent; nempe secundus et tertius primum, primus et tertius secundum, primus et secundus tertium. Infirmi, in civitate vel monasterio degentes, deberent, sicut caeteri absentes, votum dare per procuratorem; nam re vera absunt juxta ex causa: solent tamen alicubi scrutatores ad aedes vel cameras infirmorum accedere, et scrutari infirmorum vota. 3.° *Publicatio scrutinii* fit illico, nullo actu extraneo, longiorisve morae intervallo interposito, et quidem *in communi* recitando coram universis electoribus protocollum. Hanc publicationem nemo potest appellando suspendere. Cit. cap. docet. Effectus est ut nemini liceat poenitere post eam (1) unde etiam accessus ad aliorum suffragia permissus non est uti antea dictum fuit (2) extra electionem Summi Pontificis,

(1) *Cap.* 58. (2) *Cit. cap.* 58. *et* 29.

et abbatissarum (1). Possunt tamen electores, si nullus vota tulerit ad canonicam electionem faciendam sufficientia, ad novum scrutinium accedere. Regulares, qui suffragia scripta sine suffragantis nomine mittunt in urnam, etiam ante publicationem poenitere non possunt. Facta hac publicatione electores functi sunt officio suo nec habent amplius quid agant. 4.° Collatio suffragiorum quae est triplex, numeri ad numerum, zeli ad zelum, meriti ad meritum, ut appareat, quis a majori, a saniori parte electus sit, et si duo concurrant quis eorum dignior. Interim major pars praesumitur etiam sanior (2); nisi clare constet, vel ostendatur oppositum, vel majorem partem esse muneribus corruptam etc. (3). Quod si probaretur, praeferendus foret electus a minori et saniori parte (4). Si tamen superiori electio subjicienda est, contra illam praesumtionem praesertim locum habet probatio in contrarium, quia copulative requiruntur vota majora, et saniora (5). Si in unum duae tertiae votorum conspirent, comparatio zeli aut meriti omnino opponi non potest: potest tamen opponi, quod vota illius redderet irrita ipso jure (6) (a). Ut autem quis censeatur electus per majora debet habere ultra medietatem votorum, comparatione facta ad eligentes, non ad coelectos (7) ita ut sint absolute, non comparative majo-

---

(a) Giraldus observat (*) quod collatio zeli et meriti obsolevit, ac tantum nunc suffragiorum, quae quidem justa, ac legitima sint, numerus inspicitur.

(1) *Cap.* 6. *et* 43. §. Sane *in* 6. (2) *Cap.* 57. (3) *C.* 57. (4) *C.* 22. (5) *Cap.* 42. (6) *C.* 9. *in* 6. (7) *C.* 55. *et c.* 23. *in* 6.

(*) *Exposit. jur. Pontific. p.* 1. *l.* 1, *sect.* 46.

ra (a). Quandoque tamen non sufficit pars etiam absolute major, sed requiruntur duae tertiae, nimirum quando postulatio concurrit cum electione uti dicemus deinceps. Denique aliquando etiam requiritur consensus omnium; uti si res pertinet ad omnes, *qua singulos;* quia tunc procedit Regula 29 de R. J. in 6 *quod omnes tangit*, *ab omnibus debet approbari* ex. gr. dum agitur de voce activa ad quam singuli jus habent peculiare. Praeterea non desunt DD. quibus arridet, quandoque partem respective majorem saltem ex consuetudine esse sufficientem, ubi negotium non sit valde arduum. 5.° Decretum electionis communis quod mox formari debet, et solemniter promulgari. Quaerendum nempe est ex capitularibus an placeat electum publicari? quibus respondentibus *placet:* communis electio est decreta: (1) haec autem ita est necessaria ut per aliud equivalens non suppletur ex. gr. per solemnitatem deportationis etc. ita enim qui prius a singulis, illo decreto dicitur ab omnibus electus.

Circa demum formam ipsam canonicam juvat notare I. quod electio summi Pontificis multa habet specialia quorum erit mentio deinceps, cum de eo agemus. II. Quamvis electiones praelatorum et praefectarum regularium secundum jus canonicum regulandae sint, nisi aliud praescribant statuta ordinum, vel monasteriorum, privilegia, aut consuetudines;

(a) Vota conditionata, alternativa, incerta rejiciuntur omnino (*). Absolute majora computantur ex toto capitulo, ut est congregatum, non uti institutum et ordinatum est (**).

(1) *Vide c.* 21. *eod. in* 6.

(*) *Cap.* 2. *in* 6.

(**) *Cap.* 42. *eod.*

non tamen quoad omnes apices observandum est (1). III. Jus canonicum circa electiones regularium aliqua spacialiter sancivit; uti Trident. (2) vetuit ne *unquam publicentur eligentium nomina* et in ipsa electione, et postea, tam ab ipsis eligentibus, quam a scrutatoribus. Secus electio tunc est invalida, quando ante electionem vel major pars eligentium, vel unus cum consensu majoris partis manifestat suum suffragium, vel quando ex propalatione unius suffragii promoveri posse judicatur electio certae porsonae, ut notant DD. IV. Insuper ut possit quis eligi in praelatum regularem requiritur ut sit professus ejusdem ordinis; sicut et in electoribus ad praelaturam regularem requiritur 1.° ut sit professus in eo conventu a quo eligitur praelatus, 2.° ut sit clericus saltem subdiaconus. Voce autem et loco in capitulo carent, 1.° qui ex mendicantium ordine transierunt etiam cum facultate apostolica ad non mendicantes, 2.° privantur jure suffragii per biennium religiosi proprietarii (3) 3.° in capitulo privatur eodem jure professus prioris monasterii electus in praelatum alterius monasterii vel ad illud translatus (4).

De electione Abbatissarum plura praecepta reperiuntur 1.° quod eligenda debet esse virgo saltem communiter existimata, 40 annos egressa, et per 8 annos post professionem laudabiliter versata, nisi tantae aetatis, quae digna foret non reperiretur, tunc enim 30 aetatis, et 5 anni professionis possent sufficere. 2.° Quod electa per discordiam debeat habere duas tertias partes, saltem per accessum, qui in his, uti dictum

(1) *Cap.* 42. (2) *Sess.* 25. *c.* 7. *de regular.*
(3) *Trid. sess.* 25. *c.* 2. *de regul.* (4) *C.* 47.

fuit permittitur, quando electa jam semel obtinuit majora absolute. 3.° Quod contra electam in discordia, etiamsi per accessum sortita sit duas tertias, et jam confirmata et benedicta sit; moniales adhuc agere possint vel per denuntiationem, vel per accusationem si velint etc. (1).

Quoad compromissum quando scilicet ii qui jus eligendi habent id transferunt in alium, vel alios promittendo, quod recipiant illum, quem elegerint in praelatum (2), in constitutione compromissi singuli, et expresse consentire debent, et unius contradictio compromissum impedit; nam *quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet*, uti diximus antea (3); adhaec translatio potestatis fit capitulariter immediate, vel mediate (4) non tamen per sortes (5). Compromissarii eligi possunt unus vel plures (6) etiam extranei (7). Necesse tamen est, ut iis instructi sint qualitatibus, quae alias requiruntur in eligentibus. Compromissum exacte servandum juxta praescriptum compromittentium, secus nihil agitur: hinc vel limitatum ex. gr. ut eligatur unus de gremio, et sic servandum; vel simplex et illimitatum et tunc (8) possunt compromissarii eligere quemcumque voluerint, etiam unum ex seipsis: quoniam non tenentur per se dare suffragia secreto sicut in electione; atque hinc unus consentiendo electioni de se factae suffragia potest efficere absolute majora sicut oportet (9); nam electioni compromissariorum non sufficit major pars respectiva. Ita Laiman et alii. Imo

(1) *Vide cap.* 43. *eod. in* 6. (2) *C.* 8. *et* 23.
(3) *C.* 29. *de R. J. in* 6. (4) *C.* 30.
(5) *C.* 3. *de sortilegiis.* (6) *C.* 8. *et* 21.
(7) *Cit. c.* 8. (8) *C.* 32. (9) *C.* 33. *de elect.*

si duo constituti sunt compromissarii; tunc si unus dat votum suo collegae, potest hic consentire in seipsum, et sic complere electionem, non enim principaliter sic se eligit per scrutinium (a). Compromissariis quibus illimitata est potestas eligendi, censetur etiam data illa postulandi, nisi expresse hoc excipiatur (1). Compromissum expirat, si revocetur a compromittentibus re adhuc integra; vel si tempus ad eligendum praefixum sit elapsum, vel conditione adjecta deficiat; aut si electio, vel postulatio ab ipsis facta ob defectum personae electae, vel aliam quamcumque causam non sit sortita effectum. Si vero compromissarii indignum eligant, devolvitur potestas ad compromittentes, sicuti in casu priore, si electio non sortiatur effectum: Si vero non eligunt intra tempus praefixum, tunc jus devolvitur ad Superiorem.

Electio sive per scrutinium sive per compromissum facta, saltem intra octo dies a tempore quo commode electores potuerunt, est intimanda; alias a prosecutione electionis eligentes ipso jure exclusi sunt, et ab omnibus beneficiis in illa ecclesia per triennium suspensi (2): electus intra mensem a die praesen-

---

(a) Forte argumento l. 4. d. quod cujusque universitatis, aut exemplo § 1. in fin. Instit. de satisfactione tutor. In hunc sensum c. 33. citatum vulgo explicatur. In ea specie facti septem fuerunt electi compromissarii hac formula, ut illum, quem ex se vel aliis de gremio ipsius ecclesiae omnes pariter, vel major pars nominaret eorum, idem capitulum reciperet in decanum. Cum unus ex illis septem a tribus ipsorum, et alius qui non erat de numero eorundem a tribus aliis decanum fuerint nominati, Innocentius III. decidit, priorem juxta compromissi tenorem esse assumendum, dummodo electioni de se factae consentiat.

(1) *C.* 30. (2) *C.* 16. *in* 6.

tatae debet acceptare electionem, alias excidit ipso jure per electionem acquisito (1); quod si tamen electus sine licentia alterius consentire non possit, debet ipse vel potius electores intra tempus, quod spectatis circumstantiis et boni viri arbitrio sufficit, illam petere et impetrare. Hac impetrata habet adhuc mensem ad deliberandum (2). Per electionem acceptatam ab electo acquiritur jus ad rem. Hinc qui non sunt in locis remotis, nimirum ultra Italiam, vel qui in discordia sunt electi, nullam ante confirmationem possunt exercere potestatem jurisdictionis, vel administrationis (3). Peccantes contra, privantur ipso jure sua potestate et sunt ineligibiles ad eandem, vel aliam praelaturam: ea vero quae ita gesta sunt, manent rescindenda, et revocanda. Attamen in locis valde remotis si in concordia sunt electi, possunt etiam ante confirmationem administrare tam in spiritualibus quam in temporalibus, excepta sola alienatione. Ita DD. jus ipsum explicantibus (4) (a).

(a) Per mutuum consensum eligentium et electi contrahitur quasi conjugale vinculum (sponsalia de futuro) (*). Secundum elegantem allegoriam (**) de translatione, paritas claudicat in eo quod his non obstantibus, velut sponsalibus de futuro, electus possit etiam invitis eligentibus renunciare juri suo, et sine postulatione, ad aliam eligi ecclesiam, saltem antequam electio cum consensu electi superiori fuerit praesentata ad confirmationem de qua mox.

(1) *C.* 6. *in* 6.
(2) *Ita cap.* 6. *cit.*
(3) *C.* 44. *de elect.*
(4) *C.* 9. *et* 17. *eod.*

(*) *C.* 21. *de elect.* (**) *C.* 4. *de translat.*

CONCLUSIO OCTAVA

De confirmatione electionis, deque ejus effectu discutitur.

Confirmatio peti debet ordinarie a Superiore proximo, et immediato cui ecclesia, vel dignitas electiva subest. Si electus habeat coelectum, vel adversarios impugnantes electionem, hi ante confirmationem nominatim vocandi sunt ad suam causam agendum (a): si vero electio fuerit concors, ad valvas ecclesiae nihilominus, in qua electio facta fuit affigendum est edictum generale in quo citandi sunt qui oppugnare volunt electionem: aliter electio non tenet (1).

Electus ad ecclesiam cathedralem et regularem quae Sedi Apostolicae immediate subjecta est, a notitia suae electionis habitae intra mensem ad sedem ipsam

(a) In discordia electus censetur quando aliquis eorum, qui sua vota ei non dederunt, vel ob supervenientem notitiam pro non datis haberi volunt protestando, vel opponendo se opponit. Quod opponitur vero respiscere potest: 1.° jus ecclesiae cui providendum est, 2.° jus sui ipsius opponentis, 3.° personam electi, nempe ejus crimina et defectus, auf electionis formam. Si ante electionem incidit protestatio, pars altera tuto pergit ad eligendum suo judicio, et justitiam, vel injustitiam protestationis ad processum confirmationis rejicit; si appellatio omnino interjecta est ante electionem, ne ad eam procedatur, nisi aperte frivola sit, deberent consistere electores, donec causa ad Superiorem delata sit (*). Si tamen appellatione non obstante ad electionem procedatur, haec per se valida est, quia appellatio fuit extrajudicialis quae effectum suspensivum non parit: Si tamen superior pro appellatione judicet, acta perinde ac irrita ab initio fuissent rescindere debet.

(1) *Cap. ult. in* 6.

(*) C. 10. *de elect.*

Apostolicam iter arripere per seipsum vel per procuratorem suum debet (1).

Nimirum ab seculo XIV. id obtinuisse videtur, quo reservationibus Pontificii, quae sub Joan. XXII, potissimum viguere ad Sedem Apostolicam confirmatio et consecratio Episcoporum devolutae fuerunt. Tunc enim non solum capitula jure nominandi, sed etiam metropolitani jure confirmandi ac consecrandi exciderunt. Equidem abs re erat ut a Papa nominatus, a metropolitano confirmationem acciperet. Ast quia inductis reservationibus Principes restiterunt, convenientius rati sunt Pontifices privilegium nominandi ad episcopatum illis, jus confirmandi et consecrandi sibimet vindicare. Quod et pactis conventis ann. 1818. comprobatum confirmatumque reperitur pro nostro Regno.

Jam vero formam confirmationis a Tridentino praescriptam innuere in animo est (2). Primum omnium processus inquisitionis de electi moribus, ac doctrina aetateque instruendus. Et quidem Romae, si de promovendis agitur intra Italiam, insulasque adjacentes; in provinciis vero, si de ecclesiis, quae ultra montes positae sunt (a). Inquisitio,

(a) Fit ergo in partibus remotis processus informativus de electi natalibus, aetate, doctrina, moribus; quod perquam conforme est canonibus (*) et quidem a Sedis Apostolicae legatis, seu nuntiis provinciarum, aut ab ejus (electi) ordinario, eoque deficiente a vicinioribus ordinariis (**), qui iidem fidei professionem ab electo exigunt, eamque una cum capta informatione, et voto suo, ac publico instrumento de actu electionis a notario publico confecto, aut a capitularibus vel scrutatoribus subscripto et sub-

(1) *C.* 16. *de elect. in* 6.

(2) *Sess.* 25. *in Decret. de reform. c.* 1.

(*) *Cap.* 3. *et* 40. *eod.* (**) *Trid. sess.* 22. *c.* 2. *de reform.*

in instrumentum publicum redacta, Cardinali *relatori* seu *proponenti* (qui si ecclesiae regiae nominationis fuerit, *protector* regni esse solet) traditur; quam tum ipsius, tum trium etiam Cardinalium h. e. primi Episcopi, primi Presbyteri, et primi Diaconi subscriptione roboratam, *Relator* ipse in primo consistorio, quod in locum Synodi provincialis successive videtur ad Pontificem refert. Atque id proprie dicitur *praeconizatio*. Tum in altero consistorio, *nisi aliud Beatissimo Pontifici videbitur expedire*, idem Cardinalis de promovendi dotibus Pontificem certiorem reddet. Quod dicitur *propositio*. Deinde ex suffragio Cardinalium qui electum confirmandum esse censent, haec pronuntiat Pontifex: *Auctoritate Dei Omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, ecclesiam N. de persona N. providemus, ipsumque illi in Episcopum praeficimus, et pastorem, curam, et administrationem ipsius eidem in spiritualibus, et temporalibus plenarie committendo.*

Effectus autem collatae confirmationis sunt 1.° jus in re quod per illam datur: 2.° conjugium spirituale inter ecclesiam et electum, quod per electionem inchoatum, per confirmationem fit ratum, et in consecratione intelligitur consummatum ut ait Innocentius III. (2): 3.° acquiritur plena administratio omnium jurium, tam spiritualium quam temporalium,

---

signato ad summam Sedem transmittunt prout adcurate a Gregorio XIV praescribitur (*). His Romae discussis tam super formam electionis, quam super electi personam collectis etiam votis Cardinalium, succedit verbis solemnibus confirmatio per ipsum Summum Pontificem.

(1) *In cap. licet IV. Extra de translat. Episcop.*

(*) *Bulla* Onus Apostolicae *ann.* 1591.

exceptis iis quae requirunt consecrationem. Quapropter ea omnia agere potest, quae ad jurisdictionem spectant, ut excommunicare, beneficia conferre, corrigere, delegare in foro interno et externo etc.; non autem ea quae sunt *ordinis* seu characteris episcopalis; ut ordinare, chrisma conficere, altaria consecrare etc. (a). Verum confirmandi jure ad Pontifices translato Bonifacius VIII. sancivit (1), ut nullus Episcopus, aut Praelatus, sine Apostolicarum literarum testimonio, ecclesiae suae administrationem suscipere praesumeret; secus, quidquid contra fecerit, irritum haberetur, et capitula, quae obedierint, a beneficiorum suorum perceptione suspenderentur. Ceterum hodie, fere omnium regnorum institutis, Episcopi etiam consecrati, ad regendas ecclesias minime accedunt, nisi confirmationis literae regio adsensu fuerint probatae, 4.° confirmatus potest dici Episcopus, sed cum addicto *electus* ita ut gaudeat etiam privilegiis Episcopo communibus, praecipue quod scilicet non comprehendatur generali sententia suspensionis, nisi expresse ejus fiat mentio. A Papa interim *dilectus filius*, non *frater* dicitur: 5.° confirmatus habet jus petendi investituram de qua sit.

(a) Excipe hinc tamen longe remotos Episcopos, ultra Italiam constitutos quibus *dispensative* ut ait Innocent. III. *propter necessitates ecclesiarum, et utilitates* (*) earum administratio ante confirmationem tradi solet. Quod obtinet in Indiarum Episcopis etc.

(*) *In cap. qualiter XVII.*

CONCLUSIO NONA

Investiturae seu institutionis corporalis necessitas demonstratur et declaratur.

Propria auctoritate non potest quis apprehendere possessionem beneficii quamvis sibi absolute collati (1); nam inter dantem, jus dicit, et accipientem debet esse distinctio. Fieri ergo debet investitura seu missio in possessionem consensu praelati ecclesiastici, corporalem possessionem tradere valentis (2) (a) modo per canones aut legitimam consuetudinem praescripto (3) (b). Etsi autem in re jus habeat electus, poena mulctandum esset ad arbitrium judicis si sine violentia adiret beneficium (4): beneficium tamen amittit si propria auctoritate, interveniente violentia possessionem caperet (5). Laicus sine consensu Episcopi non potest tradere investituram quoad spiritualia; ex consuetudine saltem quoad temporalia, specialem investituram potest (c).

(a) Si alius jam sit in possessione, citari, et examinari debet an juste possideat, nisi aliunde jam notorium esset, possessori nullum jus competere. Effectum missionis in possessionem est, ut qui per triennium, uti dictum fuit, postea bona fide, et cum titulo colorato beneficium sine simoniaco ingressu possedit, non tantum in foro externo tutus sit, et molestari litibus nequeat; sed vere praescribat.

(b) Hinc si is qui potest dare possessionem consentit; vel si collatio facta est cum aliquo signo investituram denotante ex. gr. traditione bireti, annuli, clavium etc. hisce tantum modis quis investituram accipere inteilligitur.

(c) Jure scripto Archidiaconi regulariter dabant investitu-

(1) *C.* 7. *de instit.*

(2) *C. ad haec* 7. §. 5. *de offic. Arch.* (3) *In cap. cit.*

(4) *C.* 18. §. *insuper de praeben. in* 6. *et argum. l.* 7. *C. unde vi.*

CONCLUSIO DECIMA

Institutio authorizabilis sive approbatio cui convenit aperitur.

In beneficiis, quibus cura animarum incumbit, si a quovis inferiore collata sunt etiam proprie, et in titulum, pro hac cura obtinenda recurrendum est ad Episcopum, qui praemisso examine, aut si alias idoneum judicet is, cui beneficium collatum est, concedendo curam animarum, dicitur dare institutionem authorizabilem, quae paucis est, auctoritas ab Episcopo data in oves, seu commissio regendi. Jure communi haec institutio Episcopi est, ab eoque facienda, praemisso de idoneitate examine uti dictum fuit, non obstante cujuscumque privilegii praetextu (praesentatis tamen electis, seu nominatis ab universitatibus exceptis, seu a collegiis studiorum generalium) tametsi institutio collativa tituli ad alium quemdam praelatum spectet. Estque institutio ista ad Sacramenta administranda clerico curato ita necessaria, ut absolutiones a non approbato factae sint omnino invalidae, nisi cum titulo colorato adsit communis er-

---

ram (*), vi tamen consuetudinis Episcopi tradunt illam etiam per Commissarios, Vicarios, vel alios. Fitque variis modis pro diversitate locorum et beneficiorum ex. gr. Abbates et alii Praelati investiuntur per inductionem in ecclesiam, et collocationem in Sede Abbatiali; Canonici per assignationem stalli, seu sedis in choro et capitulo; alii beneficiati per impositionem bireti etc.; aut in loco beneficii per inductionem in ecclesiam, osculum altaris, contactum vel reserationem januae, per promulgationem novi Parochi coram populo etc.

(*) *C. 1. de off. Arch.*

ror populi existimantis illum habere potestatem absolvendi. Praeter Episcopum competit 1.° capitulo sede vacante, vel Vicario ejus, et Vicario generali Episcopi; nam approbatio est actus jurisdictionis necessariae, 2.° Praelatis jurisdictionem quasi episcopalem habentibus in clerum et populum certi territorii, 3.° aliis etiam praelatis per speciale privilegium Apostolicum. Verum nec consuetudine nec praescriptione a Praelato inferiore Episcopo acquiri posse videtnr; nam in iis quae absurda sunt, et a SS. PP. institutionibus aliena, locum non habet consuetndo aut praescriptio. Sanctum Concil. Trid. (1) comprobat nostrum assertum, excludit enim in hac re talem praelatum praetextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis etiam ab immemoriali tempore praescriptae.

Differt institutio ista ab approbatione pro audiendis confessionibus: quae illis necessaria est qui beneficium curatum non habent (2).

CAPUT NONUM

DE POSTULATIONE.

Institutione seu collatione libera ad trutinam expensa, electionis argumentum materia illi connexum momento suo ponderavimus; proindeque de confirmatione egimus ut ipsa electio non solum collativa; sed et confirmativa dignosceretur. Diximus etiam de investitura et quasi appendicis loco de institutione au-

(1) *Sess. VII. c.* 13. *de reform.*
(2) *Trid. sess. XXIII. c.* 15. *de reform.*

ctorizabili sermo incidit. Nunc de admissione legitimi superioris restat ut dicamus, previa postulatione. Sit itaque.

CONCLUSIO PRIMA

Postulationis natura extricatur.

Postulatio quae in subsidium electionis antiquissimis temporibus adhibita fuit, huic loco proprie accepta est, concors petitio eorum, qui jus eligendi habent, directa ad superiorem, ut pro necessitate, vel utilitate ecclesiae aliquem admittat ad praelaturam, qui ob impedimentum canonicum in quo tamen dispensari solet, eligi non potest. Et sane *petitio* est, quia gratia innititur quae expectatur, non vocatio qua eligentes ex justitia vocant electum ad dignitatem vacantem. Eaque petitio omnes fecisse videntur; proindeque *Concors* dicitur, quia censetur actio collegii vel capituli, quae si non concurrat cum electione fit a majori parte illius (1). Si vero cum electione concurrat, tunc duae tertiae partes requiruntur respectu omnium vota dantium; vel si hae duae tertiae non conveniant tum praefertur electio; modo haec facta fuerit a majori parte quam sit tertia (a): *Eorum qui jus eligendi habent;* nam postulare possunt qui possunt eligere (2). Hinc qui est in quasi possessio-

---

(a) Ex. gr. sint decem et octo capitulares; duodecim debent convenire in unum postulandum; vel si ex illis, decem aliquem postulent, alii vero octo aliquem eligant, electio praefertur postulationi, etsi plures postulent.

(1) C. 1. *de his quae fiunt a majore etc.*

(2) C. 30. *de elect.*

ne eligendi; sic et postulandi. Compromissarius uti dictum fuit ad eligendum datus, etiam potest postulare (1) nisi expresse sit limitatum. Qui jus nominandi habet, inabilem non potest simpliciter nominare, sed cum postulatione. *Directa ad superiorem* qui plerumque est Papa (a). Ob *impedimentum canonicum* postulari enim tantum possunt, qui laborant impedimento canonico, et in quo dispensari potest, et solet: nam in illis naturalibus, ac divinis dispensari non potest: sicut nec in omnibus etiam ecclesiasticis solet dispensari (b).

Differt ergo ab electione postulatio; nam 1.° haec inhabilem, seu talem qui dispensatione indiget, ele-

---

(a) Sunt tamen casus quorum dispensatio ad Episcopum etiam pertinent. Et 1.° si canonicatus ponitur electivus et obstat statutum episcopale vel antiqua consuetudo, ne minor 25 ann. eligatur. 2.° Si in casu personatus electivi locum habet (*) vel 3.° in casu beneficii simplicis electivi (**) vel 4.° in casu contractae bigamiae similitudinariae (***) vel 5.° in casu quo Episcopus vi Trid. dispensare potest in irregularitate occulta, cujus suspicione aliquis sic ferret suffragium: *Eligo, vel postulo prout potest melius de jure valere* de quo dicemus deinceps.

(b) Puta si quis est bigamus, spurius e damnato coitu, infamis, temerarius violator interdicti, religiosus mendicans ad ecclesiam secularem cathedrali inferiorem, et monasterium quodcumque extra suum ordinem; et quicumque 27 aetatis ann. non exegit ad ecclesiam cathedralem, (****) Episcopus, qui criminis eluendi causa in monasterium descendit: aliud si ex alia causa, aut si loco tantum non ordini et dignitati renunciavit (*****). Episcopus item debet postulari si promovendus sit ad alium episcopatum, quia debet solvi a conjugio spirituali cum priore ecclesia contracto (******).

(1) *Ibidem.*

(*) *C. un. de aetat. in 6.* (**) *C. 1. de fil. presbyt. in 6.*
(***) *C. 4. de cleric. conjug.*
(****) *Extrav. unic. inter comm. de postulat.*
(*****) *Cap. 11. de renunt.* (******) *Cap. ult. de postulat.*

ctio personam supponit de jure habilem ; haec a superiore dicitur confirmari , postulatio admitti ; electio facta canonice et accepiata, electo parit jus aliquod , electores variare possunt, et superior confirmare tenetur electum si dignus sit : at postulatio nullum postulato jus confert (1) , imo hic in eam absolute , et absque conditione impetrandae dispensationis consentire non potest , postulantes variare et revocare possunt , quamdiu postulatio Superiori nondum est praesentata, Superior injuriam non facit eam rejiciendo ; etsi ex debito officii quo publicum ecclesiae bonum promoveri tenetur, si postulatio facta sit concorditer, et ob necessitatem vel utilitatem ejusdem, obligetur ad admittendam eam (a).

CONCLUSIO SECUNDA

Admissio postulationis ; hujus forma ; et poena indigne postulantium declarantur.

Ad quem spectat confirmare Praelati electionem dummodo habeat potestatem dispensandi super impedimento postulati , spectat et admissio postulationis

---

(a) Est et alia postulatio quae non ita solemnis; sed simplex dicitur , qua non petitur dispensatio , sed Superioris tantum consensus, ex. gr. si quis regularis nullo canonico impedimento ligatus , aut clericus alienae dioecesis postulatur ad praelaturam, consensus, sive licentia Superioris regularis, aut Episcopi ei tantum necessarius est , ne juri alterius praejudicetur : praestito tamen tali consensu potius eligitur. Differt autem a dispensatione licentia, hac enim non solvitur lex sive relaxatur, prout fit per dispensationem, sed ponitur tantum conditio a lege requisita , qua cesset obligatio legis.

(1) *C. 3. de postul.*

ipsius, quae vim habet eandem ac confirmatio (1). Plerumque Papae est admittere postulationem ut ex dictis patet. Effectus praesentatae postulationis coram Superiore est, ut resilire et poenitere non liceat postulantibus (2), ne Superiori illudatur, qui quidem potest admittere si velit variationem. Idem inquirit tum de meritis postulati, tum de utilitate, aut necessitate ecclesiae. Effectus autem admissae postulationis, est, quod nova confirmatione non indiget postulatus; interque eum et ecclesiam efficitur spirituale conjugium, si absolute, et de novo consentiat.

Forma cap. 41 de electione jam antea excussa, num sit necessario adhibenda in postulatione solemni adhuc inter DD. vertitur; nobis arridet magis sententia negativa tum quia necessitas ejus nullo jure probari potest; tum ob magnum discrimen inter electionem quae est majoris efficaciae, et postulationem quae non tollit potestatem variandi. Sunt tamen formae postulandi proibitae et reprobatae nimirum 1.° eligo postulando, vel postulo eligendo; 2.° eligo postulandum, vel postulo eligendum; 3.° eligo in postulandum, vel postulo in eligendum: ita ut sub aliqua ex praedictis formis electio vel postulatio si facta fuerit, ipso jure irrita simul sit (3). Quod si probabiliter dubitetur num aliquis sit eligendus, vel postulandus; potest electio, et postulatio fieri ea forma prout melius de jure valere potest ratione dubii probabilis sive juris, sive facti; debet tamen sic electus et postulatus necessario se determinare; num via electionis, an vero postulationis prosequi velit, et optione facta ad alteram redire non potest (4).

---

(1) *Abb. in cap. fin. eod.*
(2) *C. 4. de postul.*
(3) *C. unic. eod. in 6.*
(4) *Ibid.*

Poena postulantium indignem propter defectum indispensabilitatis est, ut pro ea vice sint ipso jure privati facultate postulandi et eligendi: ita DD. communiter ipsum jus interpetrantur (1); quod quidem eandem poenam sancivit in illos qui postulationem personae indignae, et ob vitium personae cassatam seu reprobatam renovant.

CAPUT DECIMUM

DE INSTITUTIONE SPECIFICE TALI, SEU DE NECESSARIA COLLATIONE BENEFICIORUM JURISPATRONATUS.

Collatores beneficiorum saepe tenentur certis clericis illa conferre, quos alius ex jure in ecclesia praesentavit, hoc casu offerens dici solet patronus, beneficia jurispatronatus, et collatio stricto jure institutio. De his, ut proposita materia de collatione beneficiorum absolvatur, praesens caput agit.

CONCLUSIO PRIMA

Juspatronatus et in suis speciebus distinguitur et emodatur.

Potestas, et facultas nominandi seu praesentandi (a) clericum Episcopo sive alio collatori legitimo

(a) Jus praesentandi et nominandi de jure scripto non differt; consuetudine vero jus nominandi est jus determinandi clericum ad beneficium, qui si dignus sit, debet dein praesentari ab eo, qui

(1) *C.* 1. *et* 2. *de elect.*

promovendum et instituendum ad beneficium ecclesiasticum vacans, dicitur juspatronatus (a). Ut ergo institutio sit canonica in beneficiis jurispatronatus voluntati patroni, consensus collatoris accedat aut superveniat necesse est; et usus juris illius ita debet attendi ab instituente, ut si inscio vel contradicente patrono conferat alicui beneficium, vel alteri quam sit praesentatus collatio sit nulla. Verum si talis patronus collationis se praeterito factae conscius, intra tempus ad praesentandum sibi concessum non reclamaret, censeretur consentire; et nullitas sanari. Episcopus interim cujus fuisset instituere praesentatum idoneum, compellendus est ad providendum illi de competenti beneficio ex jure, quod sic se habet: *Constituimus ut Episcopus qui praesentatum idoneum malitiose recusavit admittere, ad providendum eidem in competenti beneficio compellatur* (1). Accedit ex sententia DD. jus ad rem a presentato acquisitum, quod luere ei teneretur Episcopus (b).

---

jus habet praesentandi, nimirum proponendi clericum illi, qui beneficium potest et debet praesentato conferre, si dignus habetur.

(b) Hoc sensu acceptum jus patronatus in ecclesia diu ignotum, sensim inde receptum fuit. Et in Occidente quidem Synodus Arausicana primum ann. 441. gratiam fecit Episcopo cuidam, qui in aliena dioecesi ecclesiam extruxit, ut ad eam regendam pro arbitrio clericos eligeret, et loci Episcopo sisteret ordinandos. Deinceps et eodem Occidente et in Oriente non Episcopi solum, sed et fundatores omnes jure nominationis aucti sunt, quae disciplina seculo IV. jam invaluerat; etsi tunc temporis in haeredes fundatorum non transibat. Verum nominibus utebantur tantum fundatoris, aedificatoris, non patroni; et nominatio iis data, gratia, non jus dicebatur.

(c) Uti ex electione, ita ex praesentatione plures sunt DD.

(1) *C.* 29. *de jure patron.*

Quod vero praesentare ad beneficium, sive ad officium ecclesiasticum, saltem tamquam praeambolum ordinatur ad jus spirituale obtinendum, inde quid spirituale, vel spirituali adnexum esse patronatum patet; nec pretio ergo temporali ipsum, ejusve usus aut exercitium aestimari, aut emi vendi potest venditione late, aut stricte tali; neque bonorum pretium augeri potest ratione adnexi patronatus; judicem competentem dein, si lis moveatur circa illud, privative esse ecclesiasticum colligitur (a).

Dividitur juspatronatus 1.° in ecclesiasticum quod acquiritur ex bonis ad ecclesiam pertinentibus; ad fundandam scilicet applicatis, construendam vel dotandam illam; aut annexum est dignitati cuidam ecclesiasticae beneficii, loci pii etc. ex. gr. Episcopo decano, religiosis etc. 2.° Laicum, quod alicui vel competit ex titulo saeculari puta, donatione, vel ex bonis patrimonialibus (etiam a clerico) in fundandam etc. ecclesiam expensis comparatum est: sit clericus acquirens sive sit laicus. 3.° Mixtum, si partim ex titulo laico, partim ex ecclesiastico proveniat (b):

---

qui sentiunt jus ad rem oriri. Ast in decretalibus jus *inchoatum* praesentato tribuitur; ratum enim et perfectum non esse dicitur ibi (*), sicut esse debet quodcumque jus ut sit verum. Et reipsa si plures simul vel successive praesententur, neuter videtur stricte jus ad rem habere.

(a) Vide quae de immunitatibus a foro seculari dicta sunt.

(b) Juspatronatus ecclesiasticum potest transire in laicale si ejusmodi jus sive titulo oneroso permutationis, vel juxta probabilem, etiam titulo lucrativo puta, donationis in laicum translatum est. Et vicissim si originaliter ejusmodi jus laicale, transferatur in ecclesiam vel monasterium. In dubio jus patronatus competens clerico praesumitur esse ecclesiasticum; competens lai-

(*) *C. 5. de jure patron.*

istud tamen in favorabilibus habetur pro laicali. Subdividitur jus patronatus laicale 1.° in personale, quod adhaeret personae ex. gr. fundatoris et descendentium: 2.° in reale vel accessorium quod rei adhaeret temporali ex. gr. castro, praedio, universitati bonorum vel jurium, et transit ad quemcumque etiam non haeredem, modo rem acquirat, cui est adnexum (a). Est etiam haereditarium vel familiare, illud ad haeredes quoscumque transit, etiam extraneos, et tale communius intelligitur, consequenter etiam in dubio praesumitur tale; familiare autem est quod transit ad illos qui sunt ex certa familia, si ex ea aliquis sit, secus transit etiam ad alios haeredes, nisi constat esse restrictum ad solam familiam. Quod si alicui qui religiosus est, competat, tunc exercetur hoc jus per monasterium, ita tamen ut post mortem religiosi ad familiam redeat.

co pro laicali habetur; et hoc ex communiter contingentibus. Adhaec si quis titulo laico habet jus nominandi, et alter titulo ecclesiastico jus praesentandi, tunc ejusmodi beneficium censetur esse patronatus laici, et vicissim, quia jus nominandi praevalet, cum vi illius determinatur persona communis. Papa non solet, imo numquam censetur, nisi clare exprimat, derogare juripatronatus laico, bene tamen ecclesiastico (*).

(a) Per se juspatronatus censetur esse personale, nisi ex fundatione, consuetudine, praescriptione, vel legitima auctoritate attributum sit bonorum possessoribus.

(*) C. 28. *de jure patron.*

CONCLUSIO SECUNDA

Jura quae negantur patronis, quaeque competunt eis distinguntur, aliaque de eisdem nonnulla edisseruntur.

Laicorum tantum est optare, aut desiderare beneficium, et pastorem; non ita praesentare ut institutio sit necessaria; nisi tale jus eis ecclesia concesserit. Hinc habilitati ipsi jure communi dicuntur ad patronatum (1); omnes quidem et soli fideles, qui specialiter non prohibentur, non solum mares, sed etiam faeminae et illegitimi. Item infantes et furiosi etc. quorum tamen loco praesentat pater, tutor, curator. Pupillus, minor, filius familias jam rationis capaces, si sint patroni, possunt absque auctoritate tutoris, patris, praesentare; quia in spiritualibus non attenditur potestas patris. Ita DD. E contra 1.° Judaeus aut paganus seu infidelis non sunt capaces jurispatronatus. 2.° Haeretici saltem de jure; de facto enim in Germania horum praesentationes admittuntur. Excommunicatus, etsi non perdat jus patronatus, ejus tamen usu, et exercitio privatur, donec fuerit absolutus. Interim si ab eo fiat praesentatio, quamvis non teneatur Episcopus eam acceptare, valida tamen est si acceptat, et si vitandus excommunicatus non est, etiam licita habetur contra quosdam, ab aliquibus DD.

Sive laici, sive ecclesiastici patroni potestatem non habent administrandi, vel libere disponendi bona ecclesiae: in institutos, vel destitutos clericos in ec-

---

(1) *C.* 3. *de jure patron.*, *et c. ult. de concess. praeb.*

clesiis patronatis, nec jurisdictio aliqua patronis est etsi ipsi illos praesentarunt (1). Praelati tamen regulares a beneficiatis, quos praesentant Episcopo, rationes exigere de rebus ecclesiae temporalibus possunt (2). Is qui ecclesiam collegiatam fundavit etc., est quidem patronus illius, non tamen habet jus eligendi praelatum, ideoque suffragium ferre non potest in electione, praesertim si laicus sit; nec debet praelati electioni interesse, neque illius assensus ante electionem requirendus est. Si vero patronus ecclesiasticus indignum praesentavit, tunc ipso jure privatus est, vel saltem post sententiam judicis privandus, et jus praesentandi ea vice devolvitur ad proximum superiorem ita ut hic libere beneficium conferre possit (3). Ast laicus non privatur eo jure si praesentet indignum, ideoque huic mandari debet, ut alium praesentet, eumque idoneum. Et disparitas est quia laicus minus est expertus circa ecclesiastica et minus, uti videbitur mox, habet tempus ad praesentandum (4). Laicis non est concessum jus nominandi aut praesentandi praelatum seu rectorem, nisi in non collegiata, seu cappella etsi parochiali (5).

Patronus non potest propria auctoritate jus suum alienare, nec aliquid temporale ab ecclesia patronata exigere vel a beneficio, nec aliud onus imponere, nisi pensio aliqua in prima fundatione, cum consensu Episcopi, patrono fuerit reservata (6).

---

(1) *C.* 4. *tit. de jur. patron. et Trid. sess.* 25. *c.* 9.
(2) *C.* 3. *de privileg.*
(3) *Arg. c.* 7. *de elect. et c.* 2. *de suppl. neglig. prael.*
(4) *C.* 25. *de jure patron.*
(5) *Ibid.*
(6) *C.* 22. *eod.*

Nullus potest praesentare seipsum cum inter dantem, et accipientem debeat esse distinctio personalis ait Testus (1). Quod velut generale principium in his materiis est receptum, ut ambitioni et fraudibus praecludatur locus (2) (a). Demum non potest presentari nisi persona institutionis capax, nimirum omnibus qualitatibus instructa, spectata tam natura beneficii, quam mente fundatoris: alias presentatio vel rescissioni est obnoxia, vel irrita (b).

(a) Excipitur: 1.° Si Episcopus vel alius qui jus institutionis habet, patrono ad se vocato beneficium proprio nutu conferat, et patronus conveniat: 2.° Si patronus, ut sibi conferatur, oblatis precibus supplicet, et Episcopus vel alter collator ei supplicanti deferat: 3.° Si patronus habeat adhuc unum, vel plures compatronos, et ipse praesentationi sui ab ipsis factae consentiat. Insuper potest etiam patronus suum filium, si idoneus sit praesentare (*).

(b) Si ex prima fundatione aliquis ex certa familia, vel loco sit praesentandus, talis est praesentandus modo dignus sit, licet aliunde haberi possit dignior. Si tamen ex duobus vel pluribus ex certa familia vel loco praesentandis unus sit dignior caeteris ex eadem familia, tunc dignior praesentari debet: alioquin peccat praesentando dignum omisso digniori uti ex communi docent DD., quamvis uti addunt alii probabile sit, non esse peccatum saltem grave, praesentare minus dignum praeterito digniore ad canonicatus ecclesiae cathedralis et collegiatae, ac alia beneficia simplicia; secus ad beneficia curata et dignitates ecclesiasticas. Diximus autem *rescissioni obnoxia vel irrita* nam si qualitas certa requiratur ob bonum publicum ecclesiae ex. gr. gradus literarius, tunc praesentatio illius qui caret requisita qualitate, est nulla, et irrita, etsi nullus contradicat (**). Poterit igitur talis praesentatio, nemine petente, ab institutore ordinario rejici: si vero qualitas requiratur ob favorem personarum privatarum ex. gr. ut aliquis sit ex certa familia loco

(1) *C.* 26. *eod. et c. fin. de inst.* (2) *Ibid.*

(*) *C.* 15. *h. t.*

Quilibet patronus etiam ecclesiasticus potest simul plures praesentare; successive solum laicus, seu hoc tantum variare potest nimirum, postquam unum idoneum praesentavit, si res adhuc sit integra, potest et alium idoneum priori addere (1); ita ut unus ex praesentatis institui debeat; optio tamen Episcopo in hoc casu conceditur ut instituat, quem maluerit (2), modo unus non sit dignior altero (a). Quando beneficium curatum est jurispatronatus ecclesiastici debet observari forma praescripta a Trid. (3) et institui concursus: quae forma non debet necessario observari in beneficiis laici patronatus. Laicus praesentare debet intra quatuor menses, ecclesiasticus intra sex menses a die vacationis cognitae numerandos vel per seipsum vel

---

etc. tunc talis praesentatio obnoxia est rescissioni, si quis extraneus praesentetur, dummodo illi, quorum interest petant rescissionem. Si vero non ignorantes tamen non contradicunt, tunc est valida, quia quilibet favori pro se principaliter introducto potest renuntiare, et in tali casu, qui ita tacent, censentur renuntiare (**).

(a) Excipe: 1.° si lis contra priorem praesentatum, de cujus habilitate controversia mota, adhuc pendeat; tunc enim laicus, lite pendente, alium praesentare non potest (*). 2.° Si patronus laicus juravit uno praesentato non praesentaturum alium, quia juramentum quod servari potest, servandum est. 3.° Nec patrono laico variare licet si habeat compatronum ecclesiasticum sibi concordem; quia hic utpote absolute prohibitus, nec in societate patroni laici variare potest; consequenter ille in quem conspiravit uterque semper vota majora habebit, nimirum duo; alius vero vel alii superadditi a patrono laico non nisi unum haberent.

(1) *C.* 5. *et* 24. *h. t.*

(2) *C.* 24.

(3) *Sess.* 24. *c.* 18 *de reform.*

(*) *Cap.* 12. *de for. compet. et L.* 11. *ff. de pact.*

(**) *Arg. Reg.* 43. *in* 6.

(***) *Arg. c.* 1. *ut lit. pendent. in* 6.

per praesentationis literas datas, quas praesentatus offerre debet Superiori ad quem spectat (a). Si intra tempus legitimum nemo praesentatur, libere Episcopus confert beneficium; nisi vel ultro adhuc admittat praesentationem; vel praesentatio sine culpa patroni non obtinuit effectum, tunc enim novum tempus conceditur. In summis tamen principibus tam exacte ad praefixos terminos temporis non attenditur. Si juspatronatus sit mixtum quin sint compatroni laicus et ecclesiasticus, spatium semestris habebit etiam laicus ad praesentandum; nam socius non privilegiatus per communionem cum privilegiato participat commodum ejus in eadem re communi et indivisibili (1).

Si praesentatio fiat ab eo qui tunc fuit in possessione bona fide, et communiter etiam patronus credebatur, hujusmodi praesentatio est valida, et institutus non amplius amoveri potest (2). Si vero lis, sive controversia sit mota super jure patronatus ante factam praesentationem, et quidem de ipsa possessio-

(a) Tempus praesentandi jure praefixnm ab initio est utile seu non currit ignoranti, vel legitime impedito. At si semel caepit currere, est continunm, seu pergit currere etiam interveniente impedimento, modo hoc non sit continuum, quod a patrono debet probari. Excipitur tamen casus si lis scilicet inter Episcopum sit et patronum, an ecclesia vel beneficium sit patronatum nec ne; tunc interim dato vicario si opus fuerit ab Episcopo, tempus a jure definitum ad praesentandum incipit currere a die vacationis ecclesiae, vel beneficii, etiam sine culpa aut negligentia patroni, qui lite pendente non potest praesentare, quod est speciale in hoc casu.

(1) *Leg. si comm. ff. quemadmodum servit. amittunt. Gloss. in c. unic. de jure patron. in* 6.

(2) *C.* 19. *h. t.*

ne, tunc lite pendente non debet admitti praesentatio, quia si probatum fuerit ipsum non possidere, praesentatio foret invalida (1). Et si tunc tempus praesentandi absque culpa ipsius judicis sit elapsum, tunc collator pro illa vice libere et absolute confert beneficium ne ecclesia, vel salus animarum ex longa vacatione beneficii damnum patiatur (2). Si vero lis movetur tantum de proprietate juris, et unus ex litigantibus possidet illud, tunc iste intra tempus a jure determinatum debet aliquem praesentare; secus pro illa vice jus praesentandi amittet, et beneficium vacans ab Episcopo libere conferetur.

Praeter jus praesentandi quod est praecipium et nobilissimum ideoque solum in definitione jurispatronatus comprehensum, patrono debentur jura quae honorifica nominantur ceu primus locus in processione, in ecclesia, in thurificatione oblationibus, aspersione aquae benedictae osculo pacis etc.: et si adnopiam vergat, ab ecclesia illi modeste succuritur, cum habet unde succurat (3). Vicissim patroni est, protegere ecclesiam ejusque conservandis juribus invigilare (4).

CONCLUSIO TERTIA

Modi quibus juspatronatus adquiritur designantur enucleanturque.

Pluribus modis jus patronatus adquiritur, quorum potiores a Glossa hoc versu comprehenduntur. *Pa-*

---

(1) *C.* 19. *cit. et arg. C.* 2. *de in integr. restit.*
(2) *C.* 3. 12. 22. *h. t.*
(3) *C.* 25. (4) *Can. filiis* 31. *c. XVI. q.* 7.

tronum faciunt Dos, *Edificatio*, *Fundus:* (1) modo adsit consensus Episcopi, vel capituli Sede vacante (2) et jus patronatus non fuerit remissum expresse, vel per actum contrarium; atque hi modi dicuntur primitivi.

Fundasse ecclesiam ille dicitur qui dedit fundum, sive terrae solum, in quo ecclesia construatur (a) (3) *Construxisse* qui sumptibus suis eam aedificavit (b) (4)

(a) Per solam fundationem seu soli assignationem, non acquiritur juspatronatus, nisi secuta fuerit constitutio, et dotatio ecclesiae; vetant enim canones ecclesiam aedificari nisi prius satis redituum alendis ministris et sustinendo religionis exercitio tribuatur (*). Etsi vero quidem doceant sola donatione fundi juspatronatus non acquiri; ajentes fundationem quam canones memorant esse constructionem, et vix esse aliquem posse, qui in alieno fundo ecclesiam aedificet: attamen da:o etiam interdum constructionem confundi cum fundatione; et in suo ut plurimum non in alieno fundo ecclesiam omnes aedificare, eccur qui fundum dedit juspatronatus acquirere non debet, et eo vel magis quod canones non liqueat cum de fundatione loquentur ad constructionem omnes referendi. Ita clariss. Devoti (**).

(b) Sub constructione comprehenditur etiam reparatio seu reaedificatio, si enim quis ecclesiam penitus dirutam, ita ut nova consecratione indigeat, in totum reaedificat, juspatronatus acquirit, quia proinde est ac si ab initio extruxisset, etiamsi ex priore materia raedificaverit; adhuc enim primus constructor juspatronatus amittit, quia jus semel extinctum in re pereunte nunquam reviviscit (***). Debet prius tamen ordinarius sciscitare primum constructorem, an velit eam reaedificare, eumque volentem cuicumque debet praeferre (****).

Idem dicendum de dote, si haec omnino pereat, et alius no-

(1) *In can. piae mentis c.* 16. *qu.* 7. *c.* 3. *h. t. c.* 25. *eod. et Trid. sess.* 24. *c.* 12. *de reform.*

(2) *C. nobis in princ. h. t.*

(3) *C.* 32. *c.* 16. *q.* 7. *cit.*

(4) *C.* 25. *h. t.*

(*) *Can.* 26. *cap.* 16. *q.* 7.

(**) *Tit. V sect.* 4. *vol.* 1.

(***) L. 98. §. *Arcam ff. de solut. et arg. l.* 10. *ff. quib. mod. usus fruct. amitt.*

(****) *Ita Fagnan. in c. quoniam h. t.*

annuos sufficientes redditus assignavit (1) (a); secus *Dotasse* dicitur qui non est patronus, sed benefactor. Sicut etiam est tantum benefactor qui ecclesiae aliquid donat vel legat non fundandi, construendi, vel dotandi, sed tantum animo donandi. Si unus idemque fundavit, construxit, et dotavit erit hic solus patronus; verum si unus fundavit, alter construxit, et tertius dotavit, omnes tres erunt patroni aequaliter et in solidum; nam legitur Textus citatus disjunctive, proinde sufficit alterutrum ad jus patronatus acquirendum; etsi sibi id specialiter non reservarit quisque illorum (2), nisi cum agitur de ecclesia conventuali (3). Modi derivativi quibus jus patronatus rei annexum transfertur sunt: 1.° Successio haereditaria (4), ita ut jus patronatus ad quosvis haeredes patroni, cum universitate bonorum quibus est adne-

---

vam dotem assignet. Adhaec si ecclesia construatur in fundo alieno et dominus fundi consentiat, etiam habet juspatronatum; secus habet solus construens. Dominus tamen potest ecclesiam in suo fundo aedificatam, ipso inscio vel invito, propria auctoritate destruere vel occupare, si nondum sit consecrata (*) si vero sit consecrata, non potest occupari vel destrui, licet extimatio fundi a construente solvenda sit domino (**).

(a) Talis titulus ex authentico instrumento ostendi debet, aut etiam ex multiplicatis praesentationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat (***). Sicque Trid. Synod. pleniorem requirit probationem in iis personis, aut communitatibus in quibus id jus plerumque ex usurpatione quaesitum praesumitur.

(1) *C.* 31. *c. et q. cit.*
(2) *C.* 31. *cit.*
(3) *Arg. c.* 41. *de testib.*
(4) *C.* 25. *h. t.*
(5) *C.* 3. *h. t.*

(*) *C.* 1. *et* 2. *de N. O. N.*
(**) *Arg. c.* 2. *c.* 14. *q.* 6.
(***) *Trid.* 1. *c. sess.* 25.

xum, transire possit, et quidem tam ex testamento, quam ab intestato, atque non solum descendentes, sed etiam haeredes extraneos sive mares sint, sive faeminae (1) (a). Si quis alteri succedit in beneficio, officio, aut alia re cui annexum est jus patronatus etiam in eo succedit. Si tamen testator in tali re constituerit usum-fructum jus patronatus habet usumfructuarium; sicut post haereditatem restitutam habet id haeres fidei commissarius.

2.° Donatio cum consensu Episcopi (2), qui tamen consensus non requiritur, si donatio fit in commu-

(a) Si plures sint haeredes patroni ecclesiae, etiamsi in partibus in aequalibus instituti sint, tamen juspatronatus ad quemlibet haeredem in solidum transit, ita, ut non unus seorsim, sed omnes simul, et communiter praesentare debeant (*). Interim tamen haeredibus, ne oriantur discordiae, et ecclesiae facilius provideatur, permissum est (**) ut patroni jus praesentandi inter se libere dividant ratione temporis, seu sine superioris auctoritate, ita ut unus prima vice, cum ecclesia vacat, alter secunda, et tertius tertia vice praesentet. Praeterea si plures sint patroni ex. gr. unus ratione fundationis, alter constructionis, et tertius dotationis, et primus relinquat unum haeredem, secundus duos, tertius tres vel quatuor, tunc plures haeredes plurium patronorum originalium succedunt in jure patronatus non in capita, sed in stirpes, seu primus haeres primi patroni habet unam vocem, duo haeredes secundi patroni simul etiam unam habent vocem et tres haeredes tertii patroni etiam nonnisi unam vocem. Quotiescumque autem praesentatio ad plures pertinet, *ut singulos*, ille censetur legitime praesentatus, qui plura suffragia in majoraque habet merita (***). De dissensione patronorum erit videre c. 1. 2. 3. h. t.

(1) *C.* 1. *h. t. et Clement.* 2. *eod.*
(2) *C.* 4. *de donat.*

(*) *Ex Clement.* 2. *in princ. h. t.*
(**) *Cit. Clement.*
(***) *C.* 3. *h. t.*

nitatem ecclesiasticam, aut etiam clerico nomine ecclesiae vel dignitatis quam obtinet (1) (a).

3.° Dominium plenum, vel saltem utile bonorum, quibus est adnexum jus patronatus; quod etsi pretio temporali non extimetur; tamen refertur ad fructus et commoda rei (2) (b).

4.° Permutatio; nam jus patronatus cum alio simili jure permutari potest, accedente tamen consensu Episcopi, qui sicut in donatione regulariter requiritur (3). Non tamen potest permutari cum re, aut jure mere temporali, quod nec spirituale est, nec spirituali annexum (4).

6.° Concessio in focudum vel emphiteusim, vel dotem et probabilius per rei locationem simpliciter factam; ex jure enim cum re conceditur accessorie jus patronatus annexum, et etiam conductori conceditur usus et fructus: ergo presentatio quia censetur inter fructus per locationem transferri potest (c).

(a) Jure proprio si competat juspatronatus potest donari, secus si alicui competeret jure ecclesiae; tunc enim illud donare vel alienare non licet absque auctoritate et solemnitatibus jure requisitis. Insuper patronus ecclesiae juspatronatus laico, vel etiam clerico, ut personae privatae donare non potest sine consensu Episcopi, alias donatio est invalida (*). Potest tamen probabilius patronus compatrono suo etiam privato sine consensu Episcopi jus patronatus donare (**).

(b) Oppignorato fundo non transit jus patronatus eidem adnexum, in creditorem (***).

(c) E contra si res ex. gr. Castrum cui jus patronatus annexum est, creditori in pignus, vel hypotecam detur, non tran-

(1) *C.* 8. *h. t. et c. unic. in princ. eod. in* 6.
(2) *C.* 7. *h. t.*
(3) *C.* 5, *de rer. permut.* (4) *C. ult. de rer. permut.*

(*) *Ex c. un. h. t. in* 6. *a sensu contrario.*
(**) *Gloss. in c.* 14. (***) *C.* 18. *de sent. et re jud.*

CONCLUSIO QUARTA

Qua ratione extinguitur, vel amittitur jus patronatus declaratur.

Amittitur jus patronatus vel sine, vel cum delicto: Sine delicto, 1.° Totali destructione ecclesiae: item interitu dotis respectu dotantis. 2.° Si extinguatur fundatoris familia cum sit familiare, sive gentilitium certae familiae reservatum. 3.° Voluntaria cessione alteri facta, vel remissione hujus juri, ita ut beneficium fiat liberae collationis (1); imo etiam tacita, ut si patronus patiatur ecclesiam patronatam converti in collegiatam, in qua non potest locum habere praesentatio, sed electio (2). 4.° Unione accessoria beneficii, aut ecclesiae patronatae ad beneficium vel ecclesiam liberam, vel ad monasterium (3). 5.° Non-usu per viam praescriptionis longissimi, vel longi temporis, si patronus, cessante legitimo impedimento, nullum praesentavit, modo interea intervenerint saltem duae collationes sine praesentatione (4). 6.° Suppressione, vel revocatione juris patronatus a Pontifice facta, quam tamen nec solet facere, nec censetur velle in patronato laico, ortum ex fundatione etc. nisi id clare exprimat.

Ex delicto amittitur 1.° propter haeresim, si patronus fiat haereticus (5), 2.° propter simoniam;

---

sit juspatronatus in creditorem, quia in pignore non conceditur usus, aut fructus rei, saltem si fructus non possint restitui aut in sortem computari: uti revera est praesentatio quae semel facta non potest restitui, quia retractari non potest, sicuti nec in sortem computari quia esset simoniacum.

(1) *C. 1. h. t. in 6.* (2) *C. 25. h. t.*
(3) *C. 8. de constit.* (4) *Vide Barbosa lib. 3 I. E.*
(5) *Cit. Barb. ibid.*

qui nempe vel simoniace vendidit, vel acquisivit jus patronatus (1), 3.° propter crimen laese Majestatis, vel aliud enorme crimen inducens confiscationem bonorum quibus jus patronatum est annexum; ex tunc, si jus patronatus est reale amittitur ipso facto, si personale, per sententiam privatorium, 4.° per caedem aut mutilationem rectoris, aut alterius clerici ecclesiae patronatae, a patrono vel per se, vel per alium factam (2), 5.° propter perceptionem fructum beneficii illicitam, aut temerariam bonorum illius usurpationem eos sibi applicando, vel ne ad beneficium perveniant, impediendo (3), 6.° si per venditionem, vel alium illicitum modum contra canonicas sanctiones in alium transferre praesumitur jus patronatus (4) (a).

(a) Notandam 1.° quod solus delinquens amittit juspatronatus, non ejus successores ab ipso fundatore specialiter vocati, neque compatroni innocentes: 2.° quod ad actualem privationem ex delicto requiritur communiter, licet jus dicat amitti ipso facto, sententia declaratoria criminis, quia poenae privativae non incurruntur omni sententia.

(1) *Trid. sess.* 25. *c.* 9.

(2) *C.* 12. *de poenis.*

(3) *Trid. loc. cit.*

(4) *Trid. ibid.*

CAPUT XI.

DE EXCEPTIONIBUS QUIBUS BENEFICIUM OBTINERI SINE INSTITUTIONE VALET.

CONCLUSIO PRIMA

Praescriptione beneficia obtineri possunt.

Titulo etsi colorato collationis, institutionis etc. reipsa invalidae propter defectum occultum beneficii, sic obtenti, jus et quasi dominium acquiritur, atque stabilis in eo titulus, tamquam per praescriptionem, triennali, et pacifica possessione bona fide instructa ex Reg. Cancell. 36. quae *de triennali possessione* inscribitur ibi enim sic dicitur: *Si quis quaecumque beneficia ecclesiasticae, absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, Apostolica, vel ordinaria collatione: aut institutione eorum, ad quos ista pertinent, per triennium pacifice possederit* (*dummodo . . . se non intruserit*) scilicet qui aut nullum habet titulum, vel non ab eo cujus est conferre, *super iisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat* etc. Tam ergo in possessorio, quam in petitorio haec praescriptio excludit omnem actionem; atque sicut omnis alia praescriptio legitima in foro conscientiae procedit (a).

(a) Non desunt DD. qui docent bonae fidei non obesse, si promotus per titulum coloratum sciat impedimentum suum, modo

Re quidem vera quamvis nullum obtineri possit beneficium absque canonica institutione vel collatione, SS. Canones tamen nullibi prohibent modum extraordinarium et mediatum praescriptionis; imo hanc in allegata Regula approbant, qua reipsa jus et quasi dominium beneficiorum tribuitur. Nec contra facit jus quod reprobat beneficium assequi per longissimam consuetudinem sine institutione (1) non enim idem de praescriptione intelligitur quod de consuetudine, quae reprobari potest, dum praescriptio probatur. Equidem jus expositum revera illam consuetudinem damnat, qua sine consensu et opera Episcopi obtinebant clerici beneficia a laicis, vel sese intrudebant, adeoque cum manifeste vitioso, aut nullo titulo, etiam apparenter tali; quod utique illicitum est et corruptela morum: fere sicut res alienas rapere nulla consuetudo facit licitum, ito praescriptio justo innixa titulo earum tribuit dominium (a).

---

alias illud occultum sit, et juris tantum ecclesiastici: cum ex nullo jure probetur obligatio impedimentum tale manifestandi, seque tanto notabili commodo privandi.

(a) Sicut praescriptione obtinetur beneficium, sic et potestas conferendi illud; nam sicut alia jura episcopalia sic et istud conferendi vel administrandi acquiri posse jus dicit (*); sed tantum tempore immemoriali, vel longissimo cum titulo, quia jus specialiter assistit Episcopo quoad collationem beneficiorum.

(1) *C. 3. de inst.*

CONCLUSIO SECUNDA

Optione canonica qua beneficium acquiritur distincta, ejus species enodantur, nonnulla quae ad idem faciunt argumentum observantur.

Optio canonica est jus capitulo, vel collegiali ecclesiae ex lege fundationis, vel statuto, vel privilegio, vel consuetudine competens, ut antiquiores possessione, gradatim vacantes praebendas canonicatus dignitates non reservatas, propria dimissa, certo ordine eligere possint infra viginti dies a notitia vacationis decurrendos (a). Ultimo Concordato hujus regni ann. 1818. Pium VII intra, et Ferdinandum I. nihil quod non sit optioni huic conciliabile reperitur, uti supremi executores ipsius concordati sentierunt, et juxta Summum Pontificis auctoritatem ac regiam, rescripto novembris ann. 1818 cautum fuit. Ex natura ergo optionis colligi fas est I.° ipsam juris communis non esse, ex quo seniores junioribus, docti rudibus, digniores minus dignis praeferantur oportet. II.° Vim habere impediendi, vel transferendi liberas ordinariorum collationes. III.° Collationem, seu investituram Episcopi, vel alius ordinarii non requiri in optionibus canonicis. Hinc ubi optio consueverit ab ipso capitulo, vel ab eo qui capitulo praesidet, admittitur optans; et revera acceptio canonicorum est alia ac praebendarum collatio, proindeque ritu collationis non eget. IV.° Si vacantem

---

(a) Unicum id spatium 20 dierum quum simul omnibus detur, illud semel dilabitur tam primo negligenti, tam aliis posterioribus optandi jus habentibus, nisi peculiare statutum vel privilegium aliud spatium indulserit.

nemo optaverit, eam ipsam post 20 dies elapsos, vel post repudiatam optionem, Episcopus libere confert: confert si vero optio locum habuit aliam vel ab uno optante, vel inter plures postremo dimissam, quae ipso jure, ipsoque facto per optionem vacabit (1) (a).

Duplex genus est optionis: nimirum unum quo novus titulus praebendae acquiritur, seu jus spirituale adhaerens officio et beneficio; alterum quo antiquus non commutatur titulus, nec dimittitur, sed retinetur, cum novis optatis accessionibus rerum temporalium, et fructuum pinguiorum. Horum effectus praecipuus est quod in primo genere optionis titulum mutantis, omnia onera dimissae praebendae in successorem transeunt, secus autem in secundo.

Fruuntur vero optione in primis S. R. E. Cardinales collegii sui titulorum, Episcopatuum suburbicariorum, et Decanatus. In militari etiam religione equitum Melitensium S. Jo. Hieros. vigere consuetu-

---

(a) Forma optionis sufficiens erit si in capitulo vel collegio canonicorum rite congregato et coram dignitatibus et canonicis vel majorem partibus conflantibus constituti antiquiores, gradatim unus post alium per semetipsos, aut per suos procuratores palam declarent sese illam optare praebendam ab eo die vacantem, suamque ab se hactenus possessam dimittere junioribus optandum, vel vacuam arbitrio Episcopi, aliusve collatoris ordinarii concedendam: salvo sibi ad hanc regressu, quoties optio ista fortassis suum non sortiatur effectum. Ubi accesserit ad id continuo consensus capituli, et praesidentis capitularis approbatio; et in capitularium actorum codice perfecta optio describitur; optans in possessionem immittitur optatae praebendae. Haec tamen servanda magis minusque manent juxta mores cujusque loci. Si vero contradixerit quis, aut reclamaverit, quaestio ad forum competens defertur.

(1) *Cap. ult. de consuet. in VI.*

dinem optandi patet ex Rota (1). Hoc in regno canonicis cathedralis ecclesiae Salernitanae optandi ex usu jus est. Canonicis cathedralis Messanae ex gratia speciali Alexander VII. ann. 1659 indulsit, ut in futuris vacationibus canonicatuum et praebendarum illius ecclesiae ex quavis causa etiam ratione mensium Sedi Apostolicae reservatorum fiant optiones a canonicis prout hactenus servatum fuit: dimittendas vero tunc ab optantibus praebendas Apostolica Sedes conferat.

Praebendae quomodolibet reservatae Sedi Apostolicae nullum dant locum optioni (2) ut edixit Bonifacius VIII; et ex Reg. IX. et XV. eruitur sacrae Cancellariae. Idem dicendum de resignationem in favorem (3), et permutatione mutuam inter ipsos permutantes resignationem continente (4); ipsi enim permutantes debent beneficia resignata obtinere. Concursus ad praebendas et curam animarum a Tridentino imperatus, juspatronatus (5) excludunt similiter optionem. Denique cum pensione praebendam adeptus, optare pinguiorem non prohibetur aut immunem, nisi pensionem cum fraude acceptasset. Qui enim utitur jure suo nemini facit injurium (6). Coadjutor cum futura successione numquam, coadjutus quandoque optat (7). Ast hoc in regno sublatis coadjutoribus cum futura successione juxto Trid. (8) nullus est distinctionis hujus usus.

(1) *Dec.* 578. *par.* 1. *et alibi.*
(2) *Rigant. in comment. ejusdem Reg. XX.*
(3) *Consulez in Reg. VIII.*
(4) *Moneta de optione c.* 3. *q.* 5.
(5) *Idem Moneta loc. cit.*
(6) *Innocent. III. in cap. cum ecclesia* 31. *de elect.*
(7) *Gonsalez dec.* 7. *de praeb.* (8) *Sess.* 25. *de reform.*

Est et alia species adoptionis jure decretalium, in beneficiis scilicet incompatilibus (1); habens ex. gr. duas ecclesias, unum quam voluerit sibi retinere posset, alteram Ordinarius alii conferret etc. Sed haec optio novis constitutionibus adempta fuit ab Innocentio III (2); quod et placuit Joan. XXII (3), et Tridentina Synodus firmavit (4).

Instituto argumento jurisdictionis ordinariae quoad modum acquirendi eam, exitum expedivimus: nunc de illa delegata opus est dicere.

CAPUT XII.

DE JURISDICTIONE DELEGATA.

CONCLUSIO PRIMA

Delegatae jurisdictionis natura decluratur atque in speciebus suis distinguitur.

Judex delegatus dicitur qui non ex proprio officio, sed ex commissione, vel ipsius juris, vel alterius hominis propriam et ordinariam jurisdictionem habentis, immediate vel mediata facta, adeoque vice et auctoritate alterius, jurisdictionem exercet. Delega-

(1) *Alexand. III. in cap. 7. de praebend.*
(2) *In cap. de multa eod. tit.*
(3) *In extrav. execrabilis 4. de praeb.*
(4) *Sess. 7. de reform. et alibi.*

tus ergo est qui delegatam seu mandatam sive alienam jurisdictionem habet: est autem alius a *jure* (a) qui tunc delegatus juris dicitur, qualis in multis causis praesertim in exemptos a Tridentino constituitur Episcopus, vel Sacerdotes ad absolvendum in articulo mortis etc. (b), *alius ab homine* qui delegatus hominis vocatur, seu judicis ordinarii qui si a supremo Principe, in genere suae jurisdictionis superiorem non habente delegatur, *Principis delegatus est*: si ab alio *delegatus inferioris*. Adhaec *delegatus ad universitatem causarum* nominatur ille cui omnes causae universim, vel saltem in aliquo genere subalterno ex. gr. omnes causae decimarum, matrimonii sine restrictione ad certas personas committuntur: verum si una vel plures sed certo numero, vel inter certas personas, *delegatus simpliciter*, *proprie*, vel *specialis dicitur*. Demum sunt *delegati ratione* dignitatis quem obtinent, vel *ratione personae* expresse ejus nomine: *Delegati* primo et immediate ab Ordinario, vel delegati a delegato, et *subdelegati* appellantur (c).

(a) Cum consuetudo sit quoddam genus juris per cum potest jurisdictio in nonnullis dari aut extendi

(b) In his casibus appellationes ab Episcopis ad summum Pontificem proponuntur, vicarii generalis, vigeneralis mandati non procedunt, et vacante Sede haec delegata jurisdictio ad capitulum non devolvitur.

(c) Delegati a practicis vocantur *commissarii*, a jure civili etiam *judices dati* qui confunditur aliquando cum pedaneis.

CONCLUSIO SECUNDA

Delegare, et delegari quinam possunt significatur.

Quivis Ordinarius judex delegare potest sibi competentem potestatem sive officium (a); nam quod quis facere potest per se, potest per alium, nisi lex vel Princeps vetet (1) (b): non tamen omne et in perpetuum sine consensu Principis (2) quia committendo totam jurisdictionem et in perpetuum, non tam censetur delegare, quam omnino se abdicare officio suo, quod non potest sine consensu Principis.

Subdelegati non possunt totam subdelegare causam, possunt tamen aliquem causae articulum alteri committere, et sic dare judicem, nisi sint de-

---

(a) Potestas et officium judicis delegati non penitus nihil differunt; nam potestas sumi potest velut pro habitu et actu primo; officium pro exercitio sive actu secundo. Potestas denotat quid possit, officium quid debeat.

(b) Sic quamquam Parochi pastores sint ordinarii in foro interno delegare non valent propria auctoritate aliquem ad confessiones audiendas, nisi is fuerit ab Episcopo approbatus; S. Synodus Trid. enim decernit (*) nullum posse confessiones secularium audire, nec ad id idoneum deputari, nisi habeat parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen si illi videbitur necessarium, aut alias idoneus iudicaverit, et approbationem quae gratis detur obtineat.

Utrum vero haec approbatio sit testimonium idoneitatis ab ecclesia requisitum tamquam conditionem sine qua non; a parochis vero dari delegatam jurisdictionem; vel sit ipsa delegatio ab episcopis exclusive danda, quaestio vertitur inter DD. De ea adeat qui vult Suarez (**) et Sylvium (***) inter alios.

(1) *Reg. J.* 68. *in* 6. (2) *C.* 7. *de off. jud. ord. in* 6.

(*) *Sess.* 23. *c.* 19. (**) *De poenit. q.* 8. *art. V.*
(***) *L. V. C. de judic.*

legati ad universitatem causarum; tunc enim saltem ex consuetudine possum committere unam alteramve causam; item et nudum ministerium (1). Qui vero delegatus est juris vel Principis, ob eminentem hujus potestatem potest subdelegare (2). Excipe si a Principe electa sit industria personae delegatae (c).

Ut delegans possit delegare specialiter ne suspensus sit oportet in suo officio. Si tamen suspensio excommunicatio irregularitas delegantis sint occultae, tunc ob titulum coloratum potest; uti diximus de his antea disserentes.

Delegari possunt ab Episcopis vel aliis praelatis, clerici, aut religiosi; nec delegatus oportet ut subjectus sit jurisdictioni delegantis. Delegari potest eadem causa pluribus simul, et quidem in solidum. Ad hoc tamen ut aliquis possit esse delegatus Pontificis de jure requiritur (3) ut sit persona in dignitate, vel personatu constituta, aut canonicus cathedralis ecclesiae, licet Pontifex, ex certa scientia alteri possit delegare.

E contra delegari non possunt: 1.° ex natura surdi et muti, perpetuo amentes, infantes, impuberes, qui discretione carent. 2.° Ex lege et canone prohibentur infames excommunicati etc. 3.° Moribus et consuetudine servi, foeminae, minor 20 annis, si tamen 18 annum excesserit judex delegatus esse potest, si vel Princeps talem scienter dederit, vel partes in ipsum consenserint. 4.° Laici ad causas spiri-

(c) Delegati pontificii distant a principum delegatis in hoc, quod isti tantum judicem dare poterant, non item sibi mandatam jurisdictionem, ne pro parte quidem alteri mandare.

(1) *C. fin. h. t.* (2) *Ibidem.* (3) *C. 4. h. t.*

tuales et ecclesiasticas, ut decimarum, matrimonialium beneficialium etc. etiam cum clericis de jure delegari non possunt (a); ad causas vero temporales, non criminales jure communi, etiam quae inter clericos agitantur, delegari possunt, non tamen ad universitatem illarum. Ex privilegio vero Pontificis possunt ad spiritualia et temporalia. Ita DD. (b).

CONCLUSIO TERTIA

Officium judicis delegati aperitur.

Vi sui officii judex delegatus tenetur 1.° non procedere ante praesentatas sibi literas suae delegationi (1) licet sciat eas jam esse expeditas. 2.° Fidem authenticam facere, si una, vel utraque pars litigantium petat, de sua delegatione, vel ostensis literis si sit delegatus Principis, vel saltem per testes etc., si sit delegatus inferioris: alias partes non tenentur comparere, vel licet compareant, acta sunt nulla (2). Si tamen pars citata comparet, et lis con-

(a) Possunt tamen esse consiliarii; imo et arbitri, una cum clericis; quia in consiliariis et arbitris qui praecise suam dicunt sententiam, seu mentem, quid sentiant aperiunt, jurisdictio non requiritur.

(b) Si plures sint delegati in solidum; tunc datur locus praeventioni, ita ut reliqui causa incepta nec licite, nec valide amplius se intromittere possint, nisi ille vel ex infirmitate, vel alio impedimento progredi, aut non possit, aut malitiose nolit (*). Ceterum plures delegati nunquam censetur habere jurisdictionem in solidum, nisi id rescripto exprimatur (**).

(1) C. 12. *in f. de appell.*

(2) C. 31. *h. t. et* 2. *de dilationib.*

(*) C. 8. *de offic. jud. deleg. in* 6. (**) C. 21. *eod.*

testatur, antequam fidem sibi fieri petat, tunc non potest amplius opponere defectum jurisdictionis. 3.° Observare formam in delegationis mandato praescriptam (1) alias procedit nulliter, nisi aliunde constet formam non esse substantialem (a). 4.° Non cognoscere nisi de causa in mandato expressa, vel expressae necessario connexae, nec procedere contra personam in commissione non nominatam, et ita ut nec cum consensu partium nisi sit delegatus ad universitatem causarum jurisdictio ejus extendi et prorogari valeat (2). 5.° Testes non vocare nisi statu causae id exigente, et tunc expensas competentes pro veniendo, stando, et redeundo, testibus ministrabit producens. 6.° Necessarias probationes admittere, et rationabiles exceptiones, frivolas rejicere; et deferre legitimae appellationi (3). 7.° Extra civitatem, vel dioecesim sibi constitutam partes non citare, nec causam cognoscere sine consensu partium expresso, excipe delegatum Papae si ob malitiam adversarii vel aliam quamcumque causam impediatur in loco sibi constituto procedere (4). 8.° Non assumere nisi in-

(a) Censetur substantialis forma quando delegans praescribit formam, modum, aut conditionem procedendi, quam jus non praescribit: secus si non praescribit aliud, quam quod jus praescribit, nisi id expresse velit: hinc si talis modus de jure non est substantialis actui, neque erit propter expressionem et mandatum delegantis; consequenter, tali etiam modo non observato, processus tamen erit validus, ex. gr. si is cui committitur potestas dispensandi in matrimonii impedimento et additur, ut de more praemittantur denuntiationes, omittet denuntiationes, valida erit dispensatio, quia de jure ad valorem matrimonii non requiruntur.

(1) *C.* 37. *h. t.* (2) *C.* 32. *et* 40. *h. t.*

(3) *C.* 13. *et* 15. *h. t.*

(4) *C.* 11. *de rescript. in* 6. *et c.* 13. *h. t. in* 6.

digeat assessorem, alias de suo illi provideat : casu quo indegeat, non suspectum assumet, cum moderato salario a partibus solvendo. 9.° Observare tempus praefixum intra quod causam absolvat ; nam termino elapso expirat ejus jurisdictio, ita ut quod postea factum invalidum sit, nisi terminus praecise praefixus sit in favorem partium ; hoc enim casu ex consensu partium potest delegato prorogari terminus, non ita si fuerit praefixus propter bonum publicum, aut expresse prorogari prohibuisset delegans (a). 10.° Exercere gratis officium suum nullo munere accepto etiam liberaliter oblato, nisi sit osculentum et poculentum quod intra paucos dies absumi possit, vel nisi ipse expensas necessarias et moderatas ex. gr. ratione itineris fecerit : has enim a partibus quarum negotium geritur aequaliter accipere poterit ; secus tenetur ad restitutionem, non obstante ipsarum partium dantium remissione.

CONCLUSIO QUARTA

Potestas judicis delegati distinguitur.

Tantam esse delegati potestatem quantam mandatum seu commissio ex qua oritur comprehendit, omnibus patet. Delegans equidem propriam non com-

---

(a) Terminus a delegante praefixus regulariter sumi debet de causae absolutione per sententiam definitivam : hinc executio sententiae etiam post terminum jam elapsum fieri adhuc regulariter potest per integrum annum : nisi terminus praefixus sit ipsi executioni, aut jurisdictioni, ita ut delegans dixerit ex. gr. concedimus tibi ad unum annum jurisdictionem (*).

(*) *C.* 4. *h. t.*

mittit alteri potestatem ; sed distinctam et suae subordinatam, ampliori, et principali sibi reservata (1) proindeque et a delegato ad delegatum appellum datur. Verum praeter ea quae in mandato sunt expressa potest delegatus et ea omnia, quae ad expeditionem ejus sunt necessaria (2). Hoc et de subdelegato intellige.

In specie inde delegatus potest 1.° punire citatos, et contumaciter non comparentes, 2.° impedientes suum judicium coercere, et si delegatus sit Papae, etiam Episcopum per censuram (3), quem tamen prius oporteret interdicere ab ingressu ecclesiae, 3.° assumere officiales sibi necessarios, 4.° potest actorem si probaverit se possedisse(4), et spoliatum fuisse, contra reum post habitam rescripti notitiam fraudolenter, et contumaciter absentem, et intra praefixum terminum non comparentem, restituere in possessionem (5), 5.° admittere transactionem, 6.° exequi sententiam suam (6) et probabilius etiam si Papae delegatus non sit. Ita Barbosa Abbas et alii, 7.° potest delegatus Sedis Apostolicae absolvere actorem ab excommunicatione, quam incurrit post rescripti impetrationem ob causam pertinentem ad eum, ad quam delegatio est facta ; nisi ista sit specialiter Papae reservata, quia, excommunicatio a comunione forensi removet, et necessarium est ut causa principalis per delegatum expediatur (7), 8.° Delegatus Sedis Apostolicae si sententiam suam exequi per se aut ministros suos non possit, aut non velit, ejus exe-

---

(1) *L.* 6. *de jurisd.* (2) *C.* 5. 7. *de offic. et potest. deleg.* (3) *C.* 1. *h. t.* (4) *C.* 11. *eod.* (5) *C.* 10. *h. t.* (6) *C.* 7. *et* 29. *h. t.* (7) *C.* 21. *h. t.*

cutionem alteri, et quod frequentissime solet, judici ordinario potest demandare, et, quia in causa sibi commissa major, et superior illo est, si renitatur, ad parendum et exequendum compellere censuris potest; et licet ordinarius sciat, sententiam esse injustam, modo non sit irrita, tamen tenetur exequi; quia de majorum sententiis juste, an injuste latae sint, judicare inferioribus permissum non est, sed eis acquiescendum (a). Ceterum si plures sint delegati ad eamdem causam nulla addita declaratione, omnes simul ad eam concurrere debent, ita ut si vel unus non concurrat processus sit nullus, aut si unus ex pluribus delegatis moriatur, vel incapax fit jurisdictionis, etiam reliquorum jurisdictio expiret etiamsi res non amplius sit integra (1). Si vero delegatio facta sit dignitati, vel officio, non expresso nomine proprio, et talis morietur, tunc interim suspensa manet jurisdictio reliquorum donec alius in dignitate succedat vel officio (2). Praeterea si plures sint delegati sine aliqua clausula nimirum, *ut si omnes non possunt duo judicent, aut si ambo non possunt unus procedet* quod servari deberent (3); tunc major eorum pars obtinet (4) (b). Si vero vota contraria delegatorum

---

(a) Excipe, si injustitiae sententiae sit notoria, item si sit causa criminalis, et agatur de vita, et membris innocentis, vel non sit merus executor, sed mixtus. Ita DD. nec desunt canones quod comprobent (*).

(b) Excipitur casus quando inter plures, qui per diversa rescripta delegati sunt, est controversus; tunc enim recurrendum est ad arbitros (**).

(1) *C.* 16. *et* 52. *h. t.*
(2) *C.* 14. *h. t.*
(3) *C.* 21. *et* 34. *h. t.*
(4) *L.* 39. *ff. de re judicata.*

(*) *C.* 11. *h. t. et c.* 28. §. Quia *eod.*
(**) *C.* 14. *de rescript.*

sunt paria, recurrendum est ad delegantem, et sententia manet suspensa donec ille decidat (1). Demum si plures sint delegati in solidum, quod nisi rescripto exprimatur non intelligitur (2), tunc datur locus praeventioni, ita ut reliqui, causa incepta, nec licite, nec valide amplius se intromittere possint, nisi ille vel ex infirmitate, vel alio impedimento progredi, aut non possit, aut malitiose nolit (3).

CAPUT XIII.

QUIBUS MODIS POTESTAS JURISDICTIONIS ORDINARIE AMITTITUR.

Agentes de jurisdictione ordinaria in animum redeat oportet, quod simul ob connexionem materiae complectemur quae conveniunt officiis et beneficiis cujusvis generis. Duobus autem modis jurisdictio et beneficia amitti possunt, voluntate scilicet nostra hoc est per renuntiationem, translationem, permutationem; atque extra voluntatem nostram, scilicet revocatione seu destitutione, vel ipso facto. De his omnibus nostra refert disserere.

CONCLUSIO PRIMA

Renuntiationis natura aperitur, ejus species expenduntur, a quo renuntiatio fieri possit declaratur.

Renuntiatio, seu resignatio est, libera et legitima cessio, seu dimissio proprii beneficii aut magistratus

(1) *C. fin. de sent. et re judicata.*
(2) *C.* 21. *h. t.* (3) *C.* 8. *h. l. in* 6.

facta ex justa causa coram legitimo Superiore (a).

Alia distinguitur tacita et fit, cum quis statum assumit cum beneficio incompatibilem, vel ponit actum ex quo jura praesumunt animum renuntiandi, aut ipso facto inducunt privationem beneficii puta, beneficiatus in minoribus constitutus qui contrahat matrimonium (1), aut fiat miles, vel si statum religiosum profiteatur (2), aut accipiat aliud beneficium cum priore incompossibile (3) (b). Alia vero expressa quae fit verbis expressis etiam per procuratorem, clericum vel laicum, unum vel plures; modo literis consignetur speciale mandatum quo facultas resignandi et beneficii demonstratio contineatur (4).

Haec subdividitur in *simplicem* seu puram, et *conditionalem*. Illa est si absolute, et pure nulla adjecta conditione, pactione, aut modo dimittitur beneficium: *conditionalis* est quae fit sub conditione, pacto aut modo, et vel resignatur ita, ut certae personae conferatur, et resignatio dicitur in *favorem;* vel ita, ut resignati certi fructus, vel annua pensio relinquatur, vel regressus, ingressus aut accessus, et dicitur resignatio *cum reservatione fructuum;* aut *pensionis*, *regressus*, *ingressus* aut *accessus* (c); vel

---

(a) Renuntiatio, resignatio, abdicatio cessio etc. in genere: est libera, et spontanea alicujus juris dimissio.

(b) Exempli causa sed juxta canones haec posita fuere: ceterum sine expressa juris dispositione non est statuenda tacita renuntiatio (*).

(c) Cum jure *Regressus* resignatio est veluti cum quis resignat eo pacto, ut, exercitis causis possit ad beneficium redire

(1) *C.* 1. *et* 3. *de cleric. conjug.* (2) *C* 4. *de regul. in* 6.
(3) *C.* 28. *de praeb.* (4) *Clem. unic. de renunciat.*

(*) *Arg. c.* 14. *h. t.*

ita, ut alter vicissim suum mihi beneficium resignet, et dicitur resignatio *ex causa permutationis*.

Verum omnes pactiones per quas imponitur obligatio in materia beneficiali, patet esse prohibitas (1). Jura enim detestantur successionis speciem in beneficiis, qualis daretur resignationibus in favorem, quia passim id fieret pro consanguineis. Reservatio autem *accessus*, *ingressus* et *regressus* in beneficium resignatum prohibetur a Trid. (2) et Const. S. Pii V. quae incipit *Romani Pontificis* ann. 1571. Interim resignans coram Episcopo potest huic certam commendare personam, vel pro ea rogare. Demum conditio aut modus de voluntate legitimi Superioris, ac plerisque in causis, solius Papae adijci potest (a).

Quamvis de se quilibet possit suo beneficio renun-

---

dimissum: ceu si resignatarius pensionem in junctam non solvat (*). Cum jure *ingressus*, ut si quis habens beneficium sed non possessionem, ut quia est minor, vel aliter impeditus ad possessionem, adipiscendam, jus istud resignet alteri hac lege ut remoto eo impedimento, liceat resignanti possessionem beneficii accipere (**). *Accessus*, quando ille, cui conferendum esset beneficium, propter aetatis immaturitatem capax non est; et ideo Papa confert alteri; donec ille efficiatur habilis perveniendo ad legitimam aetatem; qua adveniente poterit propria auctoritate accedere ad beneficium.

(a) De resignationibus quae reservata pensione fiunt est observatu dignu constitutio *In sublimis* 30 Bened. XIV. (***) edita adversus illas resignationes, quae fiunt reservata pensione, ac arcano pacto eum extinguendi per certam vim pecuniae quae resignanti per solvitur. Ubi cautum est etiam, ne intra sex menses a capta possessione beneficii pensiones deleri possint. Item vide S. Pii V. constit. *Quanta* 80, ubi late statuitur, quae ab Episcopis resignationes admitti debent, et Episcopi ipsi resignata benefi-

(1) *C.* 4. 6. *et fin. de pactis*. (2) *Sess.* 25. *c.* 7. *de reform.*

(*) *Azorius lib.* 7. *c.* 20. *q.* 4. (**) *Garz. de benef. p.* 3.

(***) *T.* 1. *ejus Bullar.*

tiare tam conditionate, quam pure (1); tamen 1.° beneficiarii in sacris constituti si non habent aliunde unde honeste se sustentent, prohibentur resignare juxta Bullam Pii V. *Quanta* ann. 1568. 2.° Nec impuberes quidem possunt sine auctoritate tutoris (2). 3.° Juxta stylum curiae requiritur, ut resignans beneficium, quod residentiam postulat, illud saltem per triennium possederit, maxime si resignet in favorem, vel cum reservatione pensionis: unde tenetur declarare tempus; nam si breve est, non admittitur resignatio (3). 4.° Infirmus imo et sanus invalide renuntiat, si renuntians non 20 dies supervivat, qui computantur a die quo Superior legitimus acceptat. 5.° Si beneficium esset patronatum, electivum, reservatum Papae, vel litigiosum, opus foret, consensu patroni, eligentium, Pontificis, si quis resignare illud vellet in favorem certae personae, aut in favorem collitigantis. 6.° Episcopi renunciare possunt loco tantum, interdum loco et dignitati. Qui loco tantum renunciaverint, honorem retinent, et dignitatem episcopalem, proindeque rogati ab alio Episcopo recte exequuntur in ejus dioecesi quae sunt ordinis episcopalis, jurisdictionem tamen exercere non possunt; nam subditos amplius non habent. Qui vero loco et dignitati cesserunt, charactere etsi retento utpote indelebili, nec quae sunt ordinis agere possunt (4).

---

ficia aut suis, aut resignantium consanguineis, vel affinibus conferre prohibentur.

(1) *C.* 12. *de for. compet. c.* 16. *et* 23. *de regular.*

(2) *C.* 2. *ut lite pend. in* 6.

(3) *C.* 2. *de aetat. et qual.*

(4) *C.* 1. *de ordinat. Episcop. qui renunt.*

CONCLUSIO SECUNDA

Qualis esse debeat renuntiatio interpretatur.

Quoniam natura canonicae renuntiationis exigit ut 1.° Voluntas spectetur renuntiantis. 2.° Auctoritas superioris et aliorum quorum interest consensus. 3.° Ejus effectus; haec interpretari fas est, ut renunciatio qualis esse debeat recte intelligatur. Et primo voluntas renuntiantis non tantum esse debet libera; cum nemo sine propria voluntate omittat res, vel sua jura, nisi jus vel superior cogat; sed et oportet ut sit etiam sine metu gravi injuste incusso qui licet minuat, non tollit penitus libertatem. Communius DD. censent tali metu rescidendam esse renuntiationem, etsi per se irrita non sit: quod et ex jure civili etiam colligi potest (1). Nec etiam dolo aut fraude quoad substantiam, resignatio obtenta est valida, sic enim consensus deest resignantis (a) sicut et resignantis capti, vel detenti a personis secularibus, consensus similiter deest (2) (b). Si quis tamen ex justa causa a Superiore ecclesiastico cogitur ad dimittendum bene-

---

(a) Dolus nocere non debet ei qui inductus est (*) nec prodesse debet dolum adhibenti (**).

(b) Qui ait, se non *sponte* renuntiasse reipsa affirmat vim sibi fuisse illatam, idque probare debet (***). At qui renuntiavit spoliatus, praesumitur id non sponte fecisse: *Non est verisimile quod sponte juri suo renuntiaverit, qui renuntiavit spoliatus*. Ita jus ipsum (****).

(1) *C.* 3. 4. *de his quae vi c.* 5. *h. t.*

(2) *L.* 1. 7. *et* 9. *ff. quod metus causa.*

(*) *C.* 7. *et* 13. *h. t.* (**) *C.* 2. *in* 6.

(***) *C.* 5. *h. t.* (****) *C.* 2. *et* 3. *de restit. spoliat.*

ficium, non tantum valida, sed etiam firma est renuntiatio, ita ut rescindibilis non sit aut rescindenda, puta propter scandalum etiam infirmorum, alio modo non auferibile, propter irregularitatem beneficiati in qua ordinarie dispensari non solet etc. (a).

Juxta sit causa renuntiationis necesse est, quae aliter de his qui Episcopatu, vel dignitatibus superioribus abeunt, aliter de dignitatibus inferioribus ac beneficiis consideranda manet (b). Quantum ad episco-

---

(a) Episcopi diffamati pro vulgatis criminibus, vitandisque scandalis, cogi a Papa possunt (*). Idemque dicendum de Parochis scandalosis (**). Retinens quilibet praebendam ipso jure vacantem etiam cogendus est eam resignare ex textu Inn. III. (***).

(b) Juxta quosdam DD. solemni et perpetua consecratione, et veluti conjugio spirituali, ipso jure divino indissolubili Episcopus mancipatus est suae ecclesiae; et probant ex cap. *inter corporalia* 2. de Translatione ubi, *non humana*, dicitur, *sed divina potestate conjugium spirituale dissolvitur cum per translationem, depositionem aut cessionem auctoritate Rom. Pontificis Episcopus ab ecclesia amovetur, et ideo haec tria non tam constitutione canonica, quam institutione Divina sunt Rom. Pontifici reservata*. Ipseque D. Thom. huic sententiae favet (****). Sunt tamen qui contendunt vinculum illud spirituale non esse jure Divino indissolubile: licet enim inquit Suarez (*****) Christus constituerit ut Episcopi essent ordinarii suarum ecclesiarum pastores; determinatio quantum ad modum regiminis, quantum ad immobilitatem seu perpetuitatem non est ex *immediata* Christi institutione, sed eam determinationem Christus Vicario suo commisit, ut ab ejus arbitrio penderet. Porro determinarunt Pontifices eum esse perpetuam: et ita haec perpetuitas est *mediate* de jure divino. Vide ad rem etiam S. Liguori lib. 4. n. 101.

(*) *Innoc. III. in cap.* 10. *de renunciat.*
(**) *De Nigris lib.* 2. *c.* 3. *n.* 17.
(***) *In cap. literas* 9. *de concess. praeb.*
(****) 2. 2. *q.* 185. *art.* 7.
(*****) *De relig. tom.* 3. *lib.* 1. c. 16.

tum causas renuntiationis docte et prudenter Joann. III (1) expendit dicens: *Intueri te itaque volumus quod haec sunt, per quae cedendi Episcopus licentiam potest postulare, conscientia criminis* (a), *debilitas corporis* (b), *defectus scientiae* (c), *malitia plebis* (d), *grave scandalum* (e), *irregularitas perso-*

Hisce interim positis primae sententiae DD. gravem imo valde requirunt gravem causam ad renuntiationem Episcopi: quibus autem secunda arridet, sufficere dicunt quamlibet honestam causam. Quantum ad caeteros maxime Parochos aliosve licet non sint illo vinculo devicti, cum tamen possit detrimentum cessio eorum afferre, sunt ideo omnes pensandae circumstantiae.

(a) *Et forsitan non cujuslibet*, ait idem S. Pontifex, *sed dumtaxat illius propter quod officii executio post poenitentiam impeditur, aliter pauci vel nulli in illo ministerio remanerent*. Sicque conscientia criminis intelligitur, ob quod beneficio privari possit ex. gr. Simoniae, adulterii etc., et quamvis ob simoniam ad eamdem ecclesiam nequeat redire, alteri tamen praefici potest (*).

(b) Illa nempe *per quam impotens redditur ad exequendum officium pastorale* . . . (**) frustra aliter fateretur Apostolus se in infirmitatibus suis gloriari: et Episcopo desset meritum Apostoli ipsius iterandi sensus *Cum infirmior fortior sum*.

(c) Illius scilicet, sequitur idem Pontifex, scientiae in qua Ecclesiam regat; toleranda enim dicit in Episcopo competens, etsi desideranda sit eminens, cujus defectus potest suppleri perfectione caritatis.

(d) Quando nimirum pertinaciter se opponat Pastori ad majus malum vitandum. Non tamen pro qualibet culpa debet pastor gregem suum deserere, semper Innocentius citatus . . . . sed de superioris licentia . . . . cum oves convertuntur in lupos, et qui debuerant humiliter, jam irreconciliabiliter contradicunt . . . Sunt tamen pro tempore utiliter etiam tolerandi; quia *sanguinem elicit qui nimis emungit*.

(e) Memor illius quod dicit Apostolus: *Si esca scandalizaverit fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum*. Sed inter

(1) C. Nisi 10 *de renuntiat*.

(*) *C. erga* 1. *q.* 1. *et alibi*. (**) *Cap. Inter corporal.*

nae (a): *sed in his omnibus observanda est cautela*. Haec comprehensa sunt sequentibus versiculis.

Debilis ignarus male conscius irregularis
Quem mala plebs odit dans scandala cedere possit.

Ast tamquam insufficientes reijcit idem S. Pontifex (1) causam humilitatis (2) taedium laboris (3) amorem vitae contemplativae (4) et alios istiusmodi obtentus. Quod si beneficiatus ingredi religionem velit, potest, et juxta causa; modo petierit facultatem ab Ordinario, etsi illam non impetravit, et non sit Episcopus aut speciali obligatione devinctus uti ex. gr. Alumni Pontificii: si tamen renuntiationem fecerit ante professionem absque licentia Episcopi, vel ejus Vicarii, invalida est Trid. (5). Verum hic in religionem ingressus prae caeteris causis vel maxime probatur, et (6) praesertim in beneficiis et dignitatibus episcopatu inferioribus, quibus ut videre est ex praenotatis, sufficiunt causae minores ex. gr. senium, vitium corporis, crimen, censura etc. quae enumerantur a Pio V. in const. 58. *Quanta ecclesiae* satis esse videtur (b).

Auctoritatis Superioris necessitas ad resignationem

---

scandalum et scandalum est subtiliter distinguendam concludit idem Innoc.

(a) Ut si forse sit bigamus, etc. Non tamen propter quamlibet, subdidit adhuc semper idem Pontifex, irregularitatem, puta, si de legitimo non sit natus matrimonio etc. . . . . . quia si culpa latet et causa cum eo qui laudabiliter suum implevit officium (injuncta sibi poenitentia competenti) potest non minus utiliter quam misericorditer dispensari . . . .

(b) Quoad obligationem renuntiationis videndum, num causa

(1) *Cit. loc.* (2) §. 1. (3) §. 10. (4) §. 11.
(5) *Sess.* 25. *c.* 16. *de regul.* (6) *C.* 18. *de regularib.*

et regulariter ejus a quo quis beneficium vel dignitatem obtinuit patet (1), quia res per quas causas nascitur per easdem dissolvitur (2): ita ut nec consuetudo quidem valet dimittendi dignitatem vel beneficium inscio aut invito Superiore (3) etsi obtinuisset illud incompatibile: secus potuisset revocari ad primum (4) (a). Legitimus autem Superior est ille, si resignatio est simplex et puta, qui habet potestatem instituendi, et simul destituendi beneficiatum; nimirum ordinarie est Episcopus, capitulum Sede vacante, non tamen Vicarius generalis sine speciali mandato (5). Episcopatus et praelaturae quaecumque immediatae Summo Pontifici sunt reservatae (6): si vero est resignatio conditionata, tunc est item Pontifex solus, vel qui habet specialem facultatem; excepta tamen resignatione ex causa permutationis fa-

---

sit extrinseca omnino, et nullo modo in ipsa persona ex. gr. malitia plebis, tunc enim aestimari debet obligatio juxta regulas caritatis; idest si alia non possit via provideri tenebitur cedere pastor; si autem sit alia via ut coadjutor, vicarius, non stricte urgebit necessitas. Idem dicendum de irregularitatibus quae ex aegritudine oriuntur post officium susceptum superveniente, quod ex tot. tit. juris: de clerico aegrotante patet, cui remittimus lectorem. Si irregularitas superveniat ob aliquem culpam adest obligatio petendi dispensationem. Si autem hanc vel nolit, vel non possit obtinere, tenebitur officio cedere; nemo enim potest id retinere quod obligationes includit quas nequit adimpleri.

(a) Renuntians in manibus laici, beneficio suo spoliandus (*) etsi renuntiatio non valet.

(1) *C.* 4. *h. t.* (2) *De R. J. c.* 1.
(3) *C.* 7. *de consuet.* (4) *Extrav. Joan. XXII. de praeb.*
(5) *C.* 2. *de off. Vic. in* 6. (6) *C.* 15 *h. t.*

(*) *C.* 8. *h. t.*

cta, quam etiam Ordinarius admittere potest (1) et sub onere pentionis moderatae ex legitima causa per Episcopum imponendae. Cum itaque renuntiatio fiat in manu Superioris, dubium fuit utrum S. Pontifex suae dignitati renuntiare possit: et receptum est posse, si id faciat in manu Dei, ut fecit revera Celestinus V. cui successit Bonifacius VIII. Ita Canonistae (2).

Legitimae insuper resignationi convenit et formam a jure praescripto servare; quae inter alia exigit publicationem ipsius resignationis juxta regulam canc. 34. et constitutionem Greg.XIII. *Humano vix judicio* an. 1584. Cujus finis est ut tollantur omnes fraudes et inconvenientia, quae ex occultis resignationibus et permutationibus in dies oriebantur. Ibi laudatus Pontifex necessitatem et formam publicandi resignationes, poenasque non publicantium edixit, amota Regulae praedictae mobilitate. Resignantibus apud Sedem Apostolicam citramontanis sex menses, ultra vero novem a data concessionis gratiae praefixit ad publicandum in cathedrali et beneficiali ecclesia, vel parochiali intra missarum solemnia, et per edictum ad earumdem ecclesiarum valvas. Irritas voluit resignationes ita non publicatas, et resignata beneficia vacant ipso facto, et impetrantibus conferri possunt. Annalem et triennalem possessionem resignatariis nihil suffragaturam. Resignationes etiam ex causa permutationis eorum Ordinario intra mensem perficiendas fore; nimirum negotium universum admissionis, vel rejectionis ejusmodi, et (si per eos facienda erit) provisionis re-

(1) *C. un. de rer. permut. in 6.*
(2) *In cap. 1. de renuntiat. in 6.*

signati beneficii juxta apostolicas, et alias canonicas sanctiones omnino absolvendum. Ut qui sic provisus fuerit, intra tres menses a die sibi factae provisionis illam publicet, et possessionem beneficii capiat modo et forma supradictis. Haec sub iisdem poenis sanxit. Hujus demum constitutionis eludendae causa fraudes adinventas insuper aegro ferens animo Benedictus XIV. et ab seipso in judicio detectas abolevit constitutione sua *ecclesiastica ministeria*, qua et illam laudati Gregorii firmavit ann. 1746 (1).

Effectus denique renuntiationis recensentes dicimus 1.° beneficium vacare et quidem in curia, si in manus Pontificis resignatum fuerit; ut proinde renuntians totum jus ad beneficium amittat et ad fructus ejus. 2.° Ignorante superiore et procuratore revocationem mandati, si resignatio facta fuerit per procuratorem, ea firma maneat; nisi per malitiam illorum revocatio occultata sit, vel retardata (2). 3.° Qui sponte renuntiavit, ulterius non auditur (3). 4.° Novitii professione non secuta, effectum non sortitur ejus renuntiatio ex Trident. (4). 5.° In resignationibus cum reservatione pensionis, nulla et irrita sunt pacta illam extinguendi per anticipatas solutiones ex constit. Benedicti XIV. *in sublimi* ann. 1741. 6.° Si quis petit licentiam ut resignet et obtinuit, tenetur exequi licentiam, nec potest redire, nisi ex novo titulo ad beneficium (5); si vero conditionate tantum, tunc non tenetur nisi purificata conditione.

(1) *T.* 2, *Bullar.*
(2) *Clem. un. h. t.*
(3) *C.* 6. *h t.*
(4) *Sess.* 25. *c.* 6. *de regul.*
(5) *C.* 12. *h. t.*

CONCLUSIO TERTIA

Translationis natura, praesertim Episcopi, declaratur; ad illam requisita exponuntur.

De translatione dissertantes, alius modus quo pervenitur ad jurisdictionem incompatibilem cum prima; et quo voluntate propria beneficium amittitur, opere praetium duximus praemonitum habere: 1.° Inter Episcopum eoque superiores praelatos dari conjugium spirituale, quod per confirmationem fit *Ratum* cum sua ecclesia, uti diximus antea, per consecrationem evadit *Consummatum* (1) (a). 2.° Vinculum spirituale fortius quam carnale esse (b) (2). 3.° A primis ecclesiae seculis et illud conjugium, et hoc vinculum receptum, et comprobatum fuit (c).

(a) Innocentius III. cit. loc. huic actui applicat verba Christi: *Quod Deus conjunxit homo non separet.*

(b) Vinculum fortius non simpliciter in ratione insolubilitatis; sed secundum quid; partim quia est ratione spiritualitatis dignius, partim quia ratione characteris spiritualis, quem imprimit consecratio episcopalis operatur fortius.

(c) Ab iisdem namque seculis ecclesia Episcopo destituta, viduata dicebatur: et vidua non est nisi quae maritum habuit. Insuper *Adulterum atque extraneum Episcopum: adulterum et contrarium caput* yocavit S. Cyprianus Novatianum, sedem Cornelii attentatem (*). Praeterea Synodus Alexandrina ann. 340. corripuit Eusebium invasorem ecclesiarum Nicomediensis et CPolitanae his verbis: *Neque animadvertit Pauli praeceptum: Alligatus es uxori? noli quaerere solutionem . . . . . . Episcopatus alligatus quispiam, alium quaerere non debet, ne adulter ex sacris literis deprehendatur.* Demum S. Chrysostomus expulsus populum suum tranquil-

(1) *C.* 2. *et fin h. t.* (2) *C.* 2. *cit.*

(*) *Epist. ad eundem Cornel. et epist.* 52.

4.° Ecclesia quam Christus suo sanguine acquisivit ejus est sponsa (1), et sponsa recte dicitur Episcoporum, quatenus hi sunt Christi ministri, ejusque personam gerunt et repraesentant; sed quia olim eorum electio, missio, et consecratio conjunctim fiebat nec vage, sed ad certam ecclesiam, huic ad quam consecratus est Episcopus copulatus et constrictus creditum fuit ita, quod suo arbitratu abrumpere non poterat. 5.° Potestatem dissolvendi istud spirituale vinculum *non tam ex constitutione canonica quam institutione divina* provenire ait Innocentius III; quia ex divino primatu profluit, vi cujus causae graviores, praesertim exigente ecclesiae necessitate, merito Apostolicae Sedi reservantur (a). 6.° Ipsa retro antiquitas stante justa causa, necessitate scilicet aut utilitate ecclesiae comprobavit translationes etiam Episcoporum (b).

---

lans inquit: *Multo magis* (ac nuptiarum conjunctio) *ecclesia non potest a Pastore divelli* (*).

(a) Nec valet objicere quod matrimonium carnale consummatum, auctoritate Pontificis non sit dissolubile; quia dissolutio spiritualis matrimonii consummati Papae est concessa a Deo, ut a jure declaratur (**); sicut per renuntiationem, vel depositionem Episcopi *consecrati* juxta omnes dissolvi potest hoc vinculum, licet matrimonii carnalis dissolutio non reperiatur Pontifici concessa, uti nec per renuntiationem conjugibus.

(b) Non enim desunt exempla Episcoporum pietate et doctrina praestantium, qui ob utilitatem aut necessitatem ecclesiae episcopatum mutarunt. Hoc et in ipsa Nicaena Synodo apparet cum Eustachius Bereeae Episcopus ad sedem Antiochenam translatus est; Et a S. Gregorio Nanzianzeno comprobatum, qui relicto primo episcopatu ad CPolitanum translatus etiam fuit.

(1) *Apoc.* 19. *et* 21. *Ephes. V.*

(*) *T. V. op. S. Chrisost. edit. Antuerp.* 1614. *pag.* 382.
(**) *C.* 2. *et* 3. *h. t.*

His praemissis naturam translationis facile erit colligere, quaeque ad illam requirantur; nimirum translatio quae est ecclesiastici magistratus ab una ecclesia ad aliam canonice facta mutatio (a), ut sit talis et justam requirit causam, et Superioris auctoritate opus habet. Hinc ut Episcopus, etiam tantum confirmatus, ab una ad aliam ecclesiam transferri possit, necessaria est auctoritas Summi Pontificis, uti etiam ad translationem Praelati inferioris, si sit exemptus (b), et Episcoporum coadjutoribus, qui et ipsi a solo Pontifice transferuntur (1); secus vero requiritur tantum

(a) Translatio non censetur: 1.° quando de jure Episcopi ad aliquam Sedem electi non certo constat, 2.° neque incardinatio proprie est translatio, vi enim illius Episcopus alteri quidem civitati praeficitur, sed non perpetuo, vel absolute, 3.° neque simplex commendatio alienae ecclesiae, 4.° Episcopus qui renuntiavit suae ecclesiae, aut canonice ab ea depositus fuit, si ex concessu canonum (*) aut ex benignitate apostolica alium episcopatum consequitur, non dicitur transferri, 5.° neque mutatio sedium; aut mutatio residentiae episcopalis pro translatione habentur. Transfertur tamen Episcopus, et vacat proinde ecclesia ab eo tempore quo ab vinculo ejus ecclesiae in consistorio absolvitur, etiam ante expeditionem literarum apostolicarum. Hinc habita absolutionis hujus notitia tenetur se abstinere ab exercitio ordinariae jurisdictionis; quae in capitulum transit juxta declarationem congregationis Cardinalium super negotiis Episcoporum approbante Pontifice ann. 1724. die 12. decemb.

(b) Unde postulatione indigent (**); utque canonica sit translatio tamquam in causa majori interponi debet: praesertim postquam stata Synodus provincialis praetermitti, ejusque libertas a magistratibus secularibus constringi et opprimi coepta est. Attamen de his majoribus causis redibit sermo cum jurisdictionem Papae in specie, non multo post interpetrabimur.

(1) *C. ult. de cler. aegr.*

(*) *C. 35. c. 7. q. 1.* (**) *C. fin. de postulat. praelat.*

auctoritas Superioris, seu Episcopi (1). Si vero ecclesia ad quam quis transfertur sita sit in aliena dioecesi, utriusque Episcopi consensus requiritur. Capitulum etiam Sede vacante potest transferre Abbatem vel alium beneficiatum non exemptum. Ita communiter DD. (a). Quod autem per translationem Episcopi, vel inferioris Praelati aut beneficiati confertur et obtinetur nova praelatura vel beneficium translati vel transferendi etiam consensus requiri colligitur; ab invito namque et non consentiente jus reale, vel quasi dominium ullius rei non habetur. Verum specialis adhuc in Episcopis datur; quoniam per translationem spirituale contrahunt matrimonium cum ecclesia nova, quod sine consensu sponsi valide non fit (2). Potest inde invitum Summus Pontifex removere ab ecclesia, sed invitum admovere ad alium non potest (b).

Demum causa utilitatis vel necessitatis ecclesiae canonice transfertur Episcopus, non ipsius favore, aut odio. Hinc infestus aer ejus loci quem ferre non possit, rigidum coelum, corpus debilitans, odium malae plebis (3) haeresum succrescentium alibi estirpatio, quae doctrina et zelo Episcopi speratur (4); praesens

---

(a) Ille qui dispensationem accepit, ut possit transire ad majorem dignitatem, vi illius dispensationis non potest ad minorem transire; quia indultum hoc, utpote juri repugnans; est strictae interpretationis (*).

(b) Excipe si bonum ecclesiae id exigat; tunc enim potest cogi per poenas ut ex nolente fiat volens (**).

(1) *Can.* 8. *c.* 17. *q.* 2. (2) *C.* 21 *de elect.*

(3) *C.* 10. *de renunt. et c.* 49. *c.* 7. *q.* 12.

(4) *C.* 34. *c.* 7. *q.* 1.

(*) *C.* 35. *c.* 7. *q.* 1. (**) *C. fin. h. t.*

ecclesia ab hostibus eversa (1) ita tamen ut inde abeuntibus hostibus pristinam sedem repetere obligetur (2). Sic et si capitalis inimicitia urgeat, argumentantur canonistae aliam causam similem translationis; et revera, utilitati enim vel necessitati ecclesiae consulunt.

Ceterorum ministrorum ecclesiae translationes aliquam causam rationabilem requirere nemo dubitat, et praecipue parochorum quorum vinculum cum suis ecclesiis etsi non sit illud Episcoporum, nihilominus comparatur etiam matrimonio (3) (a) ipsaque experientia teste plura incommoda nascuntur ex translatione eorum. Est vero sufficiens causa ut quis transferatur a beneficio ad aliud, utilitas ecclesiae, etiam illa quae postulat, ut digniori officium majoris momenti conferatur.

CONCLUSIO QUARTA

Permutationis beneficiorum natura excussa, quomodo exequi potest quibusque conditionibus declaratur.

Mutua beneficiorum dimissio, seu resignatio, ut alter alterius dimittentis beneficium consequatur di-

---

(a) Jure cautum fuit, ut unaquaque ecclesia uni presbytero detur, velut ejus spiritualis uxor quae non possit in plures dividi (*).

(1) *C.* 42. *et* 44. *de renunt.*

(2) *C. temporis eod.*

(3) *Thomassin p.* 11. *lib.* 1. *cap.* 19. *et* 22.

(*) *C. sicut caus.* 21. *q.* 2.

citur permutatio, quae affinis est renunciationi et reservationi.

Verum quoniam in permutatione fit destitutio, et institutio simul beneficiorum utraque canonica; insuper quia omnia pacta privatorum in causa beneficiali irrita jure sunt (1) et qui permutationem attentant privandi sunt suis beneficiis (2), beneficia ecclesiastica inter se tunc recte permutantur cum debita observentur requisita quae sunt. 1.° Justa causa ex. gr. utilitas aut necessitas ecclesiae vel beneficiati (3). 2.° Ut fiat cum auctoritate Superioris legitimi ad quem spectat institutio (4) alias committitur simonia juris ecclesiastici; permutatio foret nulla etiam ex defectu potestatis transferendi, et acquirendi beneficia; et permutantes incurrerent excommunicationem, et perderent beneficia saltem post sententiam (5) (a). 3.° Beneficium melius et pinguius si commutetur cum debiliori, compensari non possit per aliquod temporale ex. gr pensionem; nam esset simonia et juxta aliquos juris divini, quia jus ad reditus connexum habetur cum officio spirituali; nisi Pontifex illud ab officio separet, quod quidem potest (b). Hinc Episcopus

(a) Licitum tamen est permutare volentibus praevie deliberare, vel etiam convenire de permutatione facienda si superior concesserit. Quod si hic acceptat resignantiones, facultas non est ei beneficia aliis quam resignantibus ipsis conferre, cum nisi conditionate resignaverint.

(b) Etsi pensio possit dari propter fundum pinguiorem et fructus; non sequitur quod beneficium melius cum debiliori commutatum possit compensari per aliquod temporale; nam fun-

(1) *C. 5. de pact.* (2) *C. 7. de rerum permut.*

(3) *C. 5. h. t.* (4) *C. unic. eod. in 6. et cit. c. 5.*

(5) *Cit. c. 5. et extrav. 2. de simon. intercomm.*

etsi ex justa causa in permutatione aliquas adijcere possit conditiones, vel pensiones, non tamen ex hoc quod unus permutet beneficium pinguius cum minus pingui: adde quod Episcopus titulum spirituale non potest a jure percipiendi reditus separare sicut Pontifex potest, ob jus commune expressum rubrica: *Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur.* 4.° Consensus habentium jus eligendi, conferendi et maxime praesentandi scilicet patronorum, alias esset irrita vel irritanda ex argumento juris (1). Si tamen permutatio esset necessaria et hi irrationabiliter dissentirent, juxta DD. non attenderentur, vel compellerentur ad consensum. 5.° Beneficiorum permutatio fiat cum alio beneficio, non cum alia re temporali, sive spirituali, vel enim esset simonia, vel contra jus quod prohibet omnia pacta circa beneficia absque auctoritate Pontificis (2). 6.° Permutantes habeant in beneficiis jus in re vel ad rem; quo enim permutare possunt aliena?

---

dus et fructus futuri non pertinent ad permutantem, sed solum jus percipiendi fructus pinguiores connexum cum officio spirituali. Nec contra valet jus nimirum c. ad quaestiones 6. 4. t. ubi approbatur permutatio duarum ecclesiarum, in qua excessus redituum quos una ecclesia praebebat majores, per pecuniam fuit compensatus, permutatio enim erat duarum ecclesiarum parochialium, quae pleno jure, seu etiam quoad proprietatem fundorum, et proventuum incorporatae erant duobus conventibus: et hinc sicut hi fundi, adhibitis solemnitatibus, sine simonia emi et vendi possunt, ita et permutari cum compensantione pro mere temporali, scilicet pro melioribus fundis. Demum observandum quod compensatio auctoritate Pontificis facta, excludit simoniam solum quia jus ad fructos futuros, vel excessum fructuum separet a titulo spirituali; non tamen quia dispensat simoniam quae esset juris divini.

(1) C. 25. *de jure patron.* (2) C. *fin. de pact.*

Restat ut ceteri modi exponuntur quibus jurisdictio ordinaria et beneficium amittuntur nimirum, extra voluntatem, ac poenae causa. Ast agentes deinceps de vacationibus beneficiorum, de illis dicendum erit quae ipso facto vel jure vacant nimirum, extra voluntatem; item cum de judiciis disseremus de depositione ac degradatione tractandum erit, unde qui poenae causa beneficiis priventur patebit; ne dicta repetentur, ad modos gradum facimus aperiendos, quibus delegata jurisdictio deperditur.

CONCLUSIO QUINTA

Delegatae jurisdictionis potestas quomodo expiret, declaratur.

Finitur officium et potestas delegati: 1.° Revocatione delegantis vel expressa vel tacita, etsi res non amplius sit integra, quamvis hoc non debet fieri sine justa causa (a): si tamen delegatus subdelegavit re non amplius integra, non potest revocare subdelegationem; jam etenim censetur officio functus esse suo. Hinc si subdelegatus moritur, vel alia ratione subdelegationem amittat, illa non redit ad subdelegantem (1). 2.° Morte delegati vel naturali vel civili si mors sit publice nota, et delegans delegavit nomine propriae personae, non dignitatis, atque causa sit integra nimirum, quando nullus actus substan-

(a) Excepto casu, quo compromissariis data est potestas eligendi ad praelaturam (*).

(1) C. 37. *de offic. delegat. et L.* 58. *ff. de judiciis.*

(*) C. 30. *de officio delegati.*

tialis judicii exercitus, ex. gr. citatio partium (a) (1). Quod si delegata sit alicui jurisdictio per legem, sicut per Tridentinum ordinarii locorum quoad multas

(a) Excipe si delegatio sit generalis et a Papa, uti praxis et communis sententia docet; nisi facta fuerit *usque ad beneplacitum nostrum: vel ad arbitrium nostrum*. Confirmatur vero et regula generali, quod gratiae factae non expirant morte concedentis.

Nec vero semper facultas et dispensatio delegata cessat morte delegantis etsi non Papae; si enim fuit in favorem et gratiam delegati absolute concessa non cessat; quia comparatur donationi, quae durat post mortem donatoris puta, facultas audiendi confessiones, absolvendi a reservatis etc. (*) dummodo tamen concessa non sit ad arbitrium nostrum, ad nostrum beneplacitum etc.; sic namque per mortem sicut finitur arbitrium et beneplacitum, et facultas et dispensatio finitur (**) nisi consuetudo viget contraria, uti in hac Neapolitana Archidioecesi. Secus si concessa habetur in favorem alterius, seu committitur pro certo casu; quia sicut verum mandatum, morte mandantis expirat reintegra (***). Ast et in hoc casu videndum num concessa facultas relinquatur arbitrio delegati, quae dicitur gratia facienda, vel ei ut merus necessarius executor, et dicitur gratia facta, hac enim hipotesi nec morte delegantis expirat ipsa facultas delegati (****).

Insuper juvat monere quod per mortem subdelegantis non expirat jurisdictio subdelegati, sed tantum morte delegantis, quia potius ab hoc, quam ab illo censetur processisse jurisdictio.

Nec tamen ubi delegatus exercet jurisdictionem, si ignoretur publice mors delegantis aut ejus revocatio, erunt ejus acta invalida ob titulum coloratum et errorem publicum (*****) etsi privata scientia ipse delegatus hoc sciat.

(1) *C.* 20 30. *eod. L.* 6. *ff. de jurisdict.*

(*) *C. Si cui* 36. *de praeb. etc. in* 6. *et ex reg. jur. Decet. ib. in* 6.
(**) *C. Si gratiose* 1. *de rescript. in* 6.
(***) *Cit. c. Si cui et ex c.* 19. *et* 30. *de deleg.*
(****) *C. Si super gratia* 9. *cod. in* 6.
(*****) *Arg. l. Barbarius ff. de offic. Praetorum.*

causas sunt constituti, tamquam delegati Apostolicae Sedis, horum non expirat jurisdictio morte delegantis, sed durat, quamdiu lex durat. 3.° Morte delegati; non tamen depositione suae dignitatis, nisi delegatio facta esset intuitu dignitatis ipsius (1) (a). 4.° Lapsu temporis praefixi, nisi ante lapsum communi partium consensu fuerit prorogata (2) (b). 5.° Confecto negotio sive per transactionem, vel pactum, per sententiam latam, executionem datam, vel si alteri demandata, uti dictum est, et jam coepta sit executio (3) (c). 6.° Recusatione delegati tamquam suspecti, si in termino competente, causa suspicionis allegata et probata fuerit (4). Ita tamen ut si recusetur delegatus Principis supremi, pronuntiare de justitia recusationis spectat ad arbitros a partibus eligendos: si delegatus inferioris, ad delegantem: si plures delegati ad condelegatum (5). 7.° Si impedimentum puta, furor, in-

---

(a) Aliud foret si fuisset delegatio non personalis, sed realis seu facta intuitu, et sub nomine dignitatis aut officii, ut si Papa delegaret Episcopo, aut Vicario generali certae dioecesis, non expresso nomine Episcopi, vel Vicarii, tunc enim delegatio transit ad successorem (*).

(b) Si terminus statuitur certus, ac determinatus sit dies puta: *valeat delegatio usque ad Pascha*, vel *primum diem Maj*, tunc non refert, an rescriptum serius, aut citius perveniat ad delegatum, sed adveniente Paschate, aut primo die maij expirat; si vero dicatur, *duret per tres menses*, tunc incipit tale tempus primum currere a die accepti rescripti (**).

(c) Excipe eum, qui solus est delegatus executor gratiae; is enim si prima provisio fuisset nulla, posset aliam facere.

(1) *C.* 42. *eod. l.* 27. 57. *ff. de mand.*

(2) *C.* 4. *et* 24. *eod.* (3) *C.* 9. *eod.*

(4) *C.* 5. *eod. in* 6. (5) *C.* 39. *eod. c.* 4. *eod. in* 6.

(*) *C.* 14. *eod.* (**) *C.* 12. *de appellat.*

famia juris etc. superveniat, etiamsi hoc tempore delegationis non adfuerit, ita tamen, ut, cessante tali impedimento, recuperet jurisdictionem. Ita communis. 8.° Per excommunicationem aut suspensionem delegantis non quidem expirat, sed tamen suspenditur jurisdictio, at tantum quoad negotia nondum coepta. 9.° Expirat morte illius qui vi rescripti conveniendus erat coram delegato, nisi ante ejus mortem lis contestata jam fuisset, vel iste conveniendus fuisset ratione comitatus, praelaturae, vel ecclesiae; tunc enim conveniri potest ejus haeres, vel successor.

MONITUM

De modis quibus jurisdictio ecclesiastica minuitur sive restringitur, limitatur, ac ligatur.

Exemptionibus sive privilegiis, obligationi legis communis quis subducitur; sicque jurisdictio ecclesiastica restringitur. Reservationibus limitatur. Censuris et irregularitatibus ligatur. De his dicendum manet, postquam thema absolvimus de modis quibus jurisdictio acquiritur ac finitur praecedentibus conclusionibus. Quoniam vero sequenti libro de personis agentes, et de censuris quarto volumine eadem materia ex intervallo pertexere opus erit; recte ducimus coronidem potius addere jurisdictionis argumento sequenti capite.

CAPUT XIV.

QUIBUS JURISDICTIO TRIBUENDA SIT.

De preficiendis Titulus XIV libri primi Decretalium inscribitur: *De aetate et qualitate et ordine praeficiendorum.* Inde colligimus tria spectari potissimum in praeficiendis, etatem nimirum, ordinem, aliasque qualitates quas interpretari nostrum est. Sit itaque

CONCLUSIO PRIMA

Regulae de aetate preficiendorum statuuntur, deque ordine in his requisito dicitur.

Quamvis sparsim de praeficiendorum aetate dictum est, juvat tamen in unum colligere argumentum idem sequentibus regulis. 1.° Nulla in jure aetas determinata est pro Summo Pontifice; decens tamen est, ut in ea saltem aetate constitutus sit, in qua Christus praedicari coepit, ceterique Episcopi promoveri solent. 2.° Nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam 30 exegerit annum aetatis suae (1). 3.° Ad Cardinales ex Tridentino etiamsi diaconos extenduntur quae de qualitatibus Episcoporum sunt statuta (2); videtur inde exigi in ipsis eadem aetas: at ex constitutione Sixti V. (3) requiritur et sufficit quae ad ordinem praesbyterii vel diaconatus est requisita.

(1) *C.* 7. *de elect.*
(2) *Trid. sess.* 24. *c.* 1. *de reform.*
(3) *Const.* 50.

4.° Ad praelaturas, dignitates et beneficia sive secularia, sive regularia quibus cura animarum annexa est etiam parochiales ecclesias, aut earum vicarias perpetuas, abbatias et prioratus conventuales requiruntur anni 25 inchoati ex Tridentino et alibi (1) (a). 5.° Ad reliquas dignitates, vel personatus, quibus nimirum cura non est animarum annexa, non minores 22 annis adsciscantur, et quidem probabilius completis; ait enim Tridentinum ipsum citat. *non minores* 22 *annorum:* et revera minor est qui annum non complevit (b). 6.° Ad beneficium simplex obtinendum requiritur et sufficit annus 14 inchoatus ex Trid. quod cavit (2): *Nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere.* Excipitur tamen: 1.° Si expresse in fundatione esset statutum, ut etiam conferri possit minori 14 annis, quia Concilium noluit derogare

(a) Annus 25 inchoatus sufficit quia Tridentinum cit. ait debere aliquem pro beneficiis curatis attigisse 25 annum. Ast ceteri prioratus etsi curam habeant animarum, exigunt saltem ann. 20 completum (*). Imo ex dispensatione Abbas esse potest etiam irregularis, et in minoribus constitutus, si aptus dignoscitur monasterio reformando.

(b) Permittitur tamen ut *Episcopi cum iis qui* 20 *annum compleverint, quod dignitates, vel personatus, quibus cura animarum non imminet, valeant obtinere; possint, si aliud non obstat canonicum impedimentum, libere dispensare.* Verba sunt juris (**) quod sublatum a Tridentino non fuit, odiosa enim est correctio.

(1) *Sess.* 24. *c.* 12. *de ref. et c.* 14 *de elect. in* 6. *Clem. un. de off. Vicar.* (2) *Sess.* 23. *c.* 6. *de reform.*

(*) *Clement.* 1. §. 7. *de statu Monach. c.* 10. *h. t.*

(**) *Cum te minorem* 9. *c. de probat.*

fundatoribus ut Cardinales declararunt, teste Gallemart ad loc. cit. (a). Excipitur 2.° nisi beneficio sit annexus ordo sacer, uti canonicatibus, et portionibus ecclesiarum cathedralium jure Trid. (1) annexus est subdiaconatus (b).

De ordine antem jure cautum est 1.° nemini valide beneficium conferri, qui non saltem habeat primam tonsuram, quia laicus capax beneficii vel dignitatis ecclesiasticae non est (2) 2.° quem jus et natura beneficii aut consuetudo requirit ordinem, saltem a beneficiato recipiendus est intra annum ab obtenta pacifica possessione (3) 3.° quod si non receperit absque justo impedimento, privatio beneficii parochialis aut vicariae perpetuae incurritur ipso ju-

(a) Non abs re erit hic monere quod leges a fundatoribus constitutae non de aetate tantum, sed et de ceteris qualitatibus promovendorum retinendae sunt, dummodo inde regula canonum non quidem tollatur omnino; sed paulo vel lenior, vel severior evadat. Hinc DD. colligunt vanam esse legem fundatoris, quae adscribit beneficium ecclesiasticum laicis; retinendam vero illam qua beneficium jure sacerdotale, vel diaconale, minoribus clericis concederet.

(b) Juvat monere 1.° quod collatio electio praesentatio etc. facta illi qui non habet aetatem legitimam irrita est; tum quia inhabilis persona; tum quia contra formam a jure praescriptam, 2.° quod in aetate non potest dispensare Episcopus absque privilegio; legibus enim Pontificum, et conciliis nequit per se derogare, 3.° si lis moveatur de aetate antequam candidatus obtinuerit beneficium, ipse legitimam debet probare aetatem (*): si vero post beneficium obtentum, adversario neganti incumbit onus probandi; nam provisus habet tunc praesumtionem fundatam in aetate.

(1) *Sess.* 24. *c.* 12. *de reform.*
(2) *C.* 7. *de rescript. et c.* 2. *de inst.*
(3) *C.* 14. *de elect. in* 6.

(*) *Cit. cum te minorem* 9. *c. de probat.*

re; tenetur proinde beneficium dimittere, et si intra annum illud, nec animum habuit ordinem praesbyteratus suscipere, omnes fructus susceptos tenetur restituere (1). De aliis vero beneficiis etiam curatis idem dicendum saltem per sententiam judicis (2) 4.° ad episcopatum aliquis ordo sacer, saltem subdiaconatus requiritur, susceptus tamen ante 6 menses (3). Quod ex Trid. (4) colligitur.

CONCLUSIO SECUNDA

Qualitates aliae promovendorum aperiuntur postquam aliqua de indignis adnotantur.

Beneficia conferenda sunt dignis (5) (a). Complectitur haec doctrina omnes institutionis species. Quae ergo de eligendis dicta sunt huc spectant (b). Alienum tamen tempus non esse ducimus illis adnectere aliqua ut intelligantur magis. Et 1.° quoad collationem indigni, si dignus haberi potest non solum graviter peccaminosam dicendam; sed si talis sit irregularitate, juxta omnes irritandam; num autem irrita sit, duplex est sententia DD.: una quae commu-

(a) Dignus vocatur quisquis nullo afficitur impedimento canonico, quominus promoveri queat, sive id ex jure communi, sive ex speciali quarumdam ecclesiarum proveniat.

(b) Confer conclusionem quartam capitis octavi.

(1) *C.* 14. *de elect. in* 6. *et c.* 35. *eod. in* 6.

(2) *C.* 1. *h. t. c.* 14. *et* 35. *de elect. in* 6.

(3) *C.* 9. *h. t.*

(4) *Sess.* 22. *c.* 2. *de reform.*

(5) *C.* 7. *de elect. c.* 29. *de praeb. et Trid. sess.* 7. *c.* 3. *de reform.*

nior et probabilior tenet partem quae affirmat, dummodo partialis non sit irregularitas puta, ob defectum corporalem, quo non possit fieri sacerdos; nec beneficium sit simplex habens tantum injunctam obligationem recitationis horarum, aut aliquid quod laici etiam exercere possint; hoc enim casu valide etiam suscipitur ab irregulari beneficium. Secunda sententia negat. Hanc satis probabilem etsi non probabiliorem dicit S. Ligorius quem adire juvat, monens simul quod adhuc stante probabilitate hujus sententiae, nemo irregularis se immittere in possessionem beneficii potest, quia nemo cum opinione probabili inchoare possessionem potest (1).

Ad jurisdictionem autem delegatam ipsi Suarez, Collet, Habert aliique non extendunt rigorem primae sententiae affirmantis quam tenent; nam nullum jus advertunt esse quod illam jurisdictionem irritam facit. Verum addunt invalidam posse esse, si per deceptionem obtineant delegati illam, vel per subreptionem.

II. Excommunicatio inhabilem ad beneficium valide acquirendum reddit, et possidendum; (2) sicut et ad officium juxta communem DD. sententiam; non enim esset, ajunt, ad beneficium inhabilis quis, nisi et ad officium (a): imo advertit Suarez, nec bona fides, qua quis excommunicatus beneficium acceperit sive quia ignorat excommunicationem suam, sive quia se putat absolutum, ab inhabilitate illa solvit (3).

(a) Confer S. Ligorium loc. cit. n.° 181.
(1) *Lib. 7. de censuris et irregul. D. 2. n.° 343.*
(2) *C. postulatis XII. de cleric. excomm. minist.*
(3) *Disp. XII. sect. 1.*

Adhaec intelligi pronum est, quod actus jurisdictionis ab excommunicato factus, est natura sua invalidus, valide tamen agit ille, si titulus ei coloratus non desit. Demum delegationem ab excommunicato factam non esse invalidam expresse DD. docent.

III. Suspensionem non partialem nimirum, ab ordine tantum, quae refertur ad usum et exercitium ordinis; sed simplicem, quae scilicet respicit etiam beneficium et officium, irritare ipso facto collationem beneficii et officii multi DD. dicunt. Ast alii non pauci inter quos Suarez (1) irritandam tantum docent, utpote ille effectus in jure non expressus habetur, ut ante sententiam urgeat.

IV. De interdicto personali, idem ac de suspensione dictum, intellige.

V. Simonia reali si quis assequutus sit beneficium, ad illud possidendum est inhabilis, teneturque illud ante sententiam dimittere (2). Ineligibilis est simoniacus, nisi in fraudem, aut ipso contradicente.

VI. Quoad defectum scientiae ambiguum non est, invalidam promotionem facere pleno jure; nam ipsa vitio essentiali laborat, quamque inter alia *irritam nuntiandam* jus dicit.

VII. Intrusus sive invalide promotus ad dimittendum beneficium tenetur, et ad restituendum quodcumque perceperit propter officium exercitum. Ast pro ratione sui operis congruam sustentationem potest. ex fructibus percipere, si bona fide exercuit, sicut et fructus alios bona etiam fide consumptos restituere non tenetur, si factus ex his non sit ditior

(1) *Disp. XXVI. sect.* 3.
(2) *Cap. Cum detestabile* 2. *extrav. comm. de Simon.*

juxta Suarez et alios. Insuper dispensatione, indignitati medendo, nova institutione novaque provisione opus habet: nec sola possessione jus acquiri potest; nam non tractu temporis firmatur, quod ab initio non subsistit ex Reg. J. Electus ad praelaturam, et conscius impedimenti occulti irritam reddentis electionem, salva non potest acceptare conscientia (1); nec difficultas se privandi praelatura proderit, aut manifestandi defectus; difficile enim ajunt DD. hoc esse ambitioso, non probo onera praelaturae expendenti.

VIII. Hae regulae interim prae ceteris retinendae hoc in argumento 1.° ut in minoribus constitutus, habeat intentionem status ecclesiastici perpetuo retinendi, nisi justa causa inciderit, quod ex Trid. arguitur (2), et Lessius docet (3). 2.° Qui ad sacros ordines admissus ac proinde idoneus judicatus est, regulariter censetur idoneus ad beneficium, nisi aliter se reddiderit indignum (4). 3.° Ad beneficia curata novo opus est examine ex Trid. (5). 4.° Ad talia beneficia longe major scientia et probitas requiritur, ac ad simplicia (6). 5.° Gradus doctoratus requiritur, aut licentiatus sit ex Theologia oportet, vel jure canonico, aut testimonium saltem publicum alicujus academiae de idoneitate ad docendum habeat pro aliquibus dignitatibus et officiis, nempe, in epi-

(1) *C.* 20. *de elect. et c.* 13. *de renunt.*
(2) *C.* 4. *et* 11. *de reform. sess.* 23.
(3) *De* 9. *et* 9. *l.* 2. *c.* 34.
(4) *C.* 10. *de aetat. et qualitat. etc.*
(5) *Sess.* 7. *c.* 13. *de reform. et sess.* 24. *c.* 18. *de refor.*
(6) *C.* 4. 14. 15. *de aetat. et qualitate.*

scopis, in poenitentiario, vicario capituli, aliisque ex Trid. (1); quod optatur ut in cathedralibus et insignibus collegiatis dimidia saltem pars canonicatuum conferatur tantum magistris, vel doctoribus, vel licentiatis in Theologia etc. 6.° Qualitates, quae ex fundatione, consuetudine, aut legitimo statuto requiruntur, serventur necesse est.

CONCLUSIO TERTIA

De obligatione promovendi digniores disseritur.

Digniorum promotio sit semper oportet ad beneficia quaecumque et dignitates; nam ad justitiam non solum distributivam, ne cesset aemulatio charismatum meliorum, sed ad commutativam pertinet quoque; dignitatibus enim et beneficiis necessitati, et utilitati ecclesiae ex hac justitia, sive jure perfecto et rigoroso etiam providendum (a). Quoniam ve-

(a) Dignitas spectari potest *relate ad subjectum* qualitatibus instructum ad promotionem necessariis, quodque ob praecedentia merita vel praecellentes dotes aliis videtur praeferendum; aut relate ad ecclesiam vel dignitatem ad quam aliquis est promovendus: sed et hoc quidem respectu pro ratione temporum, locorum, praesentium necessitatum ecclesiae, aliae atque aliae dotes unum alio digniorem efficere possunt; puta, ob ecclesiae et fidei adversarios, doctrina et zelo pollens coercendi illos, industrior oeconomus patrimonii Christi prae doctioribus ubi necessitas sit. Hoc tamen ita intelligas quod scientia et probitas omnino non desit ei, qui ad curam animarum adsumitur; est inhabilis enim si scientia desit; si probitas, ut indignus repelletur. Ex his autem quis praeferri meretur, nec facile dixeris. Inquirit id Fagnanus cit. loco ac late probat, doctiorem sanctiori an-

(1) *Sess.* 22. 23. 24. *de reform.*

ro illorum diversitate, magis minusve aut promoveri, aut laedi potest illud ecclesiae bonum, sicut et alio, aliove modo intendi; necesse inde est, ut recte et plene argumentari possit de dignioribus promotionem ipsam distinguere utrum sit ad ecclesias cathedrales, vel ad dignitates et beneficia inferiora; haec autem vel electiva, vel per concursum conferenda; item aut patronata juris ecclesiastici, aut patroni laici sint, aut beneficia simplicia et liberae collationis. Et quoad ecclesias chatedrales digniores promovendos etiam ipsum jus naturae dictat, quo ne pereant Christi oves ex negligentia pastorum, obligantur institutores, digniores non praeterire, neve communicent peccatis alienis Trid. ipsum argumentatur (1). Quodque alibi (2) munus episcopale dicens *onus angelicis humeris formidandum*, subdit, *integritas praesidentium salus est subditorum:* hinc jam innuit quantum refert digniorem prae digno eligendum Episcopum (a).

Verum etsi facilius negligentiae et defectibus inferiorum dignitatum beneficiorumque occurri possit, idem finis, quem necessarie respiciunt, bonum ni-

---

teponendum esse, quod ille melius, ac facilius possit ecclesiae providere, eamque administrare.

(a) Proscripsit Innocentius XI. hujusmodi propositionem *quum dicit Concilium Tridentinum eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui, nisi quos digniores, et ecclesiae magis utiles ipsi judicaverint, ad ecclesias promovent, concilium vel primo videtur per hos digniores non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo; vel secundo, locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vere dignos; vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.*

(1) *Sess.* 24. *c.* 1. *de reformat.*

(2) *Sess.* 6. *c.* 1. *de reformat.*

mirum ecclesiae promovendum, digniores eodem modo eligendos requirit; quamquam non pari ratione. Re quidem vera vel electiva sunt beneficia ac dignitates, et ipsa ratio electionis intrinsece continet obligationem promovendi digniores; necesse est enim, ut fruens jure eligendi consulat, meliori quo potest modo, utilitati ecclesiae: vel sunt per concursum conferenda, et ex natura ac fine concursus, ipsorum digniorum promotio necessaria colligitur. Concilium Tridentinum hoc expresse cavit (1). *Ex hisque* (examinatis) *Episcopus eum eligat quem caeteris magis idoneum judicarit* (a). Constitutione sua Pius Papa V. ita loquitur (2): *ut non solum dignis, sed magis idoneis repertis juxta Tridentini decretum parochiales ecclesiae conferantur, volumus et decernimus:* ita tamen ut electio, vel collatio beneficii curati personae dignae omissa digniore, facta extra concursum de jure valida sit, neque per sententiam

---

(a) Magis idoneum, facile erit intelligere ex praenotatis; non enim absolute judicandus est, sed comparate, ad hanc nempe, aut illam vacantem ecclesiam. Quare indigena utpote ut plurimum acceptior, prae alienigena; in locis non haereticis Canonista prae theologo; in parochia populosa, aut parum conjuncta, junior laboris patiens, quam senior; in loco rixarum pleno, gratior et praepotentior, quam adolescentior, maxime etiam eruditus; in populo pauperiore ditior, et liberalior, quam nobilis tenax, aut non adeo residentiae amicus; in parvo rusticorum vico, illustrior magis caritate, ut apte instruat, quam doctrina ornatior; ac demum consanguineus magis, si cum Praelato *unanimiter secum negotia ecclesiae tractet*, quam qui sibi plurimum confidit, ab illo alienus, ut ad rem putat S. Thomas (*).

(1) *Sess.* 24. *c.* 18. *de reformat.*

(2) *In conferendis* §. 7.

(*) 2. 2. *q.* 63. *a.* 2. *ad* 1.

rescindenda. Quippe etsi canones animarum regimen dignioribus semper commendandum volunt, post provisionem tamen pati videntur quod non indignus adsumtus sit. Ita cum aliis Fagnanus (1). Rationem vero dat S. Thomas qui ait (2): *quantum ad hoc, quod electio impugnari non possit in foro judiciali sufficit eligere bonum, nec oportet eligere meliorem, quia sic omnis electio posset habere calumniam* (a). Quod si in concursu electio vel collatio beneficii curati facta non sit digniori, non tantum illicita, sed etiam invalida esset; atque insuper digniori praeterito permittitur appellatio juxta Tridentinum, et Constitutionem citatam S. Pii V. (b).

(a) Non desunt tamen DD. qui post Tridentinum minus digno factam collationem ipso jure nullam dicunt etiam extra concursum, ab illo enim sancitur(*), ut magis idoneo, et non *alteri collatio ecclesiae fiat.*

(b) Quoniam judicare, qui sint idonei, ad examinatores pertinet, qui vero ex idoneis magis idoneus sit solius Episcopi (**) hinc facta ab Episcopo electione dignioris prae digno poterat vi Concilii a sententia quidem examinatorum, non vero a judicio Episcopi ipsius appellare. Attamen concessit Pius V. eadem constitutione ut etiam ab irrationabili judicio Episcopi ad Metropolitanum, et ab eo ad primatum, vel ad S. Sedem posset adpellari, nec interim suspendatur facta electio, sed exequtioni demandetur; nam adpellum devolutivum, non suspensivum concessit. Hoc et Clemens XI. confirmavit (***), et Benedictus XIV. (****) declaravit magis. Ut vero constet, irrationabile fuerit, nec ne judicium Episcopi, judex appellationis novum examen instituere tenetur, non solum quoad scientiam, sed ceteras etiam dotes, de quibus loquitur Tri-

(1) *In cap. Eam te IV. Extr. de aetat. et qual.* etc. *n.* 23.

(2) 2. 2. *q.* 63. *a.* 2. *ad* 3.

(*) *Cit. sess.* 24. *c.* 18.

(**) *Trid. ibidem.*

(***) *Epist. encycl.* Reverendissime *ann.* 1721.

(****) *Const. Cum illud ann.* 1742.

Ad haec beneficia jurispatronati ecclesiastici ex Tridentino ipso patet conferenda dignioribus (1) quia patrono ecclesiastico jus praesentandi non competit per modum privilegii in privatum patroni favorem concessi; proindeque a lege concursus praesentatus ab illo non est exemptus. De patrono autem laico agens idem S. Concilium eodem loco, silet de obligatione praesentandi digniorem; ait enim. *Quod si jus patronatus laicorum fuerit, debeat qui a patronis praesentatus erit, ab eisdem deputatis ut supra examinari, et non nisi idoneus repertus fuerit, admitti.* Si ergo patronus praesentet etiam minus dignum, Ordinarius ita praesentatum tenetur instituere.

Obligatio denique praeferendi digniorem digno etiam procedere in beneficiis simplicibus videtur. Ita certe tenendum tum ex natura, et origine ipsa beneficiorum, quum nonnisi ministrantibus clericis portio cuique sua daretur, et magis laborantibus duplicem stipendii honorem impendi jusserit Apostolus (2): tum ratione justitiae distributivae, quae justissimam requirit dispensationem, cui inaequalitas potissimum adversatur; tum commutativae uti dictum antea fuit, qua utilitati et bono ecclesiae providendum; tum denique ne in vitium incurratur acceptionis personarum tantopere reprobatum. Ast probabilius contra agens non peccat, nisi venialiter, si raro solummodo fiat, uti S. Thomas, Vasquez et alii docent.

Ceterum hactenus dicta pati sequentes limitationes

---

dentinum citatum, et Fagnanus late probat (*) ex decretis S. Congregationis.

(1) *Cit. c.* 18.

(2) 1. *Cor. V.* 17.

(*) *Cit. loc. n.* 23.

nemo non videt. 1.° In renuntiatione beneficiorum ex causa permutationis, vel in favorem non obligatur Ordinarius inquirere, an is in cujus favorem renuntiatur, vel cum quo alter permutat beneficium, revera sit dignior caeteris. 2.° Si excessus dignitatis in uno ex pluribus idoneis sit dubius, aut non valde notabilis, vel si se habeant per modum excedentis et excessi. 3.° Si id exigat spiritualis necessitas, aut utilitas ecclesiae vel dioecesis puta, si magis dignus reservetur pro beneficio curato brevi vacaturo dum interim conferatur simplex digno. 4.° Si elector suum suffragium conferendo in minus dignum, tali modo impedire possit electionem omnino indigni secuturam. Ita DD. (1).

Hujus argumenti regione definita credimus pauca de restitutione addenda ad quam teneri possit eligens dignum, digniore praeterito. Equidem non una est sententia DD., alii namque affirmant, negant alii. Primi illum ajunt teneri compensare damnum digniori omisso, qui jus ad beneficium habet, utpote hac lege institutum universali, nimirum ut sit non solum stipendium laborum, sed etiam praemium meritorum; et addunt aliqui inter eos, resarciendum etiam ab eodem damnum ecclesiae ex justitia commutativa; ad hoc enim ecclesia jus confert ad eligendum, vel instituendum ut dignior eligatur, vel instituatur. Qui vero negant, neque digniori, neque ecclesiae teneri dicunt; nam tenent Fundatores beneficiorum primario non habere rationem meritorum, sed instituunt illa in bonum commune, ut nempe ecclesiae serviatur a bonis ministris. Hinc colligunt ex justitia, quae obligat electores, nullum jus rigorosum ad beneficia acquirere nec dignos, nec di-

(1) *P. Schmalzyrueber de aetat. et qualit. et alii.*

gniores. Hos autem si laesos quis dicat, non jus proprietatis ipsorum, laesum confiteatur oportet, sed dignitatis.

Utramque sententiam valde probabilem, dicit S. Ligorius; secundam tamen valde probabiliorem; quia nullus possessor legitimus ad restitutionem tenetur, qui pro se probabilem habet opinionem. Quod si ad beneficium per concursum sit electus dignus prae digniore, etsi sententiam aliquorum DD. negantium obligationem restitutionis improbabilem non cognoscat idem S. Ligorius, ipse tamen tenet sententiam quam communem et valde probabiliorem dicit et qua eligens dignum omisso digniore, damnatur ad damnum ei restituendum; dummodo excessus dignitatis non sit parvus (1).

Hactenus de personis in genere. Non diffitemur plura esse, quae addi possent. At istitutionis ratio ea attigisse suadet, quippe quae facile intelligi proprio marte queant. Nunc de personis in specie sermo nobis erit.

(1) *Lib. IV. c.* 1. *D.* 1. *a.* 3. *n.°* 106. *ad* 109.

LIBER SECUNDUS

DE PERSONIS IN SPECIE.

CAPUT PRIMUM

QUID EST PAPA ?

Inter hierarchicos sacros primatum tenet Papa. Decet ergo exordiri hic ab eo. Opportune autem hoc caput inscripsimus *Quid est Papa*, ut simul Eybel qui mendacio linguam, falsitati intellectum, animum odio mancipando contra Papam libellum audacter edidit apposita inscriptione Quid est Papa ? (a) adversari videremur.

Cathedrae proin unitatis constanter addicti, ubi doctrinam Deus posuit veritatis, ut Augustinus nobis

(a) Notus vaferrimus Eybel novo exemplo velut infesti sui animi testimonium in Sedem Romanam libellum inscripsit Quid est Papa? quo ipsum decus Pontificiae dignitatis in Sacerdotalis ordinis invidiam, popularisque coetus contemptum adduceret. Libellum peropportune a Pio Papa VI. litt. *Super solidate* etc. damnatum eversumque ann. 1786.

in mentem redigit (1), ubi Petrus adhuc velut in propria Sede vivit, et praesidet, praestatque quaerentibus fidei veritatem: eamque Patres unanimi sensu ita coluere (2) *ut qua in una, unitas ab omnibus servaretur; e qua in reliquas omnes venerandae communionis jura dimanant* (3); *ad quam necesse sit omnem ecclesiam, omnes, qui undique sunt, fideles ipsi convenire* (4), huic omnes ad unum fideles addicti contra non tantum Eybelem, sed et in heterodoxos omnes, et haereticos (a) profitemur ex definitione S. Synodi Florentinae (5) « Papam B. Petri Apostolorum » Principis successorem esse, Summum Christi vica» rium, et totius ecclesiae caput, et omnium chri-

(a) Graeci jamdiu Romanae Sedis aemulatores tandem ann. 1054. Summum Pontificem supremo gradu excidisse blaterarunt ex accessione particulae *Filioque* facta ad Symbolum CPolitanum, ut propterea primus omnium Episcoporum dicendus Antistites CPolitanus. Ex latinis primi omnium Waldenses ann. 1170, tum Fraticelli, Wiclefus, Hufs demum Lutherus post ipsius a Leone X damnationem, et Calvinus, quibus adhaeserunt Brentius Illiricus aliique malae frugis nostrorum etiam temporum homines. Qui omnes in uno calumniandi animo, multiplex calumniae genus exercuerunt. Non abs re erit prae ceteris illas nefandas notare Udalrici, Illirici, Salmasii aliorumque qui Petrum nunquam Romae fuisse autumarunt; vel neutiquam ibi tamquam Episcopum sedisse cum Calvino recentiores alii perperam dixerunt. Addesis Nilum Episcopum Tesshalonicensem ab aliis sequutum blasphemantes Pontificem Petro succedere in Episcopatu Romae, non in primatum hunc, quam negare postea cum non potuissent; originem adgrediuntur humano jure constitutum jactitantes.

(1) *Epist.* 105.
(2) *Optat. Milevit. lib. II. c. II. contra Parmen.*
(3) *Ambros. epist.* 31.
(4) *Iren. lib. III. c.* 3.
(5) *Tom. IX. Concil. edition. Paris ann.* 1417.

» stianorum Patrem, et Doctorem, cui in B. Petro pa-
» scendi, regendi, et gubernandi universam ecclesiam
» a Domino nostro Jesu Christo plena est tradita po-
» testas etc.

Hoc, quod profitemur, nostrum erit vindicare conclusionibus seqq. Sit itaque

CONCLUSIO PRIMA

Petrum Romae Episcopum sedisse, martyremque ibique occubuisse demonstratur (a).

Quoniam vero in rebus facti, uti praemonitum jam fuit, auctoritati confugiendum, quippe quae sola cer-

---

(a) Primo volumine hujus nostrae institutionis jam constitutis quae ad Petri primatum explicandum vindicandumque spectant, reliquum est ut de his, quae ad primati ipsius successores pertinent, disseramus. Quoniam vero jus successionis in cofundatur, quod Petrus Episcopatum Romae susceptum, nunquam mutarit, uti deinceps demonstratum ibimus, recte hanc primam ponimus concl.

Nos non latet quatuor ab haereticis in dubium reduci 1.° an Petrus fuerit Romae, 2.° an sit mortuus Romae, 3.° an fuerit Episcopus ibi, 4.° an Episcopatum semel susceptum nunquam mutarit. Ast ex his quatuor cum solum postremum et requiritur necessario, et sufficit ad Romani Pontificis primatum constituendum; quae causa fuit ut Bellarminus advertit, cur Calvinus hoc solum quartum nullo modo admiserit, de ceteris parum sollicitus; satis proinde erit ad nostrum argumentum quod idem quartum caput vindicemus, eo vel magis quod alia supponit.

Ut tamen haereticos falsa somniare, non vera disceptare cuique pateat, non abs re ducimus aliqua subnectere stilum distringendo obiter contra Volterium maxime, qui profectionem Petri

titudinem historicam praestat, quis thesis nostra in dubium revocaverit cum tantus sit scriptorum con-

in Urbem audet a Canonistarum falsa et maligna fraude repetere, interpretantium, Romam Babylonis nomine significatam cum Petrus dixit (*) *Saluta vos Ecclesia quae est in Babylone collecta, et Marcus filius meus.*

Requidem vera num infrequens scripturarum consuetudo, qua Babylonis vocabulo designata est? Legat Volterius Apocalipsim (**) et qui confidenter loquitur, longe turpiter mentiri se videat: imo nullibi alteri Urbi quam Romae vox Babylonis congruere videbit, quippe super septem montes sedere dicitur ibidem (***) et super Reges septem regnum habere; cum nulla Joannis aetate Urbs erat super septem colles extructa, et in reges terrae imperium obtinebat. Congruit Augustini testimonium (****) et Tertulliani (*****); quinimo Papias Apostolorum discipulus, apud Eusebium testatur plane (******) ex Roma scriptam epistolam de qua loquimur. Addesis Hyeronimum (*******) cui consonant Oecumenius, Beda, et quotquot commentaria in eamdem epistolam edidere. Nec ratio defuit Petro latendi locum commorationis suae sub nomine Babylonis, profugus enim Romam venerat, ibique Christianorum saluti occurrere opus habebat. Confirmant nostrum argumentum subjectae voces *Marcus filius meus*: nam Marcus discipulus, et interpres Petri priusquam Alexandriam proficisceretur rogatus a Romanis, qui Petrum jam audierant, Evangelium suum scripsit. Obgarrit ergo insipidus sapiens idem Volterius dum nos ait supponere Petrum Romae fuisse; cum id potius demonstratur evidentissimis plane argumentis ab auctoritate antiquissimorum PP. et fere aequalium Scriptorum unanimi consensu petitis; imo et aliquorum etiam Protestantium moderatorum, puta Grotii (********) et Basna-

(*) *Petri V.* 13.
(**) *C. XVII.* 5 *et XVIII.* 10.
(***) *C. XVII.* 9.
(****) *Lib. XVII. de civit. Dei cap.* 22.
(*****) *Lib. advers. Judaeos c.* 9.
(******) *Lib.* 2. *histor. c.* 15.
(*******) *In epist.* 1. *S. Petri.*
(********) *In epist. S. Petri.*

sensus, tanta de re hac antiquitatis fides, ut Calvinus ipse negando Romanum episcopatum Petri, talibus argumentis evinctum contradictorium prodet semetipsum; ipse enim ait se propter consensum scriptorum nolle pugnare, quin Petrus Romae sit mortuus, dum iidem scriptores summo consensu dicunt Petrum Romae fuisse Episcopum et nemo veterum unquam id negarit.

Theologos adire quis potest, praesertim Canum (1) Bellarminum (2), qui longum deferunt catalogum horum historicorum inter quos vadem damus primum Eusebium (3) cui consonat Sozomenus (4). Item Patrum inter quos eminet Cyprianus (5), Augustinus (6), Hieronymus (7). Dein Conciliorum vetustiorum uti, Sardicense (8), et Chalcedonense (9), aliorumque ita ut si olim gesta in Republica negare quae aliquis affirmavit gravissimus antea, puerile sit; si stulte et malitiose inficiatur quod historici omnes tradunt; nota impietatis, mendacii, et caecitatis inuri patet illos qui argumentum quod agimus petunt atque obnubilant; ac omnibus qui a vitae regula non aber-

gi (*), ad quam in rebus facti confugiendum est, quaeque sola certitudinem praestat. Lege Bellarm. de Rom. Pont. et Canum. Demum argumenta pro thesi quam agimus etiam redarguere adversarinm facile erit colligere.

(1) *Lib. VI. de auctorit. Eccles. Rom.*
(2) *De Rom. Pontif. lib. II.*
(3) *In Chronico ann. Domini* 43.
(4) *Histor. Ecclesiast. lib. IV. c.* 14.
(5) *Epist.* 55. (ex ordine Oxonien.) *ad Cornelium.*
(6) *Lib.* 2. *contra literas Petiliani Donat. c.* 51.
(7) *Epist. XV. ad Damasum Pap. n.* 2.
(8) *Can.* 6. (9) *Act.* 2.

(*) *In annalib. Ecclesiast. ann. Christ.* 64. *n. IX. et seqq.*

rent certius esse debet Petrum ad mortem usque episcopatum tenuisse Romae, quam Augustum in eadem Urbe Monarchicum statuisse imperium, ibique Imperatorem regnasse.

Caeterum quae ratio reddi posset summae dignitatis Romanae Ecclesiae, quae omnium consensu semper habita est prima et praecipua omnium aliarum, Calvino ipso fatente, nisi quia Princeps Apostolorum ecclesiae proprius Pastor et Episcopus fuit? Adde si non fuit Petrus Episcopus Romae usque ad mortem illius, ubinam Petrus sederit ab eo tempore, quo Antiochiam reliquit, nunquam adversarii exponere possunt; cum nulla sit ecclesia aut fuit, quae assereret Episcopum suum fuisse Petrum, excepta Romana et Antiochena ubi ipsi Antiocheni confitentur non mansisse Petrum ipsum. Vel ergo dicant Petrum ullius loci non fuisse Episcopum; vel Romae usque ad mortem.

Demum ipsa Urbs clamat, publica vox ejus sentitur ad rem: signa, lapides, monumenta, festa, facti, quod probamus, argumenta sunt juxta regulas critices. Adhaec peregrinationes ab omni terrarum regione *ad limina Apostolorum* quavis aetate institutae, et Romam catholicam demonstrantes ut Nicolaus advertit (1) ne in dubium revocetur clamitant indubiam hanc historiae narrationem.

Nos non latet pleraque simul crepantibus buccis, ardente calamo contra congessisse haereticos, et haeterodoxos (a) quae tamen a DD. omnino eversa fun-

---

(a) Inter quos Volterius numeratur qui dixit (*) nullam aevo

(1) *Epist. ad Michaelem.*

(*) *Dictionnaire Philosoph. verb, Pierre.*

ditusque deleta; nostra non refert dimicare, ne laterem lavare, asinum tondere, litus arare videamur. Hoc unum in medio ponere liceat nobis; nimirum Petri de Marca (1) et Arnaldi (2) sententiam adserentium Paulum una cum Petro Romanum proprie Episcopum fuisse (a). Ast pessimum quod tulit judicium quisque videt; nam conjunctio Episcopatus cum Apostolatu etsi quoad munus docendi lata significatione cohaereat; non tamen necessario sensu, pressiori et proprio; nimirum, ut necessario illius Urbis eis sit Episcopus, in qua Apostolatus munia obire fortasse potuit; aliter non Romanorum Paulus Episcopus solum dicendus esset, sed et Corinthiorum, Thessalonicensium etc. quo certe nihil absurdius. Et quidem si Patres, ut Epiphanius, et Irenaeus, quos allegat Archiepiscopus Parisiensis, Petrum et Paulum Episcopos Romanos dixerunt, de episcopatu certe dixerunt, ac de successione ad episcopatum quoad doctrinae veritatem, non quoad regendi potestatem ut ex contextu apparet. Quod si opponat Romanos Pontifices inter cetera Sedis suae decora se Vicarios

---

Apostolorum, aut paullo post, Episcopum particularem, ac proprium fuisse; nec societatem Christianam politiae certam formam incidisse, nisi seculo II. Mendacium turpissimum quod fingendo potius quam ratio cinando obtrudit. Item Salmasius qui Petrum in vera Urbe Babylone decessisse adfirmat. Sed quo major ingenio eo mendaciis illustrior contra unanimem. Veterum confessionem. Et alii.

(a) Qui tamen rationem duplicis capitis cum praerogativa Primatus se conciliare posse credidit, et incolumen Petro Primatum vindicans, ambos, Petrum nimirum et Paulum, tamquam per se unum Ecclesiae caput, Romanae Urbis proprie Episcopos fuisse venditavit.

(1) *Exercit. de singulari primatu Petri.*

(2) *De frequenti communione.*

nominasse Petri et Pauli, et eorum throni successores, reminiscant oportet Paulum una cum Petro in Romana ecclesia instituenda, amplificandaque, plurimum adlaborasse, ibique martyrem occubuisse. Hinc merito ejus quoque throni se haeredes esse Pontifices gloriantur, haereditate tamen *localis doctrinae*, quam Romae praedicarunt, non autem episcopatus, quem Romae minime obtinuerunt. Tandem opus non est, ut ad successionem auctoritatis a Paulo derivatae confugiatur, ut formula explicetur, quam Pontifices usurpant, quum aut excommunicatione reos afficiunt, aut a peccatis reos absolvunt: nimirum *Petri et Pauli auctoritate* ut opponit de Marca; vocem enim illam *auctoritatis* non ratione officii, cui succeditur, sed patrocinii, quod imploratur, interpretamur. Revera Alexander II. (1) in confirmatione cujusdam abbatiae ita se habuit: *ex parte D. N. J. C. et S. Dei Genetricis Mariae, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli omniumque Sanctorum* etc. Ecquis ergo dicet inde Romanos Pontifices successores in episcopatu Genetricis Dei omniumque Sanctorum? Merito igitur Innocentius X. die 24 januar. 1647 ut haereticam damnavit sequentem propositionem: *S. Petrus, et S. Paulus sunt duo ecclesiae capita, quae nonnisi unum sunt:* librosque prohibuit, in quibus iteratur.

CONCLUSIO SECUNDA

Romanus Pontifex succedit Petro non solum in urbis episcopatu, sed etiam in totius orbis Primatu.

Una ecclesia, et in aeternum duratura fundata fuit a Christo super Petrum, qui primatum tenet in ea:

(1) *Epist. IX.*

ex sui essentia et natura ergo successoribus illius auferri non potest. An aliter mutata forma, ecclesia una semper esset? Officium Pastoris quod Petrus ex verbis Christi obtinuit *Pasce oves meas*, officium ordinarium et perpetuum, durare debet quamdiu ovile. Hinc in successoribus ejus corpus visibilis ecclesiae, visibili eget capite, et successore in Primatum Petri, qui est Romanus Pontifex (a). Revera Christus transmitti illum primatum noluit per carnis successionem, aut gentis, quemadmodum Aaronicum sacerdotium, a quo abhorruit; nec quidem adsignatum eundem dedit cuique certo loco, ut propterea cognosceretur, illius loci Antistites, successores Petro dedisse. Reliquit ergo facto Petri ipsius, qui propterea etsi primum episcopalem sedem suam Antiochiae constabilivit, inde tamen digrediens jubente Domino (b) Romam transtulit,

(a) Primatus fuit privilegium Petri personale non quatenus privatam, sed prout publicam ille ecclesiae personam gerebat, bono scilicet unitatis ecclesiae in Petri haeredes transmittendum; hinc etiam localis privilegii naturam induit, Romanae scilicet Sedi conjunctum; seu idcirco mixtum potius factum fuit, eo quod soli Romanae Urbis Episcopi sint personae Petri successores. Haec monita tenenda, ut Calvini aliorumque sophismata facile everti possint.

(b) S. Marcellus Papa scribit (*) Petrum jubente Domino venisse Romam. S. Ambrosius (**) S. Athanasius (***) dicunt Christi jussu martyrium Romae pertulisse. Hinc notatu digna sunt verba Benedicti XIV. « Quamvis possit in aliquo sensu dici, Supremam ecclesiae monarchiam, jure tantum humano, esse annexam Sedi Romanae, quia nimirum utriusque unio, nexus, et alligatio ortum habuit ex facto Petri; attamen non videtur

(*) *Epist. ad Antioch.*
(**) *Orat. contra Buxent.*
(***) *In Apolog. pro fuga sua.*

ibique tenuit ad mortem usque, uti ex conclusione praecedenti patet: ergo Romanus Episcopus, quia talis, successor est Petri.

Re quidem vera cum ea sit haereditatis natura, illudque ingenium, ut haeres ad omne jus defuncti dicatur succedere; Romanus Pontifex haeres, ex dictis, Petri ac ejus successor, ad omne jus Episcopatus et Primatus ejus in orbem universum succedit. Nihil aliud est haereditas ait Gaius (1) quam successio ad universum jus, quod defunctus habuit. Huic consonat Ulpianus (2) et Julianus (3): hoc et omnibus constat (a), minus quam Nilo Arch. Thessalonicensi, a gregali protestantium

---

posse sustineri illorum opinio, qui asserunt praefatam annexionem, ita esse de jure humano, ut possit ab ecclesia dissolvi, et una ab altera separari: etenim posito quod Petrus suam sedem stabiliter Romae collocaverit, et Romanam regens ecclesiam obierit, nullus qui Episcopus Romanus non sit, potest dici verus Petri successor » (*).

(a) Observandum Romanum Pontificem et Ecclesiae universae prefecturam, duos non esse Episcopatns, neque duas Sedes, nisi in potentia ait Bellarminus cit. Petrus enim Pontifex totius Ecclesiae a Christo institutus non adjunxit sibi diversum Episcopatum urbis Romae; quomodo Episcopus alicujus loci adjungit sibi alium episcopatum, vel canonicatum vel abbatiam; sed Romanae Urbis episcopatum ipsum erexit ad summum orbis terrae episcopatum; quemadmodum cum episcopatus simplex erigitur in Archiepiscopatum, vel Patriarchatum, non inde multiplicatur; proindeque unum Pallium datur Pontifici, etiamsi Episcopus, Archiepiscopus, Patriarcha et Summus Pontifex sit. Haec enim sunt unum actu, in potentia multa. Ex hoc fit etiam quod ille qui eligitur Romanus Episcopus eo ipso fit Summus Pontifex, quamvis id forte non exprimant electores.

(1) *Lib.* 24. *de verbor. significat.*

(2) *L.* 59. *D. de diver. reg. jur.*

(3) *L.* 62. *D. cit. tit.*

(*) *De Syn. Dioeces. lib.* 2. *cap.* 2.

turba, qui bellandi furore insaniens, asseruit Romanum Pontificem non succedere Petro, nisi in solo Romano Episcopatu, nunquam vero in Praefectura totius orbis catholici. Ast cum omnia jura defuncti ita competant haeredi, nisi per legata et fidei commissa (quae delibationes et modicae ademptiones sunt haereditatis) adimantur haeredi; forsan somniavit Nilus Praefecturam Ecclesiae haeredi Pontifici ademptam, ac legatam ei, quem ipse vult. Deridendi tamen ii fluctus sunt, qui in Romanum hunc scopulum divina virtute solidatum impingentes, franguntur potius, quam frangunt, fatiguntur, non fatigant!

Quod et mirifice quidem comprobatur ex facto ipso Romanorum Pontificum, quo *pro haerede se gerere* visi sunt; hinc enim aliud argumentum acquisitae haereditatis Petri colligitur (1). Quid demum si addere his velimus Concilia quibus ipsum Nicaenum praeit; atque SS. Patrum testimonia, et traditionem, quae unanimi sensu luce meridiana clariora idem firmant argumentum? (a).

Nec tamen facessit nos malefariatus Calvinus inepte objiciens particulares ecclesias, quae consueverunt Pontificem nomine *fratris*, *Episcopi*, *collegae* appellare: nam hoc fuit ad indicandam unitatem tantum episcopatus, cujus, ut scite advertit Cyprianus, a singulis in solidum pars tenetur; non ad excludendam dignitatem primatus, cui subjectas se tenerunt (b).

(a) Lege Canum lib. VI. c. IV. de auctoritate Ecclesiae Rom. et Bellarminum de Rom. Pontifice lib. II. c. XIV. ubi satis abunde haec enucleata habentur atque probata, simulque ab objectis adversariorum vindicata, ita ut hic morari opus non sit.

(b) Ultimis hisce etiam temporibus literatores, non literati, et in Romanam Sedem male affecti, vocabulo Episcopi Romae.

(1) *Inst. lib. II. tit. XIX.* §. 7.

Cui vero latet in Concil. Chalcedonensi (1) tres latas esse epistolas diversorum graecorum ad Papam Leonem, inscriptas: *Sanctissimo et beatissimo universali Archiepiscopo, et Pathriarchae magnae Romae Leoni:* quibus verbis saepissime actione tertia ipsius Concilii appellatur ipse Leo, nemine Patrum reclamante. Quod non ignorans ipse Calvinus, malitia adactus potius negare ausus est, et asseruit insuper nomen Episcopi Oecumenici uti profanum, sacrilegum, et Antichristi praenuncium a Magno ipso Gregorio damnatum. Sed Proh Deus! quae insanissima mendacia obvia cuique, ex ratione ipsa damnationis, quam ibi (2) Gregorius idem affert, innuens Romano Pontifici nomen Oecumenici Episcopi non convenire ita ut ipse solus Episcopus sit, caeteri vero ejus Vicarii; proprium tamen ejus esse, uti curam habentis totius ecclesiae: quinimmo ipse idem fatetur, et docet (3) tributum illud a Chalcedonensi Concilio, et subdit, quod ipsi, Pontifices ecclesiae universalis se appellaverint (a). Qui deinc, adrogante

---

male usi fuerunt, ut scilicet ab eo evellerent Pontificatum; non raro tamen a Patribus et Conciliis usurpato ut fundamentum et causa necessaria primatus; nec enim alia ratione est Pontifex Romanus Episcopus, nisi quia Romanus Episcopus est.

(a) Romanus Pontifex pro munere suo recte pluribus distinguitur nominibus, quibus successor Petri profitetur. Quindecim enumerat Bellarminus nomina illi convenientia, unde aliud colligit argumentum ejus Praefecturae universalis. Horum praecipua sunt Episcopus; Patriarcha universalis ex laudato concilio Chalced. Episcopus Episcoporum (*), Pater Patrum (**),

(1) *Act. II. et III.*

(2) *Epist.* 34. *ad Const.*

(3) *Epist.* 32.

(*) *Tertull. lib. de pudicit.*

(**) *D. Athanas. epist. ad Liber.*

sibi Patriarca CPolitano impudentur eundem titulum, ut christianam opponeret animi sui dimissionem, hac occasione vocabulo *Servus Servorum Dei* usus fuit (1), ast sine jactura primati. Hanc formulam successores illius adhibuerunt usque adhuc.

Non majori rationis gravitate, sed insigniori animi fatuitate occlamat etiam Pfaffius Abbas Lutheranus contra successionem etiam personalem Pontificum, eo quod canonicam illam non dicit, sive quia res jam ad Reges, ait, Principes, Patronos laicos quos vetus

---

Pontifex Summus, vel Maximus (*), Vicarius Christi (**), Apostolicae Sedis Praesul, quia principatum ejusdem Sedis tenet, Papa beatissimus (***).

Papa a graeco *pappas* ductum, latine Pater, olim Episcopis etiam, atque Sacerdotibus tributum, sed Romano Pontifici speciatim ex Isaia conveniens (****), adhaerere ei per antonomasiam sine adjectivo primum secul. V. consuevit (*****): deinde canonica sanctione reservatum a Synodo Romano fuit sub Greg. VII. ann. 1073. ubi cautum ne quis alius praeterquam Rom. Pontifex Papae vocabulo appellaretur.

Addere his juvat, quod Rom. Pontifices proprium nomen mutare consueverunt exemplo Petri, mutant enim statum; forsan inducto primum more ab Octaviano Filio Patricii Alberici Pontificatum adepto ann. aetatis suae XVIII. et assumpto nomine Joann. XII., non a Sergio II. qui Pontificatum egit ab ann. 844. et eodem Sergii nomine vocabatur, non illo, quod falso aliqui ponunt scilicet *Os porci*, vetustioribus historicis testibus; turpitudinis ergo causa vitandae, mutationis non illius dedit initium, uti somniarunt.

(1) *Joann. Diacon. in ejus vita lib.* 4. *c.* 58.

(*) *Iren. lib. I. c. 4. Dialog. S. Bernard. in omnib. ep. ad Rom. Pontif. S. Hyeron. in praefat. Evang. ad Damas. aliique.*

(**) *Concil. Lugd. in 6. tit. de elect. c. Ubi periculum. S. Bern. l. 2. de consid.*

(***) *S. Hyeron. ad August. epist. 9. lib. 1.*

(****) *Cap. 22. 20. ad 24.*

(*****) *Thomass. p. 1. l. 1. cap. 50. n. 14.*

ecclesia ignoravit, ad Canonicos, Capitulares, ad Cardinales temporibus illis non existentes devoluta fuit; sive quod ordinationes ob schismatum, queis Sedes Patriarchales turbatae fuere, multitudinem, incertae, imo irritae redditae sunt. Ast inanis argumentatio, ut pessimum ejus judicium sequi quis possit; ex veteri enim disciplina patet electum a plebe propositum, a clero acceptum, in Provinciae Synodo per Metropolitam consecrari. Tum ad plebem coercendam acciti Proceres, ac Magistratus, et in cleri partes canonici suffecti. Tamdem jure novo factum, ut intermissis Synodis Provincialibus electio plerumque ad Principes, confirmatio, et consecratio nonnisi ad Pontifices pertineret, sicut jam antea dictum fuit. Ex modo ergo eligendi, nunquam electionis natura mutata, argumentari non potest quod canonica non sit successio Pontificum; sicut etiam certe nec ex multitudine ordinationum schismaticarum colligitur. Esto enim ordinationes Sedium Patriarchalium schismaticarum dubiae, incertae, irritae, si catholico ritu non fuerunt institutae, Sedes Romana medius fidius haeretica, aut schismatica nunquam extitit, vel extitura est; propterea ordinationes in ipsa et legitimae, et validae sint oportet. Quod quidem satis est, ut Pontificum successionem utpote numquam schismaticam, numquam interruptam dicamus.

Atqui hic sapientia veterum Patrum, qui particularium Pastorum continuatam successionem describentes (a) de Romana magis, ac de qualibet alia, se

(a) Joann. Pearsonius secul. XVII. Episcopus Castriensis Anglicanae religionis postquam ostendit (*) priorum seculorum Pa-

(*) *Dissert. de serie et success. primor. Romae episcop. c. III.*

sollicitos praebuere. Hinc nec Irenaeus Episcopos Lugdunenses; nec Eusebius Caesarenses; nec Optatus Milevitanos Episcopos; nec Augustinus Hipponenses; nec alii suos praedecessores enumerant. Sed potius omnes tabulam adlaborarunt Romanos recensentes Pontifices, ut ab una principali ecclesia, ubi successione legitima sedet adhuc Petrus, contra haereticos argumentari possit. Nostra refert hanc tabulam in fine quarti volumini dare nostrorum lectorum commodo.

CAPUT SECUNDUM

DE JURISDICTIONE ROMANI PONTIFICIS IN GENERE.

Contra supremam potestatem Rom. Pontificum Petri successorum, litem captionibus redintegrant Sanctae Sedis hostes, facta distinctione, toti antiquitati incognita, inter praerogativas jurisdictionis, quas alias essentiales dicunt, accidentales alias; eo quod istas a nexu primatus minime ajunt pendere, et aut ope Isidorianae mercis, aut aperte contra jura Episcoporum usurparunt ipsi Rom. Pontifices (a). Distin-

---

tres ab Episcoporum successione recte argumentari consuevisse contra haerericos; demonstrat adhuc (*) quod haeretici ipsi successionem venditantes (sub. secul. II. initium) traditionis Apostolicae, successorum in ecclesiis praesertim Apostolicis tabulas conficerent.

(a) Marcus Antonius de Dominis, Launojus, Richerius primi hanc distinctionem invexerunt, quam Febronius ab illis exscripsit. Nec nisi ob id historiographi, tristi experientia testantur nonnullos eo devenisse, ut plenam Episcoporum independentiam

(*) *Cit. Dissert. c. V.*

ctionem hanc commentitiam, atque arbitrariam conclusione sequenti nostra refert demonstrare. Sit itaque

CONCLUSIO PRIMA

Suprema potestas Romani Pontificis suaque natura universalis, et immediata demonstratur, vindicaturque.

Fundamentum Ecclesiae positus Petrus fuit a Christo, qui dixit ei *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam* (1): super illum ideo non solum lapides, vel muri nonnulli; sed aedificium totum superstructum intelligitur. Nimirum sub jurisdictione immediata, et universali ejus, cui *Pasce*, subdidit ipse Christus, *oves meas* (2): revera ovis Christi non est, quae non pascitur ab eo, qui proinde claves regni caelorum habuit, ut omnes regni partes, idest tota Ecclesia esset sub jurisdictione ejus; et quem indefinite alloquutus fuit consequenter idem Christus *Confirma fratres tuos* (3). Vel ergo inficias ibunt adversarii, Petri universalem et immediatam potestatem in ecclesiam, jure divino ejus propriam contra scripturae verba, vel successorum ejus etiam propriam confiteantur oportet.

Num ecclesia, jurisdictione illa, cui fundatur, a

---

proclamarint, sicque praeeminentiam primatus denegantes, non semel vafris consiliis excitaverint Episcopos de excutiendo Rom. Pontificis jugo, atque de statuenda quadam stabili Synodo permanente, quae universam representet ecclesiam sub Caesarum auspiciis.

(1) *Luc.* 22. 32.
(2) *Joann.* 21.
(3) *Luc.* 22.

qua pascitur atque regitur, ac confirmatur, adhuc non indiget? Imo et multo magis; cum majores sane ei immineant impetus a portis inferorum; plures habeat infestos lupos, et cum multum increverint, fervore diminuto, citius filii ejus abigi in devia, atque dispergi possunt, illa eadem jurisdictione cessante.

Momentosas has, aliasque rationes, quas ne longius abire videamur, legere est apud DD. praesertim citatos, evertere conantur, sed inepte Sanctae Sedis hostes. Et quod maxime omnium dolet, etiam aliqui Gallicani DD. Joannem Gersonem sequuti, illas parvipendentes (a) Summo Pontifici negant immediatam in unaquaque dioecesi jurisdictionem. Etenim tamquam alter Apollo ex tripode docent, hujusmodi jurisdictionem jura Episcoporum offendere, ac proinde usurpatam a Romanis Pontificibus. Ast ubinam ex verbo scripto, vel tradito aliquid contra illam invenerint, nec dicunt, nec dicere unquam habent. In malae caussae patrocinium hèic usurpant sacrarum litterarum testimonia: *Sicut misit me Pater* (1), *et ego mitto vos* (2): *Spiritus Sanctus posuit Episcopos re-*

(a) Gerson alias clarissimus asserit « plenitudo potestatis ecclesiasticae non potest esse de lege ordinaria, nisi in S. Pontifice. Nec tamen plenitudo potestatis sic intelligenda est immediate super omnes christianos, quod pro libito possit jurisdictionem in omnes per se, vel alios extraordinarios exercere. Sic enim praejudicaret Ordinariis, qui jus habent immediatum, imo immediatissimum super plebes ei commissas actus hierarchicos exercendi: extenditur igitur plenitudo potestatis Papae super omnes inferiores, solum dum subest necessitas ex defectu inferiorum, vel dum apparet evidens utilitas ecclesiae. » Inde ejus asseclae concludunt non posse praeter necessitatem a S. Pontifice deputari Sacerdotes ad confessiones audiendas, vel ad alia munia in dioecesibus, quo nihil absurdius.

(1) *Joann.* 20. 21. (2) *Act.* 20. 28.

gere ecclesiam Dei. Quaecumque ligaveritis super terram erunt ligata et in coelis (1): *Superaedificati* fideles dicuntur *super fundamentum Apostolorum et Prophetarum* (2). Haec et nos fideliter recipimus; sed si finis, si natura potestatis ex his Episcopis tributae perpendatur, quin opposita videantur immediatae, et universali Pontificis potestati, hanc potius et probant, confirmantque.

Et revera num Episcopi ad regendam plebem suam misit Christus, et infallibilitatis donum dedit unicuique illorum ad dirimendas controversias fidei, et morum, quin opus haberent subjici Papae? imo potestas eorum, quia bono unitatis ecclesiae concessa fuit, subjectam fecit Summo Capiti ejus Pontifici. *Omnis animal potestatibus sublimioribus subdita sit*, ait Paulus (3) *non enim potestas nisi a Deo, et quae a Deo sunt, ordinata sunt*. Quae ergo potestas Episcoporum ordinata, nisi subjecta simul foret Supremo Capiti, et Pastori? Facultas ligandi, et solvendi, quae ex clavibus pendet regni caelorum Petro primum datis, etsi Apostolis tributa, illius primatui nocere non potest. Ipsaeque claves quatenus maxime respiciunt potestatem publicam, et rectoriam quoniam *datae sunt uni, et unitati*, neque propterea dispar, aut duplex subjectum clavium concipi debet, quia unus non excludit unitatem, imo hanc attrahit: et unitas (Episcoporum) includit unum (Summum Pastorem). Soli Petro autem commissae sunt oves pascendae, sicut et agni; atque ovium nomine Episcopos designari nullum latet.

(1) *Matth.* 18. 19.
(2) *Ephes.* 11. 20.
(3) *Rom. epist. II. c.* 2.

Fundamentum ecclesiae posuit Apostolos Christus; salvo primatu Petri, super quem aedificium totum superaedificatur. Nec tamen ideo uti et Apostolorum, ita et Episcoporum jurisdictio esse colligitur. Inter illos enim distinguenda ratio muneris Apostolatus cum extraordinariis juribus conjuncta, puta: quaquaversus praedicare, Episcopos constituere etc. et ratio episcopalis, cui tantum successerunt Episcopi (a). Juvat hic audire Bernardum, etsi jam alibi citatum, qui ad Eugenium III. ajebat (1) *Sunt quidem janitores coeli, et gregum pastores. . . . Habent illi assignatos greges singuli singulos. Tibi universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed et pastorum, tu unus omnium Pastor . . . Cui non assignavit aliquos, sed assignavit omnes.* Demum Bossuetus, cujus verba non esse debent illis acerba, ita se habet (2) « Petro imperatum est, ut cuncta gubernaret, » pasceret omnes agnos, et oves, filios, et matres; et ipsos quoque pastores; pastores inquam, si populi respiciantur, oves si Petro comparentur. Quid Episcopi » prius, quid immediatius, quid propius acceperunt? » Quid potestati supremae, et universali Papae derogat, » et officit officium episcopale, ut proxime invigilent » Episcopi portioni gregis, eamque pascant? non» ne potestas Episcoporum non ordinaria, non im-

---

(a) Mochemius ipse inter alios hanc distinctionem agnovit (*) » Duo, inquit, munera in Apostolis sunt distinguenda, mu» nus doctoris, et munus legati extraordinarii, summa cum po» testate divinitus missi. Illud quidem munus derivatum est, » non item hoc. »

(1) *Lib.* 2. *De consid. c.* 8.

(2) *Serm de unitate.*

(*) *Histor. Christi sect.* 1. *p.* 2.

» mediata, quia concurrit cum potestate inferiorum » puta, Episcoporum? Officium ad exercitium curae » pastoralis propius refertur; potestas ad habitum, » ad originem, ad imperium sacrum. Quanto ergo » magis de Papa? cui Christus primatum tribuens » haudquaquam addidit, si consenserint ii, qui ligati » sunt: si pastores subordinati voluerint, vel simi- » liter judicaverint.

Accedit denique ipsa professio fidei ex mente Concilii Tridentini a Pio Papa IV. edita, quae argumentum comprobat. *Sanctam, catholicam, et apostolicam ecclesiam Romanam omnium ecclesiarum matrem, et magistram agnosco, Romanoque Pontifici B. Petri Apostolorum Principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, et juro.* Necessitas quidem obediendi omnium fidelium, et obligatio, non respondet, nisi universali, et immediatae jurisdictioni (a).

(a) Nec obstat quod idem Concilium vetat (*) extraneo Episcopo in negotia aliarum diocesum se ingerere, pontificalia exercere; respondit enim Pius VI. in ampliss. resp. ad Metropolit. (**) « Nonnisi per summam injuriam dici *extraneus* potest is, quem « Sedes Apostolica delegavit, quique ejus vices obit, utpote » quae super omnes Episcoporum catholicorum dioeceses habet » jus ordinariae potestatis ». Et addit (***) « Constitutio Tridentini clara est quoad Episcopos omnes, ita ut nequeat alter Pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi impetrata prius ab » ordinario venia. Sed constitutio hujusmodi ad solos coercita » Episcopos, nihil commune habet cum Pontifice, et Pontificis legatis, qui illius vices funguntur. Ad Pontificem enim quod attinet, nulla dioecesis est *aliena*. Sicut autem liceret Pontifici » quocumque loco accedere sine venia ordinarii, pro lubitu pon-

(*) *Trid. sess. VI. c. V. de reform.*
(**) *C. VII. n.* 49.
(***) *Ibid. c. IX.* §. 24.

Dein fideles dicit Paulus superaedificatos super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum, idest super doctrinam Apostolorum et Prophetarum: alioquin etiam Prophetis jurisdictionem tributam asserendum esset, quod nullus ne excogitare quidem potest.

Altera quam ineunt viam adversarii, ut arbitrariam eorum distinctionem praerogativarum Pontificis vendítent, et aliquas eorum accidentales deblaterent, est Isidoriana collectio, e cujus putidis mercibus potius acquisitas ajunt illas, quam jure divinò. Quoniam vero de collectione eadem jam superiori volumine satis, et abunde dictum fuit (a); juvat exscribere hic tantum Ballerinii verba (1) quibus illae redintegrantur, obfirmanturque, et omnis iniquitas oppilabit os suum.

« Non pauci, de pseudo Isidoro severius conquc-
» runtur, perinde ac si ejus imposturis disciplina ve-
» tus abolita, et nova fuerit introducta . . . . : .
» perturbata Episcoporum, et provincialium conci-
» liorum jura, sublatae judiciorum leges, aliaque
» rei ecclesiasticae damna illata fuerint. Haec au-
» tem novae, et immutatae disciplinae reprehensio
» quam minus aequa sit quisque facile intelliget, si
» duo animadvertat, nimirum pleraque pseudoepi-
» stolarum Isidori excerpta esse ex sententiis SS. Pa-

» tificalia exercere, ita eodem decorari possunt apostolici nuncii » etc. » Hinc perperam contra historiae fidem negat Febronius Pontificem exercere posse pontificalia ubique terrarum in signum suae potestatis universalis, et immediatae. Et revera seculo VI. Papa Joann. I. Dominica Resurrectionis in Ecclesia CPolitana solemniter latino ritu sacris operatus fuit, locum ei cedente Epiphanio Imperatoriae urbis Patriarcha.

(a) Lib. 2. concl. V. c. II. volum. I.

(1) *De collect. Isid. opp. S. Leon. Magni t. 3. de ant. Collect. can.*

» trum, et veris costitutionibus Romanum Pontificum post Siricium, ex conciliorum canonibus, ac » ex romanis legibus, quae sane novi juris, novaequae disciplinae non sunt: cetera vero eam disciplinam exhibere plerumque, quae vel jamdiu inoleverat, vel jam antea aliquando induci ceperat. » Impostura autem in eo sita est, quod pseudo Isidorus eas sententias iis auctoribus adposuerit, quorum non sunt, sed posterioris, qui disciplinam antiquioribus Pontificibus affixerit, quasi prioris seculi ecclesiae aeque viguisset: » Dein alibi idem Ballerinius hujus collectionis propositum haud fuisse Sedis Apostolicae jura amplificare comprobat; nosque citato superiori volumine nec potuisse demonstravimus. Absolvat hoc argumentum Cardinal Gerdil. (1) qui plane demonstrat longe forsan ampliorem potestatem prioribus seculis exercuisse Rom. Pontifices in ecclesiam universam, quam seculis seqq. ut inde colligi par sit nobis, non ex putidis mercibus Mercatoris, Rom. Pontifices praerogativas ullas usurpasse. Ipse Bossuet idem comprobat argumentum cum ait (2) « Haec habens, et exercens Apostolica Sedes » tanta antiquitus auctoritate viguit, ut postea fides dixerim imminuta magis, quam aucta esse videatur . . . . . Quis autem Pontifex posteriore » aetate, qua nonnullis aucti videntur, tanta auctoritate gessit? » Absurda ergo, et futili, ac ab hostibus S. Sedis inventa, atque contra jura ipsius demonstrata illa distinctione, essentialibus et immediatis

(1) *Esame de' motivi dell' opposizione fatta da M. Vescovo di Noli alla pubblicazione della bolla* Auctorem fidei *app. ed. com. t.* 14. *p* 2. *art.* 13.

(2) *Defens. declarat. in corollario quod illi subtexuit.*

omnibus praerogativis ejus comprobatis; easdem in specie declarare opus est. Sit itaque.

CAPUT TERTIUM

DE PRAEROGATIVIS ROMANI PONTIFICIS IN SPECIE.

Petri successoris Rom. Pontificis, super quem ecclesia una, sancta, catholica, et apostolica aedificata est, patet esse potestatem, ecclesiae unitatis compingendae, ac sanctitatis fovendae, communionis catholicae, et apostolicae servandae, extra quam nemo salvus est; proindeque alias sectas damnandi; nulla pax enim, nulla transactio, dissimulatio nulla erga illas. Ex his quae propriae Pontificis sint praerogativae par erit exponere, ac vindicare.

CONCLUSIO PRIMA

Jus relationum est Sedis Romanae.

Ad hanc (romanam) *ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles*, luculenter ad rem ait Irenaeus (1). Et recte; nam potentior principalitas (primatus jurisdictionis) instituta a Christo fuit, ut una sit ecclesia. Verum quomodo unitatem hanc, conveniendo fideles ad Sedem Romanam, sua potentiori principalitate servare posset,

(1) *Lib. II. adver. haeret. c.* 3.

nisi jus eidem in illos esset petendarum, et accipiendarum relationum?

Hoc jus et ab Apostolis ipsis comprobatum fuisse animadvertit Petrus de Marca, et omnium maxime a Paulo in quaestione de usu judaicarum rituum. Nec alia desunt exempla relationum earumdem ab ipsis primoribus ecclesiae temporibus, uti illud in causa schismatis paulo post mortem Apostolorum in ecclesia Corinthiorum exorti, atque ad Sedem Apostolicam relati. Hinc S. Clemens ait (1) « Jure quaeritur, » cur ecclesia Corinthia ad Rom. confugerit ecclesiam seditionis componendae causa, nisi sit ea superius quoddam magisterium, et eminentiorem auctoritatem agnovisset, per quam dein pax Corinthiis feliciter revocata est. »

Inde munus Episcoporum, nec levis momenti nimirum, relationis faciendae ad limina Apostolorum, de quo restat agere cum de illis erit sermo.

CONCLUSIO SECUNDA

De controversiis fidei et morum judicium ferre jus est Romani Pontificis.

Si difficile, inquit Moyses (2), *atque ambiguum judicium esse perspexeris, inter causam, et causam, lepram, et lepram, et judicium intra portas tuas videris verba variare. Surge, et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad Sacerdotem Levitici generis, et ad judicem, qui fuerit illo*

(1) *Deuter.* 17.

tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, et facies quodcumque dixerint, qui praesunt loco, quem elegerit Deus. Dubia erga religionem exorta ad Summum Pontificem ex lege referenda erant, cujus erat sententiam pronuntiare; judici politico exequutionem demandare, quod sequentibus ejusdem Moysis explicatur verbis: *Qui autem superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex sententia judicis morietur.*

Hoc et ex Evangelio colligitur magis: Simoni Joannis, *Pasce oves meas*, dixit Christus (1). *Oves* sunt fideles; ergo ad unum usque pascendi cum sint a Petri successoribus, horum certe erit munus discernere illis bona pasqua a malis. Ipse Hieronymus inde in quaestione trium hypostaseon, nec sibi fidens, nec orientalium Episcoporum sententiae, ad Damasum Papam sic scribit: *A pastore praesidium ovis flagit. Discerne si placet, non timebo tres hypostases dicere, si jubebis.* Huic consonant et alii Patres.

Esto tamen et Papae negetur jus controversias fidei definiendi, ecquis erit, dicant nostri adversarii, ad quem spectabit illud? Non ipsam scripturam, quae propria interpetratione non fit, non principes seculares, non privatos homines nec alium certe demonstrare possunt, nisi solum Papam. Huic enim infallibilitas tantum convenit, necessaria in exercitio sui primatis, uti demonstratum fuit superiori volumine (2). Et revera quorsum ei attribuisset illum Christus, nisi judicii potestatem in rebus fidei dedisset? Dicent for-

(1) *Joann.* 21. 17.
(2) *Cap. VI. concl. III.*

san est Concilium generale! sed judicium hujus de controversiis religionis tum firmum, et ratum est, cum Summi Pontificis confirmatio accessit, hinc ejus est semper ultimum judicium (a).

Episcopi tamen, ne desint saluti gregis, in quo positi a Spiritu Sancto sunt, proscribent errores, qui vel antea ab ecclesia damnati sunt, vel apertam haeresim sapiant; in defensores eorumdem, canonicis animadvertant poenis: in gliscentes vero de novo inquirant, omnique vi novitati doctrinae, ac perturbationi gregis obsistant: sed ad centrum unitatis referant oportet, quae ambigua, ac majoris disceptationis videntur, et a judicio illius et ipsi dependant opus est, sanctorum Episcoporum, atque DD. sequentes exemplum, inter quos S. Petrus Chrisologus Ravennatis Episcopus scribens ad Eutychen praesbyterum ann. 449 ait (1): *In omnibus hortamur te, frater honorabilis, ut his, qui a beatissimo Papa Romanae Civitatis scripta sunt, obedienter attendas: quoniam beatus Petrus, qui in propria sede eo vivit, et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei, extra consensum Romanae Civitatis Episcopi causas fidei audire non possumus.*

Hinc Benedictus XIV. laudans, et explicans Fagnani monitionem de Episcopis, dixit (2) *ne in rebus dubiis, et de jure controversis facile definitiones fiant, praesertim ubi grave aliquod praejudicium parari potest, velut in materia Sacramentorum eno-*

(a) Vide quae diximus citata concl. qua, posita etiam Concilii generalis infallibilitate, necessitatem judicii Papae demonstratur.

(1) *Inter epist. S. Leonis M. n.* 25.

(2) *Lib. VII. de Synod. Dioecesan.*

danda, aut in explicandis casibus usurarum, et aliorum vitiorum, quibus timoratae conscientiae irritari possunt.

CONCLUSIO TERTIA

Disciplinae leges jure condit Papa, omnesque ligant ecclesias (a).

Christus minutim non omnia praecepit, et praesertim quae pro temporum, locorum ratione in ecclesia fieri, omitti, praecipi, et vetari debent: sed illa, uti D. Thom. docuit (1), per se tamquam legislator praecepit, quae necessitate medii, vel praecepti ad salutem assequendam aeternam necessaria sunt; quaeque sub nomine veniunt juris Divini; reliqua sui Vicarii arbitrio definienda commisit, tum ut suaviter, et modo hominibus congruo ordinarentur, tum quia non poterant omnia singillatim ita statui, ut essent immutabilia. Papae ergo potestatis legislativae est et disciplinam condere (b) (2). Hoc et jure publico constat. Quid sane de summo imperio, si et potestas ei deesset modum definiendi, quo exerceri illud possit? Si inter ea, quae sunt ad propositum finem status sui, jus non haberet determinandi media, disciplinam scilicet statuendi? (c).

(a) Vide quae de sacrarum legum objectis dictum fuit anteced. volumine lib. I. c. I. concl. III.

(b) Enodatum, ac vindicatum hoc argumentum jam fuit superiori volum., cui remittimus lectorem; ubi quae leges disciplinae ab Episcopis condi possunt, distinguuntur.

(c) Regulae, quae certi cujusdam status rationem, et vitae prc-

(1) 1. 2 *q.* 108. *a.* 1. *et* 2.

(2) *Concl. IV. V. c.* 5.

Res majori non indiget lumine (a); pseudo politici solum nescio quam reformationem plenis buccis praedicantes multa, et ecclesiastica disciplina corrigenda asserunt. Nec mirum, hi enim sunt, qui etiam domesticam disciplinam oderunt, politiam omnem, magistratus ordinationes, imperantis leges detorquent, reprehenduntque. Sed forsan a Christo datum eis fuit ut abusus censerent clericorum? ut illos rejicerent, qui illud nomen dedecore afficiunt? (b). Num vitia negligen-

---

prium accomodant ordinem actionum et negotiorum distributionem, dicuntur disciplina. Haec autem juxta varios status distinguitur, nimirum, disciplina domestica, ecclesiastica, clericalis, monastica, militaris etc. Ecclesiasticae disciplinae plura sunt capita, quae constringi videntur in his: 1.° Exercitia religionis, et quatenus auctoritate et concessione publica potestatis ecclesiasticae peraguntur magna ex parte, puta, formulae publicarum praecum, ornatus, et forma templorum, altarium, vestium, etc. festa, vigiliae, modi colendi sanctos, ipsorum sacramentorum multi ritus, poenitentia occulta, vel publica, casuum reservationes, matrimonii impedimenta etc.: 2.° politia cleri, cui refertur cooptatio in clerum, et sacra ordinatio; tum quae de vita, et honestate clericorum sunt praescripta, irregularitates, privilegia, coelibatus, varia beneficiorum genera, quaeque hierarchiam, et ordinem servant, atque ordinibus religionis accensentur: 3.° regimen ecclesiasticum, sive forma, ac modus, quo sese exerit; alia enim est jurisdictio cleri inferioris, quae forum internum spectat, alia externa, quae Episcopis inhaeret, certisque portionibus cum aliis sive vicariis, sive canonicis etc. communicatur. Insuper Episcoporum variorum gradus, vari et jurisdictionis gradus, variique modi, quibus exercentur. Diversa forma promulgandi leges, et judiciorum: 4.° usus, et administratio bonorum temporalium, cui reduci possunt erectio beneficiorum, unio, et suppressio eorum, limites parochiarum etc.

(a) Quid de objectis decretorum, quae adversantur disciplinae generali, quidque de illis, quae disciplinae alicubi tantum vigenti contradicunt etc. jam cit. Cap. superior. volumin. colligitur; et ex sequenti concl. colligi magis potest.

(b) Ita proxime eos videris adhaerere erroribus Ussii, qui

tiae, delicta personarum ecclesiasticarum, quae obijciunt, titulum illis praebet jura sacra usurpandi? Quinimo ipsi sibi adrogant, ut sacrum imperium potius hoc nomine destruant (a), quod supremum esse ac independens omnibus constat. Et quamvis male sua libertate utatur, nulli secularium praesertim injuriam infert, atque sibi ecclesiae malis occurrere incumbit. Unde Concilium Tridentinum inter alia congregatum fuit (1) *ut ea quae reformatione egent, reformentur.*

Argumentum hoc absolvit propositio damnata a Pio VI. in Bulla *Auctorem fidei*, quam exscripsimus, cum de legislativa sacra potestate egimus (2).

CONCLUSIO QUARTA

Leges humanas abrogare, mutare, atque ab eisdem dispensare potest Papa (b).

Qui leges tulit, ipsum, et successores ejus mutare illas posse, derogare, atque in iis dispensare patet ex

---

pravis moribus docuit et sacram, et politicam amitti potestatem.

(a) Exemplo sit Lutherus pro omnibus, qui abusibus mederi se velle jactitabat, et usum imperii sacri reipsa destruit.

(b) A lege divina, et naturali dispensare non potest Papa: nam 1.° praecepta hujusmodi sunt immutabilia: nec Deus ei dedit hanc potestatem per illa verba *quodcumque solveris super terram*; per haec enim verba generalia non includitur quod submovet cardines, et fundamenta vitae, et honestatis humanae; et ut D. Thom. docet (*) « ad legem divinam ita se habet quili-

(1) *Sess. II. et III.*

(2) *Praec. vol. cap. V. concl. IV.*

(*) 1. 2. *q.* 97. *a* 4.

eo, quod Supremum Caput est; proindeque leges quae disciplinam spectant, et mutat et derogat, ac solvit ab illis (a). Has dispensationes, ipse Bousset ait (1),

» bet homo, sicut persona privata ad legem publicam, cui sub-
» ijcitur; unde sicut in lege humana publica non potest dispen-
» sare nisi ille, a quo lex auctoritatem habet, vel ille, cui ipse
» commiserit; ita in praeceptis juris divini, quae sunt a Deo,
» nullus potest dispensare, nisi Deus, vel is, cui *specialiter* com-
» mitteret. »

Limitatur tamen multis modis, et 1.° Papa potest dispensare in jure naturali, mere permissivo, sicut et alius quilibet Princeps: 2.° in juramentis, et votis (*) nam voluntas humana, et actus imperati ejus, humanae legi subijacent; imo vota, et juramenta, hac tacita conditione, et lege censentur emissa, ut potestati, et dispensationi humanae subjiacent, si id vertat in bonum ecclesiae, vel ad majorem Dei gloriam. Et juxta D. Thomam (**) potest dici Papam non dispensare in voto, vel juramento ita, ut jubeat fieri aliquid contra votum, vel juramentum, sed solum facere, ut id, quod cadebat sub voto, vel juramento sub illo amplius non cadat, et non sit debita materia voti, vel juramenti; vel eo quia sit res simpliciter mala, vel inutilis, vel opposita majori bono: 2.° in quibusdam conclusionibus, quae ex principiis naturalibus non necessario deducuntur, sed dependent ab humana voluntate ex. gr. Furem esse ultimo supplicio afficiendum; in mutuo non reddendo Proditori Patriae (***). Uti D. Thomas advertit: 3.° dispensat quatenus ejus munus est legem divinam, vel naturalem dubiam interpretari: 4.° in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis prout Concil. Trid. definivit (****) et videbimus congruentius in tract. de matrim.

(a) Disciplina ecclesiae per omnia juris sacri capita vagari potest, non exclusis quodammodo, quae juris divini sunt; nam certo modo determinat, et ut certis temporibus, circumstantiis etc. peragantur; ita ut iis, quae sunt immutabilia, et substantialia religionis, semper adhaereat quidpiam mutabile, quod ad disciplinam refertur, et in quo ratio disciplinae maxime est sita.

(1) *Defens. lib. XI. c.* 9. 16.

(*) *Can. juratos* 15. *q.* 6. *et ex toto tit. ex toto de voto.*
(**) 2. 2. *q.* 88. *a.* 10.
(***) 1. 2. *q.* 97. *art.* 4.

nemo catholicus, *nemo veri regiminis sciens*, *aut rerum ecclesiasticarum gnarus abstulerit* (a); et contra Gallicanos aliquot DD. (b), ipsi ecclesiae fasti a primordiis suis comprobant. Sic enim inter alios Melchiades a S. Augustino laudatus (1), Siricius IV. seculo (2), et S. Gregorius, qui ad Felicem Messanensem scripsit, se in gradibus matrimonii prohibitis cum Anglis dispensasse, permisisse vero Siculis ne bis in anno, quemadmodum ecclesiasticae regulae praescribebant, sed ut semel tantum in anno in Synodo convenirent. Praeterea ex ipsa disciplinae natura idem colligitur; nam suapte natura variabilis mutabile quidpiam et accidentarium importat. Unde canones de rebus adiaphoris, qui ad ecclesiae salu-

---

(a) Lege concl. III. cap. I. superioris volumin.

(b) Aliqui inter Gallicanos doctores, quamvis plenitudinem potestatis in Pontifice agnoscant, tamen illius exercitium moderandum asserunt, tum per canones totius mundi reverentia consecratos, si agatur de disciplina generali, tum per regulas, instituta, consuetudines ecclesiarum, si quaestio sit de disciplina particulari. Et concludunt omnia, quae sine justa ratione, aut proportionata, et urgenti necessitate contra regulas praecipiuntur, vel permittuntur, vi carere, et dispensationes sine causa esse irritas. Hinc etsi conveniant, quod mutatis circumstantiis et expetente necessitate nova decreta merito Papam condere posse, illis praeeunte Bossuet qui ait (*). Cum vetusta laudamus, non propterea contendimus immutabilem esse ecclesiae disciplinam . . . . . In jure ecclesiastico Papam nihil non posse cum necessitas postularit (**). Asserunt tamen decretum contra canones ubique receptos non tantum esse illicitum, sed et invalidum.

(1) *Epist.* 53. *ad Glotium et Eleusium.*

(2) *Ep.* 32.

(*) *Defens. lib. XI. c.* 13.

(**) *Ibid. lib. XI. c.* 20.

tem conditi sunt, recte ipsius commodo remitti possunt. Ut autem Papa fidelis, et prudens dispensator Papa sit a Domino constitutus super familiam suam, sine causa hac potestate uti nefas est; ait enim D. Thom. (1) « Si absque ratione (causa) pro sua voluntate licentiam tribuat non erit fidelis in dispensatione, aut » erit imprudens; infidelis quidem, si non habet intentionem ad bonum commune; imprudens autem » si rationem dispensandi ignorat ». Illicitum ergo erit Pontifici, et ex Trid. etiam colligitur (2) absque urgenti necessitate, sine justa causa condere novas leges contra disciplinam communem, aut dispensare in ea; numquam tamen invalide; pendet etenim lex ab ejus voluntate. Illicitum juxta DD. veniali culpa si absit scandalum, aut grave aliorum incommodum. Caeterum in dubio si justa adsit causa, potest etiam licite; exigente suavi regimine ecclesiae, ut inclinet in partem benigniorem, neve anxius numquam dispensare auderet (a).

(a) Causae legitimae dispensandi plures esse possunt: 1.ª est necessitas, vel utilitas (*), 2.ª mutatio temporum, et personarum (**), 3.ª virtus eminens, et habilitas supplicantis (***); 4.ª periculum dissensionum, et publici damni (****), 5.ª scandalum pusillorum, et spes illos lucrandi, ac simplicitas delinquentis (*****), 6.ª multitudo delinquentium (******). Temporum, hominumve malignitas duriora aspernentium.

Adhaec qui bona fide dispensationem petit propositis rationibus,

(1) 2. 2. *q*. 97. *art*. 4.

(2) *Sess*. 25. *c*. 18. *de reform.*

(*) *Can. etsi illa* 1. *q*. 7. *et cap*. 2. *de translat. Episcop.*
(**) *C*. 12. *dist*. 29.
(***) *Can*. 12. *et* 13. *dist*. 56.
(****) *C. dispensationes* 1. *q*. 7.
(*****) *C. tanta prima q*. 7.
(******) 2. *quoties* 1. *q*. 7.

Porro amplae interpetrationis haec potestas est; utpote favorabilis, nam necessaria est bono communi; nec juri communi repugnat: licet tamen dispensationes ipsae quatenus excedentes jus, ac odiosae, et *vulnera legum* strictae sint interpretationis. Ita Laiman, Suarez, contra Sanchez.

CONCLUSIO QUINTA

Jus appellationum est Romani Pontificis (a).

Appellatio species quaedam est defensionis, atque innocentiae praesidium: jure naturae ergo debetur

---

quarum sufficientiam examinandam relinquit dispensanti; obtenta dispensatione securus est in conscientia quamdiu manifestus non apparet error. Ita DD. Demum si Pontifex committat dispensatio et causa cesset eo tempore, quo executioni mandatur, dummodo subsistat, cum commissarius legis executionem relaxat, potest quis absolute uti dispensatione; facta ex. gr. dispensatione cum aliquo in ordine ad matrimonium contrahendum cum consanguinea propter legitimationem prolis, si ante matrimonium contractum proles moriatur, potest nihilominus contrahi matrimonium, si absolute dispensatum fuit. Verum si impetratae sint literae, quibus Pontifex alicui committit, ut precum veritate inspecta dispensat, non poterit is dispensare, si causa cessavit antequam commissionem suam executus sit; quod si e contra accidit, ut tempore faciendae dispensationis causa subsistat, sed non tempore impetrationis literarum, non potest dispensatio fieri a commissario; nam dispensatio subreptitia habetur; proindeque nulla.

(a) Nilus, Lutherani, Calvinus, Magdeburgenses, ac etiam Graeci, et praecipue Illyricus contra jus appellationum se fecerunt. Eorum argumenta penitus a Bellarmino eversa (*), iterum in scenam reproducunt antipolitici S. Sedis hostes.

(*) *De Rom. Pontif. lib. II. cap. XXII. et seqq.*

cuique societati, et omnium maxime ecclesiae, proindeque objectum Papae potestatis, qui principem tenet in ea locum. Nonne vi primatus prae ceteris convenit eidem invigilare canonum observantiae, et executioni per universam ecclesiam? Certe canonum temeratores coercere, cujuscumque sint generis, ejus est, et quae contra illos gesta sunt in irritum mittere, quod appellationum exequitur jure, essentia sua proinde primati Pontificis innixo.

Hoc et ex facto ipsorum Pontificum primorum etiam saeculorum comprobatur: nam Pio I. Pontifice ann. 142. Marcion excommunicatus ab Episcopo suo in Ponto venit Romam, ut absolveretur a Sede Romana. Ita Epiphanius refert (1). Ann. 252. Cornelio Pontifice, Fortunatus, et Felix in Africa a Cypriano depositi Romam navigaverunt, atque ad Cornelium appellarunt: Testis Cyprianus (2). Nec diu post, Stephano Pontifice, Basilides in Hispania depositus ad illum appellavit. Idem Cyprianus (3). Julio I. Pontifice ann. 350. Athanasius ab Orientalibus depositus ad eum appellavit, a quo restitutus fuit (4). Et ne longius ire videamur, dicam brevius. Chrisostomus ad Innocentium I. appellavit. Flavianus ad eundem; et Gregorius post ann. 500. privat sacra communione Joannem Episcopum graecum, quod judicasset Episcopum Thebanum, qui ad Sedem Apostolicam appellavit (5).

Ante concilium Sardicense erat ergo mos in eccle-

(1) *Haeres*. 42.
(2) *Lib. I. epist*. 3.
(3) *Ibid. epist*. 4.
(4) *Sozomenus* 1. 3. *c*. 7.
(5) *L*. 2. *epist*. 6.

sia ad Pontificem appellandi, ut merito Leo ad episcopos Galliae dicat, *hanc esse antiquissimam consuetudinem* (1). Unde Natalis Alexander scite ait (2) de jure quo agimus: *est appendix primatus S. Petro, ejusque successoribus a Christo collati, non est a Synodo Sardicensi, aut quavis alia institutum.* Turpi ergo mendacio aliquot ex Gallicanis DD. Petro de Marca praeeunte ad ravim usque inclamant ann. 347. et post concilium Sardicense invaluisse, ut ad Pontificem liceret appellare in causis majoribus, in caeteris autem minoribus nonnisi lapsu temporis. Imo et levissime Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum jus esse proprium, non Rom. Pontificis autumant: nam hoc jus et ipsi ecclesiasticum esse negare non audent, proindeque a Papa derivatum recta deducimus; nec Papae contradictorium esse, nisi hostes ejus irrationabiliter effutiunt: cum inde potius etiam immediate ei convenire colligi debet et ita, ut non tantum post tribunalia intermedia; sed et directe ad Pontificem possit quis appellare; et recte; non enim Papae denegatur, quod cuique Summo Imperanti conceditur (a). Confer Bellarm. et Bened. XIV. ann. 1743. const. *Ad militantis* circa appellationes recipiendas.

(a) Hinc 1.° appellare possunt omnes qui Papae sunt subjecti, omnes scilicet qui sunt fideles contra alios fideles a quibus se gravatos vident tum in appellantem, appellatum, et judicem, tum in omnes causas. 2.° Nisi canones ipsa pontificia auctoritate conditi, vel confirmati obstent, appellationes ad Papam immediate vel mediate interponi possunt. 3.° Modus cognoscendi causas appellationis a voluntate, et potestate Papae pendet ex. gr. an per judices in partibus datis, vel coram suo tribunali cognoscere, et definire velit. 4.° Si utraque pars appellet a sen-

(1) *Epist.* 89.

(2) *Histor. eccles. saecul. IV. dissert.* 28. *de jur. appell.*

CONCLUSIO SEXTA

Papae jura reservationum, et exemptionum perpugnantur, vindicanturque (a).

Usum jurisdictionis Episcoporum ipse Christus, qui eam instituit, subjectam Papae esse, ac ab ejusdem missione voluit pendere, concessione nimirum territorii; temperare ergo Papa potest illam pro temporis ratione, et constringere; territorium sicut circumscribit, et

---

tentia sui judicis Episcopi, una tamen ad Archiepiscopum, altera immediate ad Papam; potest Archiepiscopus procedere, si nesciat appellationem ad Papam (*).

Concilium Tridentinum pro exemptionibus inter alia hoc praestat argumentum; nimirum dum concessit Episcopis, prospecturum abusibus exemptionum, non omnes, sed quasdam tantum facultates in loca, et personas exemptas, et non aliter concessit eis, nisi tamquam delegatis Sedis Apostolicae. Et revera cum Episcopus non possit propriam abdicare auctoritatem; a Papa exemptiones concedantur opus est: licet vero primis ecclesiae temporibus plura hujusmodi privilegia ab Episcopis concessa legantur, consuetudo, ratioque ipsa postulant, ut a Pontifice confirmentur.

(a) Reservationis nomine intelligitur jurisdictionis limitatio. Hinc sicut varia sunt genera jurisdictionis, distinctae sunt reservationes. Aliae cadunt in jurisdictione *fori interni*, et limitantur per casus reservatos; aliae in jurisdictione gratiosa, et restringitur per reservationem beneficiorum, et eorum negotiorum, quae olim ab Episcopis agebantur, nunc Sedi Apostolicae reservantur puta, canonizatio Sanctorum etc. aliae demum in jurisdictione contentiosa, quae restringitur circa eos casus, quorum absolutio *in foro externo* judicio Sedis Apostolicae reservantur. Exemptionis vero nomine generatim intelligitur privilegium, quo quis legis communis obligationi subducitur: specialiter, privilegium, quo ecclesia, vel communitas regularis, vel secularis jurisdictioni ordinariae subtrhaitur.

(*) *Cap. si duobus tit.* 28. *de appellat.*

subditos ejus in aliquibus causis recte obstringit. Imo vi successionis in Primatum Petri, sicut hierarchiae formam tribuit, ita et ab initio sibi reservare aliquas causas potuit, quae majores ideo dicuntur.

Praeterea Summo Imperanti quis unquam negavit extra ordinem posse sibi reservare aliquas causas, etsi tribunalia habent, quorum sit judicare de diversis? Rationabile oppido, et conveniens est societati cuique, ut negotia, quae factum ejus interponunt, ab illo agantur, qui ei praesidet. Demum si qua potestas Episcopis jure divino tradita intacta relinquenda erat eis, ea proculdubio est potestas absolvendi a peccatis quibuscumque; nam illimitate a Christo data fuit: et tamen S. Concilium Trid. edixit (1): *Merito Pontifices Maximi pro suprema potestate sibi in ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores, suo potuerunt peculiari judicio reservare*. Sic et Paulus extraordinaria potestate apostolatus illam Episcoporum temperavit prohibendo, ne adversus praesbyteros accusationem recipiant, nisi sub duobus, vel tribus testibus (2). Eccur ergo non poterit Papa reservare? Sed et reipsa reservarunt « Si majores causae inquit Innocentius I. (3) in medium fuerint devolutae ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus et *beata consuetudo* exigit, post judicium episcopale referuntur. » Item praecipitur a Bonifacio VIII. (4) graviores causas statim primo judicio ad Sedem Apostolicam esse referendas, ac multis, ut inquit apud Constantium, parere ostenditur docu-

(1) *Sess. XIV.* 7.
(2) 1. *ad Tim.* 3.
(3) *Epist.* 2. *ad Victric.*
(4) *Epist.* 15.

mentis, maximas ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, Sedem semper consuluisse Romanam, et quoties usus exegit, ejus auxilium postulasse (a).

Ast eandem cantilenam Jansenistarum asseclae insusurrare nec desinunt de usurpatione, deque Isidorianis collectionibus, a quibus usum repetunt juris quod propugnamus; etsi primati essentiale illud confiteantur. Hos tamen, quo majores se jactant ingenio, eo mendaciis illustriores vides ex his, quae de asserta usurpatione, deque Isidorianis collectionibus non semel notavimus. Verum num cui natura convenit aliqua potestas, usus ejus denegari potest, ita ut dicatur impune: Papae suapte natura convenit jus reservationis, usum vero illius habuit ab Isidorianis collectionibus, vel usurpavit? Quinimo dicant opus est: sicut essentiale jus illud est Papae, ita et usus ejus; quod etsi non raro extitit a primis ecclesiae temporibus, frequentissime vero, et non sine ratione, quo tempore ob eversum imperium Romanum, multiplicatis regnis, libertate Episcoporum obstricta, ambitione, simonia, avaritia invectis, sibi majores causas opus habuit reservare Summus Pontifex.

Caeterum idem jus exercuerunt a vetustiori aetate Patriarchae Orientales, qui amplissimum servaverunt

---

(a) Infinitum esset si omnia colligere vellem heic exempla exemptionum, et exceptionum ex decretis RR. Pontificum. Hinc remittimus lectorem ad Thomassin (*) Bianchium (**) et ad Constantium (***).

(*) *V. et N. D. p. 1. l. 3. c. 30. et seqq.*
(**) *Della esteriore disciplina della Chiesa l. 2. c. 2.*
(***) *C. 748. et alibi.*

imperium in sui Exarchatus praesertim monasteria (1) et adhuc servant illud, quod *stauropegii* nomine venit (a). Idem exercuerunt jus Metropolitae, ut ex ecclesiasticis monumentis colligitur (2). Eccur Papam id exercere non posse, dicant nobis Jansenistarum asseclae? Nec denique eis argumentum ex primigenia Episcoporum jurisdictione deductum prodesse poterit: nam et primigeniam opponimus eis atque essentialem jurisdictionem vi primatus, propriam Papae. Utraque oppido primigenia, sed utriusque jure divino propria nimirum, ut altera subsit, praesit altera. Ipse Gersonius pro re nostra advertit (3) « Status praelationis episcopalis habuit in Apostolis, et successoribus, usum vel exercitium suae potestatis sub Papa Petro, et successoribus ejus, tamquam sub habente, vel habentibus plenitudinem fontalem episcopalis auctoritatis. Unde et quoad talia minores praelati, scilicet curati subsunt Episcopis, a quibus usus suae potestatis quandoque limitatur, vel arcetur; et sic a Papa posse fieri circa praelatos majores ex certis rationabilibus causis non est abigendum. »

Absolvit argumentum Concilium Tridentinum (4) quod postquam decrevit: « causae omnes ad forum ecclesiasticum quomodolibet pertinentes, etiamsi beneficia sint, in prima instantia coram Ordinariis

(a) Jus scilicet in eo positum, ut in Monasterii fundatione Patriarca si velit, crucem figat, eoque actu novum monasterium ab Episcopi jurisdictione subtrahat, sibique obnoxium reddit.

(1) *Confer. Thomassin. V. et N. Eccl. disc. p. 1. lib. 1. c.* 9.

(2) *Confer. in Concil. collect. tom.* 2. *statuta Concil. Carthag. ann.* 525. *et Mabillon. Annal. Bened. ad ann.* 525.

(3) *De stat. eccles. cansid.* 3. *de stat. praelat.*

(4) *Sess. XXIV. c.* 20.

» locorum dumtaxat cognoscantur: . . . .
» ab his, addit, excipiantur causae, quae juxta
» canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt
» tractandae, vel quae ex urgenti rationabilique cau-
» sa judicaverit Summus Pontifex per speciale rescri-
ptum signaturae, sanctitatis suae manu propria sub-
scribendum committere, aut avocare.

Consonant huic decreto capitularia Regum Francorum; et ultimo concordato eadem disciplina statuitur: dicitur enim art. XX. *Causae majores spectabunt ad Summum Pontificem.* De his sit concl.

CONCLUSIO SEPTIMA

Causae majores distinguuntur, atque articulatim enodantur.

Multiplicium specierum causae majores censentur 1.° ex magnitudine rei de qua agitur puta, illae quae fidem, moresque spectant, atque disciplinam generalem, 2.° ex difficultate et obscuritate negotii gravioris, quod disceptatur, 3.° ratione, dignitatis personae quam causa afficit, 4.° ob difficultatem exequendae rei justae, vel injustitiae amoliendae puta, si cum potente principe res sit Episcopo. Ex his a pluribus plura singulariter numerantur, quarum praecipuas distinguimus atque enodamus.

ART. I.

Cathedrales ecclesias, sive Episcopales sive Archiepiscopales aut Patriarchales erigere supprimere, unire, easque majori dignitate ornare, aut destituere est Rom. Pontificis.

Plenaria qua pollet potestate, ac universali, hoc jure utitur Romanus Pontifex, et eo vel magis ac Prin-

cipes plura regna, aut duas, provincias in unum redigunt, vel una in plura distinguunt; dividit in plures ecclesias quae una erat, erigitque novam, aut plures in unam redigit, et supprimit alias; nam Christus ipse Papae dedit designare territoria, et dioeceses Episcoporum (a). Hoc jure Pontifices usos esse constat (b) fidelium boni promovendi causa; aut voluntati obsecundantes Principum, obtinendae pacis, et eorum favores promovendi ratione; erexerunt, novas junxeruntque chatedrales antiquas (c). Quod et in hoc Regno exequutum vidimus et postulatione regis Caroli III, ecclesia Terlitii in cathedralem erecta fuit a Benedicto XIV, et ultimo concordato, quo restrictio episcopatuum secretis articulis concordati inter eundem Carolum III, et Benedictum XIV. jam proposita, decreta fuit, et bulla

(a) Hinc recte *expositione principiorum*, cui Episcopi fere omnes subscripserant, constitutio civilis Galliarum an. 1791. reprobata fuit, qua sola auctoritate civili fiebat suppressio antiquorum metropoleon, et plurimarum sedium episcopalium; aliarum vero nova divisio; quorumdam erectio: sentiebant enim absurde ejus decreti conditores jurisdictionem cujusque Episcopi suapte natura esse universalem. Hinc Papa Pius VI. sanctae recordationis brevibus suis illam damnavit.

(b) Ita S. Leo Magnus ad Episcop. Metropol. Arelat. (*) S. Greg. M. ad Episcopum Beneventanum (**) ad Gratiosum (***), ad Januarium (****), qui Miniturensem dioecesim Formiensi, Misenatem Cumanae, Trium Tabernarum Velitranae, S. Anthemianam Nomentanae, Carinensem Resiensi junxit; Phausanianam a Calaritana divulsit. Praeter alios.

(c) Et tamen independenter a potestate civili, atque mutationibus civitatum ac provinciarum; non enim ab ea pendet potestas spiritualis.

(*) *Epist.* 66.
(**) *Epist.* 45. *lib.* 2.
(***) *Epist.* 20. *lib.* 3.
(****) *Lib.* 4. *epist.* 29.

Pii VII. executionem obtinuit. Cujus tabulam in fine et saepe partitionem sequentes civilem provinciarum, hujus libri dabimus (a). Post bullam vero Pii VII. aliquae sedes jam junctae denuo divulsae fuerunt, velut Ortonensis Episcopatus ab Archiep. Anxanensi, Nuceriae Paganorum a Sarnensi et Cavensi Episcopatus . . . . .

An vero expediat fieri, vel non unire cathedralem, vel disjungere, etsi causas innuit Joann. XXII. (1), prudenti arbitrio Pontificis relinquitur; nullo enim jure cogitur (b). Ad effectum tamen devenire fas erit auditis iis, quorum interest ex Innocentii I. decreto (2) quod a Concil. Africano jam cautum erat (c) (3).

(a) Erectio etiam monasterii in abbatiam refertur juri Pontificio ex reservatione, redditus eidem adscripta, ac confirmandi abbates, eisque provisiones concedendi. Item erectio ecclesiae in collegiatam, et dignitatum institutio ipsis DD. Gallicanis docentibus (*).

(b) S. Greg. M. unionem decrevit ecclesiarum ubi pares non fuerint sustentando Episcopo singularum ecclesiarum, vel alicubi plebs defecerit, vel passa sit aliquam desolationem. Terlitii ecclesiam in cathedralem erectam scimus, ut diuturnae et aerumnosae lites cum Episcopo Juvenatii extinguerentur. Hanc causam eandem inter praelatos inferiores, et Episcopos probavit Cardinalis de Luca (**). Verbo: necessitatem, vel utilitatem aliquam gravem esse legitimam causam dicimus.

(c) Monet Rabuffus: quoties unio facta sit ob certam causam ex. gr. desolationis, belli, etc. tunc ea cessante unionem simul cessare.

(1) *Extravag. Salvator.* 5. *de praebend. inter comm. et alibi.*
(2) *Cap.* 1. *ne Sede vacante etc.*
(3) *In can. multis* 51. *c.* 16. *q.* 1

(*) *Durand. de Maillane Dictionn. de D. C. art. Erectious.*
(**) *Discors.* 8. *annot. in Concil. Trid. n.* 5.

ART. II.

Archiepiscopos, et Episcopos creare, iis tantum exceptis quorum electiones particularibus concordatis sive Regibus sive Capitulis conceduntur. Omnes tamen confirmare, sicut et transferre, atqae eosdem punire, ac gradu episcopatus dejicere, et restituere.

Et primo quoad creationem non abs re facit definitionem Tridentini (1) quae statuit veros et legitimos esse Episcopos, qui per auctoritatem Romani Pontificis creati sunt, nam ait « Si quis dixerit Epi» scopos qui auctoritate Romani Pontifici assumun» tur non esse legitimos, et veros Episcopos . . . . » anathema sit (a).

(a) Varia fuit disciplina quoad electionem Episcoporum. Ipse Christus misit duodecim Apostolos in mundum universum. Apostoli vero primum omnium S. Mathiam Judae proditoris elegerunt in prima Syn. Hyerosol. Inde profecti in diversas Regiones, primos cujusque Urbis viros amplexos fidem evangelicam ad episcopale ministerium extulerunt. Prima Synodus Nicaena Episcopis provinciae ad minus tribus in unum congregatis jus tribuit eligendi vacantis in ipsa provincia ecclesiae Episcopum, confirmatione metropolitis reservata, solumque testimonium, et consensum reliquisse populo videtur. Prioribus circiter VIII. seculis, plebs jure gavisa est proponendi, petendi, testandi; clerus vota plebis, petitiones, testimoniaque examinabat; eaque vel probabat, vel improbabat; tum provincialis Synodus ita propositam electionem confirmare, vel rejicere solita erat; demum metropolitano consecratio reservabatur. Seculo IX. et sequentibus *investitura* obtinuit, seu regius adsensus, quo electiones permittebantur, et electi sollemni traditione annuli, et baculi pastoralis, per principes facta, in bonorum ecclesiasticorum possessionem mittebantur. Nondum autem ea accepta, electus consecrari prohibebatur. Sed quum, pecuniae, non meriti habita ratione, neglecta cleri, Sy-

(1) *Sess.* 25. *can.* 8.

De translatione, jus pontificium colligitur etiam ob id, quod relaxentur oportet leges ecclesiasticae, qui-

---

nodique auctoritate, electiones Episcoporum passim fieri coepissent, abolendis *investituris* ita sedulo Pontifices incubuerunt, ut eodemet seculo IX. octava Synodus Oecumenica reprimere studuit recentem invasionem, sanxitque ne quis Principum laicorum, et potentium se Episcoporum electioni ingereret. Gliscentibus autem in dies laicalibus investituris in Oriente Leo IX. Victor. II. Stephanus X. Nicolaus II. Alexander II. S. Gregoribs VII. aliique successores novis conciliorum sanctionibus satagerunt nullus ut auderet clericorum, aut monachorum accipere investituram de manu laici ecclesiae vel beneficii. Seculo vero XII. abolendis investituris reapse consentire Principes orti sunt pactis conventis cum S. Sede, quae inita fuere cum Henrico Imperatore sub Callisto II. in Lateranensi Concilio ann. 1012. His ita composita res fuit, ut non per annulum et baculum, sed per sceptrum illae darentur, liberaeque interea essent Episcoporum consecrationes. Ex eo tum tempore non modo plebs, civitatis proceres, et magistratus, sed reliquus etiam clerus ab Episcoporum electionibus exclusus, unisque illae Cathedralium capitulis permissae. Quippe soli canonici unum cum Episcopo corpus, ecclesiaeque presbyterium repraesentare credebantur. Invectae tum porro pontificiae reservationes; Clemens IV. primus omnium Cathedrales omnes ecclesias, personatus dignitates ac beneficia apud Sedem Apostolicam vacantia, solis Romanis Pontificibus, irrita quacumque secus facta collectione, reservavit. Mox alii deinde reservationes alias constituerunt: demum Paulus II. omnium prorsus sive patriarchalium, sive metropoliticarum, sive episcopalium ecclesiarum electiones Romanae Sedi indiscriminatim vindicavit. Et sane hanc disciplinam omnino congruam primatui Rom. Pontificis, et bono ecclesiae aevi sequioris utilem quis non videt, ita ut a metropolitis non pendeat provisio viduarum ecclesiarum. Qua enim ratione possent isti obsistere, vel ambitiosis postulantium precibus, vel guberniorum jam numero majorum imperiis, vel populorum tumultuantium violentiis? Quot indigni promoverentur! proh Deus! quanta profluerent mala!

Apostolicis interim reservationibus collegia simul canonicorum et christiani principes passim obstiterunt. Quamobrem in concilio Basileensi antiquatae fuerunt, iis tamen exceptis, quibus be-

bus vetitae sunt translationes Episcoporum, et ut vinculum tollatur, quo Episcopus ecclesiae alligatus est.

Usu idem jus comprobatum fuit, et uti inter plurimos a Bonifacio I. et Celestino (1). Ipseque S. Greg. M. a Martino Papa ab una translatus fuit ad aliam ecclesiam (2). His adde capitularia Regum Francorum ex quibus constat ipsos Principes a Pontifice veniam postulasse, ut penes se Episcopos retinere possent.

Confirmationem quod spectat, et consecrationem Episcoporum omnium, eorum etiam qui a Regibus nominantur nostris moribus ad Romanum Pontificem pertinere certum est ex regulis cancellariae, quae Sedi Apostolicae reservat provisiones omnium cathedralium (3). Et licet vi concordatorum electio aut jus nominandi aliis tributum sit, Romani Pontificis semper auctoritate confirmandos electos, sive nominatos cautum est (a).

---

neficiorum apud curiam vacantium collatio Romanae Sedi adserta fuerat. Tandem sequuto tempore varia inter Pontifices, et Principes de hac re icta foedera. In Gallia ex concordato inter Franciscum I. et Leonem X. Rex Episcopos nominabat, et quidem intra sex menses a die vacationis. In Germania pactis conventis inter Fridericum III. et Nicolaum V. electiones Episcoporum capitulis cathedralium restitutae. In Hispania ex concessione Hadriani IV, etiam vi patronatus, jus nominandi ad Episcopos spectat. In Regno Neapolitano ex concordato inter Clementem VIII. et Carolum V. ad XXIV. ecclesias cathedrales, VIII. scilicet archiepiscopales, et XVI. episcopales Rex facultate fruebatur nominandi. Ultimo concordato omnes cathedrales regiae nominis fecit Pius VII.

(a) A seculo XIV. id obtinuisse videtur, quo reservationes

(1) *Apud Constantium et ut narrat Socrates Histor. Ecclesiast. lib.* 1.

(2) *Epist. ejusd.* 79.

(3) *Reg.* 2. *alias* 3.

Addesis quae Pius VI. declaravit de facultate Summi Pontificis, qua Episcopos in omnibus catholicis regionibus instituit, reprobans enim constitutionem civilem cleri Gallicani an. 1791 (a) ait « Haec porro jurisdictio-
» nis conferendae potestas ex nova disciplina a plu-
» ribus seculis jam recepta, a conciliis generalibus,
» et ab ipsis concordatis confirmata, ne ad Metro-
» politanos quidem potest ullo modo attinere, utpote
» quae illuc reversa, unde discesserat, *unice* residet
» penes Apostolicam Sedem ita ut hodie *Romanus*
» *Pontifex ex muneris sui officio Pastores singulis*
» *ecclesiis praeficiat* ut verbis utamur Concilii Tri-
» dentini (1).

Dejicit etiam Pontifex Episcopos e gradu suo: nam qui pascit agnos et oves jure divino, et plectit eos poenis praesertim gravioribus. Hinc S. Victor. sec. II. Asianos Episcopos sacris interdicere minavit quia Judaeorum more ipsa luna 14, pascha celebrabant. S. Cyprianus, qui opinabat juxta rebaptizantes contra Stephanum, nunquam in discrimen vocavit potestatem

---

pontificiae, quae sub Joann. XXII. potissimum vignere, ad Sedem Apostolicam devolutae fuerunt. Tunc enim non solum capitula jura nominandi, sed etiam metropolitani jure confirmandi exciderunt. Et sane abs re erat ut a Papa nominatus a Metropolitano confirmationem acciperet.

(a) Abrepti novitatis amore, populi principibus adulantes, postulaverunt pseudopolitici, ut juxta veterem disciplinam a Metropolitis daretur institutio. Ita constitutio praedicta cleri Gallicani decernebat, reclamantibus tamen cunctis Episcopis et clericis si paucissimos exceperis schismaticos. Illud volens etiam extorquere Napoleo concilium nationale convocavit an. 1811. At quamdiu aliquam libertatis speciem servarunt Patres plerique judicabant incompetens esse idem concilium ad hanc solvendam quaestionem etiam in casu necessitatis; unde solutum fuit concilium.

(1) *Brev.* 13. *apr.* 1791.

ejus, plectere volentis rebaptizantes eosdem. Sic Irenaeus (1) et alii, quorum sensus, ne longus sim, ex Historiographis colligi uniformes possunt. Disciplina vero adhuc vigens ex concilii Trident. decreto habetur (2), etsi pluribus canonibus eadem antea introducta legatur. « Causae, en verba concilii, criminales contra Episcopos, etiam haeresis, quae depositione aut privatione dignae sunt, ab ipso tantum Pontifice Rom. cognoscantur, et terminentur . . . . . . minores criminales causae Episcoporum in concilio tantum provinciali cognoscantur, et terminentur. »

De restitutis in sedibus à Sede Apostolica ex dictis antea de appellationum jure eruitur.

ART. III.

Ordines regularium, eorumque regulas approbare.

Jus, et ratio hujus reservationis quae una ex majoribus causis dicitur ab Innocentio III. in concilio Lateranensi IV. (3) habetur « Ne nimia religionum diversitas confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cetero novam religionem inveniat, sed quicumque ad eam converti voluerit, unam de approbatis assumat » (a). Eadem renovavit, et extendit Greg. X.

(a) Status religiosus hic non comprehendit omnes vivendi modos, quibus divino cultui se offert quis, ac aliquorum consiliorum evangelii observationi: sed stricte sumitur quatenus statum significat completum, et perfectum eorum, qui tria vota emittendo

(1) *Epist. ad Vict.*

(2) *Sess. XXIV. c.* 5.

(3) *Cap. ne nimia, de religios. domib.*

in conc. Lugd. ad novos etiam ordines sive pias congregationes (1) « Districtius prohibemus ne aliquis de cetero novum ordinem aut religionem adinveniat (a) ». Illae etenim quamvis veritatem status religiosi non attingant, ordines tamen appellari solent: nec minor confusio a multiplicatione earum sequi poterat, quam ex multitudine religionum. Ita Suarez (2) contra paucos et subdit, recte in hac prohibitione non eos venire qui quasi privatim, *promissa aut non promissa continentia* in suis hospitiis *vivunt*, ut jure habetur (3). Probantibus ergo Episcopis, instituere alias pias quasi regularium familias virorum, ac virginum licet; maxime ubi agitur de institutione puerorum, aegrorum juvandorum, aliisque beneficentiae operibus, et ubi potius tentamen fit, quam permanens institutio.

ART. IV.

Canonizationem, et beatificationem Sanctorum (b).

Non solum reservatum jus canonizandi Sanctos Sedi Apostolicae, sed et illud beatificandi a pluribus se-

---

castitatis, paupertatis et obedientiae totaliter se Deo consecrant, et tradunt.

(a) Ordinis nomine intelligitur non solum religio completa, et perfecta, sed et quicumque modus pie vivendi, in quo certi servantur ritus, coerimoniae aliquae religiosae, fitque professio vitae communis, eo modo qui per successionem continuari possit, etiamsi non fiant tria praedicta vota substantialia.

(b) Canonizatio, ait Benedictus XIV, est sententia definitiva, qua decernitur aliquem in Sanctorum catalogum esse de-

(1) *Cap. Religionum ; ibid.*

(2) *De statu relig. l. 11. c. 17.*

(3) *Clement. Cum de quibusdam ; de religiosis.*

culis fuit. Ab Alexandro III. cautum sic fuit (1). Etiamsi per aliquem *miracula fierent non liceret vobis, ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanae ecclesiae publice venerari* (a). Hoc decretum insertum jam juri, ablata prorsus fuit Episcopis facultas indulgendi honores beatificationis in suis dioecesibus, aut provinciis (b). Quoad canonizationem enim quae est *sententia definitiva*, sic Benedictus XIV, *qua decernitur aliquem in sanctorum catalogum esse deferendum, et colendum esse in universa ecclesia* numquam potuisse Episcopos, constat, dictam canonizationem peragere (c). Imo ex eodem decreto laudatus Pontifex infert, non posse Episcopum, quando agitur de Servis Dei *nondum Beatificatis* approbare solem-

ferendum, et *colendum esse ab universa ecclesia*. Beatificatione vero non praecipitur cultus, sed permittitur ut quis tamquam Dei Servus colatur, plerumque in aliqua provincia, civitate, familia. Vide quae dicta sunt Tom. I. concl. VII. cap. IV.

(a) Cultu nimirum sollemni, et publico, eo sensu quod fiat nomine ecclesiae ab ejus ministris puta, per celebrationem missae, officiove divino in ejus honorem, per invocationem in Litaniis publicis, per ecclesiarum et altarium sub ejus nomine erectionem, reliquiarum imaginisve in ecclesia expositionem, simul et earumdem delationem in processionibus, quae etiam cum SS. Sacramento fieri possunt cum de canonizatis agitur ex Const. Benedicti XIV. quae incipit *Beatus Andreas*, §. 20.

(b) Utrum nova hoc decreto inducta fuerit prohibitio, an vetus renovata disputant DD. uti Benedictus XIV. advertit (*).

(c) Episcoporum erat cultum publicum martyribus et confessoribus concedere. Imo saepe contingebat Beatificationem qua non praecipitur cultus sed permittitur ut quis tamquam Dei servus colatur plerumque in aliqua provincia, civitate, familia, ab Episcopis primo factam, sive per Pontificis approbationem, sive per ecclesiae consensum vim canonizationis obtinere.

(1) *Cap. Audivimus*, 1. *de Reliquiis Sanctorum.*

(*) *De Beatific. et Canoniz. lib.* 1. *c.* X.

niter, publicare et populo proponere eorundem miracula et revelationes, reliquias solemni judicio recognoscere, quia statim ac id fieret, populus qui novit miracula approbata esse signum sanctitatis, induceretur ad eos colendos (1) (a).

Episcopis tamen non prohibetur, imo expedit eos instruere processum super sanctitate, martyrio, miraculis signis alicujus Servi Dei non beatificati, adhibitis cautionibus a conc. Trident. praescriptis, testes audiendo, inquirendo etc. modo ista non publicent. Verum ex Urbano VIII. vetitum est 1.° ne pingerentur cum laureolis scilicet circulo circa caput sive *diademate*, radiis, aut splendoribus imagines Servorum Dei, non adhuc Beatificatione donatorum, et ne in locis quidem privatis depictas retineri, 2.° ne libri typis darentur de virtutibus, martyrio, revelationibus, atque miraculis eorumdem, sine recognitione, atque approbatione ordinarii et sine addita auctoris potestatione qua declaret, se nolle cultum, aut venerationem aliquam ulli arrogare, famam, et opinionem sanctitatis aut martyrii inducere vel augere, nullumve gradum facere ad futuram alicujus Beatificationem, vel Canonizationem etc. 3.° ne ad sepulchrum Servorum Dei suspendantur tabellae imaginesve votivae, quae in loco ecclesiae secreto, conservari permittuntur, ne lumina vel lampades ad eorum sepulcra accendantur (b).

(a) Aliquando Sedes Apostolica plura toleravit: praesertim cum antiquitas, vel tolerantia intercesserat ordinariorum, licet ad cultum publicum viderentur referri: simplicitate tamen diminuta populorum auctaque malitia, ne periculum deceptionis fieret illa prohibuit nisi permitterentur.

(b) His proibitionibus casus exceptus ab Urbano VIII. appo-

(1) *Cit. loc.*

Confer Benedictum XIV. de Beatificatione Serv. Dei lib. II. ubi plura dubia dissolvuntur circa easdem materias.

ART. V.

Breviarium et Missale Rom. corrigere et mutare.

Olim Episcopo cuique jus erat liturgiam suae dioecesis peculiarem efformandi, quae tamen a catholica non difformaret doctrina. Exinde diversitas formularum, et precum, et hymnorum prodiit, quae in liturgiis occurrit SS. Basilii, Chrisostomi, et Ambrosii a Romana distinctis, de quibus vero agit Cardinalis Bona (1) Bingham. (2) (caute tamen legendus) et alii seculis posterioribus. Ecclesiae singularum provinciarum ordinem, et formam liturgiae Metropoliticae adhibuerunt more spontaneo, deinde legibus synodicis, ut citatus Binghamus advertit. Tandem hinc abusus episcopalium variationum, utilitas concordium precum hinc, in causa fuere, cur Ecclesiae Rom. aliarum omnium parentis et magistrae ordinem in divinis officiis, et sacris peragendis receptum S. Pius V. ab omnibus servari voluerit (3) (a).

---

situs fuit, qui declaravit se non « praejudicare iis qui aut per » communem ecclesiae consensum, vel per immemorabilem temporis cursum, aut per Patrum virorumque Sanctorum scripta, vel de longissimis temporis scientia, atque tolerantia Sedis Apostolicae vel ordinariorum coluntur ».

(a) Facile est quot abusus ex Breviarii, et Missalis variationibus orerentur in Gallia prospicere, ubi quot pene sunt dioe-

(1) *Rerum liturg. l.* 1. *c.* 7.

(2) *Orig. eccl.*

(3) *Const. Quo primum* 147.

Non sinit brevitatis amor, quantus animus est, in has causas majores vagari, et in alias praerogativas S. Sedis. Attamen si aliae sint, eas vel in propriis indicabimus locis, vel jam enodatae fuere. In particularibus negotiis vero disserendo, praecipuas regulas ad quorum normam tractari debent, exponemus, si adhuc declaratas fas non erit reperire. Pro coronide hic loco appendicis tantum, aliqua notabimus de principatu temporali Rom. Pontificis.

APPENDIX

De temporali imperio quo praestat Papa ut princeps secularis.

Quorum tempore ac jure, qui, et a quibus adepti sint Romani Pontifices temporalem ditionem, longissima tot seculorum possessione firmatam in urbe Roma, totoque statu ecclesiastico, seu nonnullis Italiae provinciis et regionibus occidentalibus, nostrum non est hic disserere, cum plurimi sint DD. qui de ea scite disseruerint, et omnium maxime Bellarminus (1) et Muzzarelli (2). Ast par erit sedulo attendere, quae notabimus de hac re nimirum. 1.° Papam non po-

---

ceses tot sunt liturgiae. Hac de re legendus est Cl. Ab. Gueranger in opere nuper edito: *Institutions Liturgiques*, ubi nimis acriter forsitan eis redarguit. Hinc factum est quod plures Episcopi Galliarum postremis hisce temporibus ad ritus S. Ecclesiae Romanae redierint, plaudente Summo Pontifice Gregorio XVI. feliciter regnante in suo brevi ad Archiepiscopum Remensem Thomam Gousset die 6 augusti ann. 1842.

(1) *Lib. V. potest. Pontif. temp.*

(2) *Buon uso della logica.*

tiri dominio temporali in totum Orbem (a). 2.° Papam habere summam temporalem potestatem saltem indirectam (b). 3.° Non pugnare cum Verbo Dei quod unus homo sit princeps ecclesiasticus, et politicus simul (c). 4.° Quod jure habeat Summus Pontifex eum

(a) Hoc contra Alvarum Pelagium Hostiensem, et alios qui docuerunt aliter.

(b) Nimirum Pontifex ut talis etsi non habeat ullam mere temporalem potestatem, tamen habere illam, et summam in ordine ad bonum spirituale, et tamquam medium ad finem obtinendum, cui enim ad finem data auctoritas, et ad media, quae ad eundem finem attingunt, detur oportet. Deus in necessariis non deest.

(c) Contra haereticos praesertim Calvinum qui asserunt possessionem S. Sedis esse latrocinio occupatam. Hoc tamen blasphemant contra exempla Sanctorum quae in Sacris Scripturis inveniuntur comprobata, contra rationem, demum contra experientiam, quippe hac ratione tum sibi ad obeundas sacri muneris functiones major, faciliorque libertas comprobata est, tum aliorum infirmitatem sustinendam, tum quia minor inde suspicandi occasio offertur, Rom. scilicet Pontificem, neque metu, neque gratia sui principis temporalis, ad fidei controversias dirimendas, aut ad ecclesiasticas edendas constitutiones, fortasse accedere: quae certo suspicio in plures litterarias societates, praesertim in Senatum ipsum Sorbonicum cadebat, quum tum potissimum sententiam suam rogaret de validitate matrimonii Henrici VIII. Anglorum regis cum Catharina Aragonia. Hinc adposite Fleuryus (*): « Da che » l' Europa si è divisa tra Principi indipendenti gli uni dagli » altri, se il Papa fosse soggetto ad uno di essi, vi sarebbe » stato da temere, che gli altri avessero avuto difficoltà a ri» conoscerlo per Padre comune, e che gli scismi fossero stati » frequenti. Si può dunque credere che per un effetto partico» lare della Provvidenza siasi ritrovato il Papa indipendente, e » padrone di uno Stato potente assai, per non essere facilmente » oppresso dagli altri Sovrani: acciocchè egli fosse più libero » nell' esercizio della sua potenza spirituale, e potesse più age-

(*) *Discorso IV. sulla Stor. Eccl. n. X.*

principatum quem habet, probari potest facile, et quia dono principum habet, quarum donationum extant Romae authentica instrumenta (a); et quia etiamsi nihil horum extarent, abunde sufficeret praescriptio saltem 900 circiter annorum (b). Dixi *saltem*, cum et ex Gregorii M. temporibus multa Pontifices egerunt quae summam temporalem potestatem supponunt. Qua de re est legendus D. Pitra Man. Benedict. in opere nuper edito (1).

» volmente tener dentro i loro doveri tutti gli altri Vescovi. » Questo era il pensiero di un gran Vescovo del nostro tempo.

Et revera « stante malitia temporum si in Germania, advertit Bellarm. (*) Episcopi non fuissent Principes, nulli ad » hanc diem in suis sedibus permansissent. Sicut ergo in Testamento veteri diu fuerunt Pontifices sine imperio temporali, » et tamen ultimis temporibus non poterat religio consistere et » defendi, nisi Pontifices etiam Reges essent, nimirum tempore Machabeorum; ita quoque accidisse videmus ecclesiae, » ut quae primis temporibus ad majestatem suam tuendam temporali principatu non egebat, nunc eodem necessario egere » videatnr. »

(a) Apochripham esse donationem quam S. Sylvestro Costantinum M. fecisse promit Gratianus (**) constat ex communi sensu DD. At succedentibus Principibus modo faventibus, modo obversantibus lente progressa est dignitas regia usque ad seculum XII. Sedatis investiturarum processis, devictoque Friderico, sub Alexandro III. paulo post mediatem dicti seculi ad summum pervenit fastigium.

(b) Quis enim ignorat « etiam regna, et imperia per latrocinium acquisita, ait idem Bellarminus, tandem longo tempore fiunt legitima alioqui enim quo jure Julius Caeser occupavit Romanum imperium? et tamen tempore Tyberii Christus ait » *Reddite quae sunt Caeseris Caesari* (***). Quo jure Franci Gal-

(1) *Hist. de Saint Legor, et de l' Eghje des Francs VII. siecle.*

(*) *Cit. loco.*
(**) *In Can. Constantinus* 14, *dist.* 96.
(***) *Matth.* 22.

Valde ad rem ait cel. de Haller: « I Vescovi di Roma successori di S. Pietro, possedendo sempre alta considerazione per la loro dignità pontificale, dotati di diversi dominii tanto dai primi Imperatori cristiani, che dalle liberalità dei fedeli, e soprattutto da Pepino, e Carlo Magno, sono a poco a poco arrivati all' indipendenza senza ricercarla, o piuttosto eglino l' hanno acquistata col fatto, ed' abbandonati furono a se stessi con la rinunzia tacita, o formale degl' Imperatori di Costantinopoli, e dei Re di Alemagna, che non potevano, nè volevano più esercitare le loro autorità in queste contrade; in modo che non vi ha trono che sia stato meglio legitimamente acquistato che quello de' Romani Pontefici. E non è una cosa prodigiosa la perpetuità di questa Sede, e delle sue indipendenze malgrado tante catastrofi, che hanno rovesciato gl' imperi, e tante illustri sedi episcopali? . . . . Nel celebre congresso di Vienna, ove le potenze protestanti predominarono, neppure una parola si è detta per ristabilire i Vescovi spogliati de' loro dominii temporali, ma tutti concorsero a renderli al Sommo Pontefice. Spieghi chi voglia tali cose con la prudenza, e la politica umana: a noi sembra che bisogna chiudere gli occhi alla luce per non vedervi una protezione invisibile, e tutta divina. La filosofia avrebbe senza dubbio risparmiato i rami per recidere il tronco; ma migliaja di rami sono caduti, ed il tronco è restato, perchè ne pro-

» liam, Saxoni Britanniam, Gothi Hispaniam invaserunt? et tamen quis hoc tempore regna ab illis constituta illegitima esse diceret? »

» duca dei nuovi (1). Nihil luculentius. Vide etiam
» de Bonald. (2).

CAPUT QUARTUM

DE CARDINALIBUS.

Excelsum Papae senatum constituunt Cardinales (a) qui et partes corporis ejus dicuntur, nam eorum maturitate, ac dexteritate utitur ad regendam ecclesiam, et munerum ecclesiasticorum onus sustinendum ; ita ut magis, ac senatus cujuscumque reipublicae, firmamentum sint habendi, ac aulicum consilium, salus populi et negotiorum finis contra Calvinum, qui si in Romanos Pontifices exarsit; malevolentia in Cardinales contabescere non desivit autumans (3): *Nihil habent veri, ac legitimi in ecclesia muneris, fucum et inanem larvam retinent* (b). Ad Cardinales nos gradum recte facientes eorum originem, naturam, dignitatem, privilegia, et officia declarantes toto animo aberrare illum facile erit videre.

(a) A *cardinibus* dicti sunt Cardinales; *cardo* a graeco cradao, latine agito, verto, eo quod in eo janua quodammodo agitatur et vertitur ; vel a *cartos*, h. e. *cratos*, latine robur; etenim in illo januae robur situm est. Cardinales ergo ecclesiae robora et firmitates, sicut cardo fixus et immobilis valvae fulcimen est.

(b) Credunt protestantes, omnem ecclesiae auctoritatem in docendo non regendo versari; hinc deduxit haeresiarca nihil veri muneris Cardinales in ecclesia gerere.

(1) *Sur les lettres sur l'Italie par de Joux. Mem. Cath. Decem.* 1825. *p.* 347.

(2) *Du Traitè de Vestphalie, et de celui de Campo Formio.*

(3) *Inst. Christ. Relig. lib. IV. c.* 7.

CONCLUSIO PRIMA

Origo et natura Cardinalium distinguitur, atque enucleatur.

Nomen Cardinalis a locis ad personas derivatum fuisse existimat Bellarminus (2) (c). Principio quae-

(c) Ecclesiae principaliores, in quibus Baptisma conferebatur, dici ceperunt forsan sub Marcello Papa ann. 304. ecclesiae, vel tituli Cardinales; et Praesbyter regionarius qui dictam ecclesiam regebat, Presbyter Cardinalis: item Diaconi hospitalibus domibus principalioribus addicti, ubi hospitii causa indigentes, viduae, aliaeque miserabiles personae confluebant, Diaconi Cardinales dicebantur.

Seculo V. Gelasius Cardinalem Episcopum dixit, puta perpetuum et fixum, ut eum distingueret ab Episcopo visitatore, seu subsidiario, et commendatario; nimirum, cui ecelesiae regimen ad vitam, et perpetno creditum erat, ab eo, cui alterius ecclesiae cura ad tempus fuerat demandata. Vacanti enim ecclesiae Episcopus visitator antiquitus praeficiebatur, qui curabat viduatam ecclesiam in spiritualibus, et temporalibus, novique Pastoris electioni incumbebat, dictus fortasse etiam *commendatarius*, *et subsidiarius*, quod ex iis eligeretur, qui a sedibus quandoque suis temporum injuria ejecti, per modum commendationis, et subsidii vacantes ecclesias regendas suscipiebant donec, in propriis restituerentur.

Sequenti seculo S. Gregorius M. nomen istud tribuit Presbyteris et Diaconis a propria, ad quam ordinati erant, ecclesia translatis, ad aliam in perpetuum in qua dicebantur incardinari, seu Cardinalis fieri, etsi Joannes Diaconus nomen cardinis primae etiam ecclesiae tribnere videtur (*). Tum latior patuit notio Cardinalis ad significandum quemlibet, sive Episcopum, sive Presbyterum, sive Diaconum principali cuicunque ecclesiae perpetuo adscriptum. Hinc falsus more suo

(2) *Tom.* 2. *Controv. lib.* 1. *de cler. c.* 16. *l. D.*

(*) *In vita S. Gr. M. l. III. c.* 2.

libet per orbem ecclesia suos habebat Cardinales, qui per plura saecula in titulum illas retinuerunt. Sed quo Cardinalium Romanorum dignitas magis in diem ampliata est, eo ceterarum ecclesiarum titulares numero, et honore diminuti. Praeterea collegium Cardinalium primitivo Clero Romano suffectum est, qui Papam suis consiliis in universali ecclesia regenda coadjuvare consuevit, vices pontificias viduata ecclesia supplere, et praepositi sollicitudinem ab ecclesiae incunabilis gerere, adeo ut S. Cyprianus ad Cornelium Papam scribens de illo dixerit (1): *Flo-*

Calvinus asserens solum Episcopos primitus titulo Cardinalis potitos.

Deinde cum in ceteris nomenclatura Cardinalis fere exolevisset, manentibus etiamnum tamen in ecclesia Senonensi apud Gallos Parochis Cardinalibus, et apud nos in Cathedrali Neapolitana quibusdam ex canonicis eo titulo decoratis (*), sola Ecclesia Romana, illam retinuit: Cardinalium; inde triplex ordo, Diaconorum, Presbyterorum, Episcoporum.

Verum seculo XII. ad Cardinales, Presbyteros, et Diaconos, in urbe Roma accesserunt septem prius, sex postea Episcopi, ut Pontifici sacra persolventi adessent decoris, et majestatis causa, ex vicinioribus oppidis acciti, dictique Suburbicarii, qui eo vel presente, vel absente in ecclesia praecipue Lateranensi mysteria deinde faciebant. Hinc quia singuli singulis septem hebdomodae diebus certis insignioribus ecclesiis servitium praestabant suum, scilicet S. Joann. Lateranensii, S. Petri, S. Pauli, S. Mariae Majoris, et S. Laurentii extra muros, Episcopi Cardinales h. e. Principales dicebantur. Et Episcopi fuerunt Ostiensis, cui Veliternus unitus est, Portuensis, Albanensis, Praenestinus, Tusculanus, S. Rufinae, seu Silvae Candidae. Hodie S. Rufinae Sedes adnexa Portuensi a Callisto, sex adnumerantur, uti dictum fuit.

(1) *Epist.* 55.

(*) *Mazoch. Adped. ad Dissert. de Eccl. Neap. Dissert. IV. Part. I. cap. 2.*

rentissimo illic clero tecum praesidenti; et suam sententiam de pace lapsorum, consilio et judicio ejusdem cleri subjecerit (1). Res autem ipsa Romanorum Cardinalium, et dignitas longe vetustior, processu temporum sensim et congruenter splendore externo instructa fuit. Non est ergo cur adeo ille iterum Calvinus miretur dicens (2): *quantum ad Cardinales (quos vocant) attinet, nescio quid factum sit, ut ita subito in tantam amplitudinem emerserint*. Oh virum insuavem! qui mendacio linguam, falsitati intellectum, animum odio mancipavit. Verumtamen *quid factum sit* ut videat vafer ille, ad novam disciplinam mentem nobiscum vertat, et a Nicolao II. (3) electionem Summi Pontificis excluso reliquo electio romano collegio Cardinalium tributam noverit; gravioribus undique Romam negotiis confluentibus, et facta ipsi Ecclesiae Romanae accessione principatus temporalis eosdem Cardinales videbit consiliarios factos Papae, ut facilius, et celerius opem ipsi prae ceteris ferre possent, et omnibus provideret ille. Nonne sive bellorum impetu, sive principum obsistentia, sive temporum, ac itinerum incommodo, sive impensarum difficultate rariores cum evaserant, difficilioresque Episcoporum convocationes, amplissimorum, ac sapientissimorum hominum, Cardinalium nempe coetu, Papae senatus non defecit? Equidem ob id ecclesiae particulares detrimentum amplius non patientur ex absentia Pastorum, vel ob Synodorum Romae convocationem, vel

(1) *Epist*. 29.
(2) *Cit. loc. c. VII.*
(3) *C.* 1. *Dist. XXIII.*

ob legationes ad Principes. Quam melius inde rebus suis consuluisset Calvinus, si parentem ecclesiam sequutus Cardinales Episcopis ipsis superiores etsi non potestate ordinis, jurisdictione tamen, ac dignitate confessus fuisset (a), quod etiam commonent acta conciliorum Lugdunensium I. et II. ac Florentini Tridentini aliorumque (b). Nec fucum ergo, nec ina-

---

(a) DD. inde figuram Cardinalium processisse ajunt in lege veteri, tunc cum jussu Dei Moyses congregavit 70 viros in adjutores suos, et populi magistros (*). Deinde in lege evangelica refulsisse exemplum in personis Apostolorum quos elegit Christus ad sustinendum onus cum ipso (**). Dignitate tamen praestat Cardinalis Episcopo, secus potestate ordinis (***). Prioribus VI. vel VIII. seculis ad graviora ecclesiae expedienda negotia concilia nationalia Episcoporum Italiae a Romanis Pontificibus cogi solebant, in quibus prior locus ipsis dabatur; tum presbyteris Cardinalibus. Eminebant propterea eo tempore Cardinalibus Episcopi quoad honorem, et quod dignitatem. Mutata inde congruenter disciplina, potestate tantum ordinis praestant, quoque confirmant baptizatos, et ordinant Presbyteros, et alia id genus faciunt; quod Presbyteri et Diaconi Cardinales facere prohibentur. Inde Papa Episcopum se dicit non Cardinalem; hosque filios, dum Episcopos fratres appellat. Praeterea quod jurisdictionem spectat, Episcoporum hi in propria dioecesi, comparati Cardinalibus in suis titulis, vel Diaconiis, dupliciter se commendant, tum amplitudine dioecesium, tum exercitio jurisdictionis; Pastores enim sunt ordinarii suarum ecclesiarum; Cardinales non Episcopi tamquam Parochi fere habentur, et quasi episcopali jure potiuntur, uti mox erit videre.

(b) Paucis retro seculis Episcopi honorem Cardinalis *Presbyteri vel Diaconi* renuebant nimirum usque ad Bonifacium VIII. eo quod ut advertit Barbosa (****) putabant non licere descendere a majori dignitate ad minorem. Nunc inolita jamdiu consuetu-

(*) *Num. c. II.*
(**) *Luc. c. 6.*
(***) *Bellarm. Controv. tom. 2. de cler. lib. I. cap. 16.*
(****) *Juris Ecclesiast. lib. I. c. 3.*

nem larvam illos esse constat, sed visibilis ecclesiae decus et ornamentum.

Creare Cardinales ad solum spectat Pontificem. Solet tamen ipse vota Cardinalium in consistorio secreto expetere. Verum inquit Eugenius IV, per hujusmodi pronuntiationem in secreto consistorio, licet ad Cardinalatus initium quis dispositus videatur, nullum jus tamen, seu titulus adquiritur. Nec pro Cardinali reputari debet donec de Cardinalium consilio, et consensu sic pronuntiato, in Curia Romana praesenti, Cardinalatus insignia, videlicet per pilei rubri traditionem, ac tituli assignationem, annuli in digito immissionem; absenti vero per pilei missionem sint realiter impensa, aut saltem in generali consistorio (1). Unde quorum nomina non fuerunt per Pontificem publicata, quamvis ea Pontifex extra consistorium declaret; dicuntur reservati tantum in pectore (a).

---

dine scilicet ab Alexandro III. et Episcopi inter Cardinales vel Presbyteros vel Diaconos adleguntur; et Cardinales ad Episcopatus ab Urbe remotos evecti, ad residendum in dioecesibus obstricti ex Tridentino sunt, et aliis summis Pontificibus.

(a) Quoniam senatus Cardinalium totius etiam Occidentis Synodum repraesentat, tum ob Basilensis, et Tridentini concilii statuta, ex diversis ii nationibus creantur, et ad nominationem aliquorum christianorum Principum, puta Gallorum Hispanorum Regum aliorumque, tum insigniores per Christianum Orbem Ecclesiae Cardinalitiae evaserunt.

(1) *Bulla ann.* 1431.

CONCLUSIO SECUNDA

De numero Cardinalium dicitur, eorumque insignia describuntur.

Varius, atque incertus numerus Cardinalium ad libitum fuit Summorum Pontificum, qui grassante praesertim Avenionense schismate, admodum excrevit, quum obedientiae suae Cardinales, quisque Pontificum sive verus, sive dubius, sive illegitimus, adlegere studuisset. Tandem ex constitutione Sixti V. ad septuaginta Patres redactus est, cautumque praeterea ne amplior deinde fieret accessio. Horum 50. debent esse Praesbyteri, Diaconi 14., Episcopi 6. nimirum antecedenti concl. praenotati. Haec disciplina adhuc stat.

Tot tantisque muneribus, et dignitate Cardinales praestantes rubro pileo eos primum ornavit Innocentius IV. ann. circiter 1244 (a). Ex hac concessione purpuram etiam Cardinalibus in quotidiano usu permissam fuisse censent Tholosanus (2) et alii contra quosdam, qui a Paulo II. illa adauctos docent. Ab eodem eis galerus, seu *birreta* purpurea permissa fuit (3). Regularibus tamen a monastica disciplina

(a) Hoc tum ad ostendendam regiam potestatem, ac denotandum Salvatoris nostri mysterium, qui a Judaeis purpura circumdatus Rex appellatus fuit; tum quia sanguinea chlamys testatur Cardinales illa amictos pro christianae fidei defensione mortem subituros. Id colligitur ex formula, qua eis rubrum pileum ipsis tribuitur, et reperitur in coerimoniali Rom. (*).

(1) *Pagius Junior in vita Innocenti IV.*

(2) *In partit. Juris Canon. lib. 4. tit. 8, litt. c.*

(3) *Ciaconius in vita ipsius.*

(*) *Lib. I. sect. 8. c. 7.*

ad Cardinalatum evectis usque ad tempora Gregorii XIV. usus birretae rubrae interdictus fuit, quae ab hoc Pontifice eis concessa, dummodo habitum colorem religionis praeseferentem deferrent (1). Novissime ne externis signis, tituli convenientes deessent, Urbanus VIII. titulum *eminentissimi* unicuique ex Cardinalibus tribuit; statuitque praeterea sub poena excommunicationis, ut eo nomine Cardinales tantum, tres Archiepiscopi electores imperii, et magister equitum Religionis Melitensis decorarentur. Innocentius vero X. praecepit (2) ut tum Cardinalis nomine contenti omnino essent, tum arma gentilitia, suaque sigilla, coronis, aliisque profanis ornamentis amotis, solo pileo insignerent sub poena excommunicationis (a).

CONCLUSIO TERTIA

Privilegia potiora, quibus Cardinales sunt decorati enumerantur, declaranturque.

Et 1.° In suis titulis aliisque sibi subjectis Diaconi et Presbyteri Cardinales quasi episcopali jurisdictione fruuntur in spiritualibus et temporalibus (3), gaudentque privilegiis Episcoporum (4) dummodo in Romana Curia resideant, ita ut ex qualibet causa

---

(a) Cardinalem ex ordine Equestri Hierosolymitano adsumptum, crucem octogonam *Mozzettae* adsutam referre posse statutum in appendice ad tom. 2. Bullar.

(1) *Const.* 9. *Bullar. tom.* 2.

(2) *Bulla militantis ann.* 1644.

(3) *Cap. hisque, de majorit. et obed.*

(4) *Trid. sess.* 24. *de reform. c.* 6.

etiam necessaria absentes, ac de licentia Papae, etiamsi intra duas dietas tempore vacationis; vel apud suas episcopales sedes commorentur, sine specialissimo indulto non possunt hoc privilegio uti ex limitatione Reg. Cancellariae Apost. (1) (a). Insuper possunt visitare personas sibi ratione titulorum subjectas, eas excommunicare, interdicere, suspendere, cognoscere de causis earum spiritualibus adnexis; iisdem, et suis etiam familiaribus minores ordines conferre (2). 3.° Non comprehenduntur in novis costitutionibus, ac regulis Cancellariae, nisi vel iisdem eae faveant, vel expressam eorum interscrant mentionem, vel eorumdem praeterea consilio editae fuerint (3) (b). 4.°

(a) Vide Gagliardum in tract. de Benefic. c. 5. n.° 42. ubi ratio hujus limitationis affertur, nimirum quia sub conditione residentiae privilegia habent. Hinc absentia quaelibet, vel a culpa immunis impedit usum gratiae conditionalis. Excipe tamen Archipresbyteros trium Basilicarum S. Joannis Lateranensis, S. Petri et S. Mariae Majoris, qui diverso fruuntur privilegio, et beneficia inferiora conferunt etiamsi absentes a curia.

(b) Quoad editas constitutiones, et regulas, quae Cardinales obstringunt, multiplicia indulta solet ipsis largiri S. Sedes. Praestat inter omnia illud concedi solitum singulis Cardinalibus, de facultate scilicet conferendi beneficia Sedi Apostolicae reservata, regulis cancellariae non obstantibus; quo, uti DD. monent, ordinaria Episcoporum jurisdictio reservationibus sepita in integrum restituitur Cardinalibus in Rom. Curia praesentibus, aut de licentia Papae inde absentibus, ut omnia et quaecumque beneficia et sui tituli, et cathedralium ecclesiarum, dioecesium, abbatiarum ac monasteriorum sibi commendatorum *perinde valeant conferre, ac si reservationes, affectiones, regulae et constitutiones hujusmodi non apparerent.* Verba sunt indulti a Xysto V. concessi Hier. Cardinali Ruvereo, quod velut omnium exemplar edisserit, atque illustrat

(1) *Reg.* 8. *inter editas a Bened. XIV. apud Rigant. t.* 1.

(2) *Vide Barb. Jur. Eccl. lib.* 1. *c.* 3.

(3) *Barb. cit. loc.*

Plures quantumlibet incompatibiles ecclesias et beneficia licet eis perpetuo ipsorum privilegio retinere, praeterquam inferiores dignitates, et canonicatus residentiales (1). 5.° Litteras apostolicas eisdem cancellaria gratis dat excepta *componenda*, dummodo sex saltem menses Urbem incoluerint. 6.° Beneficia familiarium Cardinalium non conferuntur a Pontifice, nisi Cardinalis patronus defuncti familiaris, vel renunciantis beneficiarii praestiterit prius consensum in Dataria per se aut per procuratorem (2). 7.° Si quibus Cardinalibus minus quam 4000 aurei annui bonorum ecclesiasticorum inessent Paulus II. praece-

---

Germonius (*). Excipiuntur tamen 1.° cathedralium, et collegiatarum prima et principalis dignitas, 2.° monasteria concistorialia, 3.° beneficia familiarium Papae, ac vacantia apud Sedem, et in Curia: haec autem nonnisi de consensu Cardinalis ordinarii collatoris confert, 4.° affecta duplici aequali reservatione, 5.° beneficia perpetuo Sedi Apostolicae reservata, puta per constitutionem perpetuam. Cujus generis sunt erecta in solo Lateranensi: quae viduata Episcopali Sede vacaverint, aut per obitum conclavistarum, seu Dapiferorum. Hoc tantum praemonendum restat nimirum; collatio beneficiorum in mensibus apostolicis vacantium aliorumque reservatorum, quam faciunt Cardinales vigore indulti, revocabilis erit, nisi cum Pontifex literis apostolicis *novae possessionis* vulgo dictis ratam habebit: quas is cujus interest assequatur oportet intra quatuor vel plures indulto condictos menses, alias jure cadet suo (**). Item quod his literis *novae provisionis* sola adjecta clansola *dummodo beneficia praefata sub indulto comprehendantur*, validae collationes firmantur, non ita invalidae de beneficiis exceptis. Denique quoniam DD. hoc indultum ordinarium dicunt, ideo favorabile et benignae interpetrationis, etiam Papali Sede vacante vigere.

(1) *Xystus V. in Const. Sanctissimus* 79. *t.* 2. *Bull.*

(2) *Barb. cit. loc. n.* 84.

(*) *In tractat. de indultis apostolicis Cardinalium in* 22. *art. seu* §. *digsectum* §. *commendare.*

(**) *Vide cit. Gagliard. c.* 7. *n.* 17.

pit, ut iis singulis quibusque mensibus 100 aurei ministrentur (a). 8.° Qui in Urbe residentes consistoriis, congregationibus, cappellis pontificiis adsistunt, ad participationem *rotuli* admittuntur (b); a qua excluduntur omnes absentes ab ea, qualibet caussa ex Benedicto XIV. (1). Ad eam autem ex legitima causa accedentibus, pro tempore morae, portio tribuenda est, iique Papam in primis adeunt salutatum, nec Roma discedunt, sine ipsius licentia. Ita laudatus Pontifex. 9.° Indulto peculiari de rebus intuitu ecclesiae quaesitis testari possunt, etiam sine solemnibus a jure civili praescriptis, dummodo eorum mens certe constet (2). 10. De sacra suppellectili habent facultatem testandi, attamen speciali indulto; verum exceptis iis quae capellae Pontificiae debentur nimirum, ex Julii III. constit (3); *paramenta ac ornamenta capellae ipsorum Cardinalium.* Illam autem tenentur relinquere ecclesiis, capellis publicis, locis piis, et omnium maxime ecclesiae, cujus aut titulum, aut regimen habuerunt (4). 11. Pro medictate pensiones transferunt suas in alios coram notario et testibus modo indul-

(a) Pecuniarum certae quaedam summae nimirum, Cardinalibus veluti laborum stipendio solitae distribui, ex Cancellariae Apostolicae emolumentis.

(b) Vide Joan. XXII. sanctionem de accessu, et recessu praesulum ab Urbe (*).

(1) *Bulla in regimine ann.* 1745.

(2) *Card. de Luca de testam. Disc.* 2. *ad* 6.

(3) *Idem lib. XIII. P.* 2. *de pensionibus.*

(4) *Benedictus XIV. Bulla in regimine ann.* 1745.

(*) *Extravag. etsi ducat.* 3. *de major. et obed.*

tum obtinuerint eo tenore quem refert Cardinalis de Luca (1). 12. Exemptos palam Cardinales a constitutione tum Xysti V. tum sua *de damni* dati poenis edixit Benedictus XIV. (2). 13. Possunt eligere sibi confessarium, qui tamen vel parochiale beneficium habeat, vel adprobatus sit ab ordinario, quo privilegio etiam Episcopi fruuntur (3). 14. Altare viaticum seu portatile adhibere possunt (4). 15. Eorum sacella adaucta sunt plerisque privilegiis, quibus et sacrum inibi fieri potest ante auroram, et absente etiam Cardinali reliqua familia ejusdem ibidem Missae satisfacit (5). 16. Hostiliter insequentes, vel in persona offendentes Cardinalem, sunt raei criminis lesae majestatis, nec non illis auxilium, vel consilium quoquo modo prestantes, et qui Cardinalis domum invaserit (6) atque scientes nec revelantes ea delicta (7). 17. Regularis Cardinalis subtrahitur ab obedientia superiorum religionis, et a reliquis observantiis regularibus, solique Pontifici subjectus manet; non solvitur tamen a votis, et ab iis, quae sunt de substantia regulae. Ita DD. 18. Quoties acciderit per urbes praelatos pertransire, ubi aliquis S. R. E. Cardinalis adsit, ipsum honorificae visitationis officio non defraudent pro conditione temporis et loci. Ita S. Congregatio caerimonialis apud Bened. XIV. (8). 19. Optio

(1) *Lib. XIII. P. 2. de pensionib.*
(2) *Const. inveterata 38. Bull. t. 4.*
(3) *Idem Benedictus XIV. Bulla in regimine cit.*
(4) *Barbosa cit. loc.*
(5) *Cardinalis Brancatius dissert. de privilegiis Card.*
(6) *C. finali de poenis in 6.*
(7) *Const. Infelicis Pii V. Bullar. t. 2.*
(8) *In append. ad tom. 2. Bullar. n. 5.*

conceditur iis qui vacationis tempore in curia praesentes, aut inter duas dietas existant (1) (a). 20. Decanus S. Collegii sit Episcopus Ostiensis, ipse consecret Pontificem, pallium Archiepiscopale deferat, et Sacrum Collegium repraesentet. 22. Cardinales jussu et constitutione S. Pontificis sunt religionum protectores: id primum petiit Patriarcha S. Franciscus Ord. Min. qui protectorem habuit Cardinalem Hugolinum postea Greg. IX. ut notat Piatti Jesuita (2).

(a) Optare est cum vacans titulus optanti alteri Cardinali confertur. Tenetur tamen ad consitorium accedere et optionem facere. Per procuratorem etiam fieri potest dummodo causa infirmitatis, vel reipublicae aut pontificiae legationis sit impeditus. Ordo in ea servandus, ut adeo, antiquior Diaconus titulum Presbyteralem, et Presbyter Episcopalem optare possit. Clemens VIII. (*) permisit Diacono, qui decennium in eo ordine exegisset, ut Presbyteratum optarit ante omnes Presbyteros, qui post ipsum ad Cardinalatum pervenissent. Requiritur vero, ut optionis tempore decem saltem Cardinales in Diaconali ordine supersint. Clemens XII. voluit ut ad dignitatem Decanatus S. Collegii antiquior Cardinalis Episcopus suburbicarius adspirare posset, modo vel praesens in curia sit, vel intra duas dietas longe absit, aut alicubi munere Pontificii legati fungatur (**).

(1) *Paul. IV. Decret. Consistoriali Sanctissimus die* 12. *Junii* 1556.

(2) *De Statu Relig. c.* 23.

(*) *Decret. Consistoriali die* 8. *Aug.* 1597.
(**) *Bulla Pastorale officium* 1731.

CONCLUSIO QUARTA

Officia Cardinalium referuntur, atque expenduntur.

Tria esse officia Cardinalium, Bellarminus docet (1). Primum est commune cum Episcopis omnibus, Presbyteris, et Diaconis caeteris. Alterum est Summo Pontifici perpetuo assistere, eumque in regenda universa ecclesia consilio et industria adjuvare. Postremum eundem Pontificem eligere. De primo non erit dicere, cum ipse Calvinus hoc solum agnoscit (2) quod revera per se patet antiquissimum. Alterum Cardinales obstringit ut maturitate, et dexteritate magnitudinem munerum ecclesiasticorum regant, et gravitatem illorum sustineant, ita ut legati a latere ad Principes pacem ecclesiae restituant; conciliis vice Pontificis praesideant, res in illis administrent recte: quotidie opera sua praestent Papae loco Romanae Synodi in consistoriis, item in congregationibus, caeterisque praefecturis jus suum denique cuique tribuant. Insuper Sede vacante per obitum Pontificis studiose occurrere illi, et curam majorem ejus interea temporis tenere; etsi jurisdictio Pontificis ad eos non transeat (3) (a). Demum

(a) Quae ad Papae jurisdictionem spectant, ac status regimen in iis Collegium Cardinalium Sede vacante innovare nihil potest. Datariae, et Signaturae, et Papae Auditoris officia conquiescunt. Pendentes dumtaxat coram Papae Auditore citationes, et recursus Auditor Signaturae vix expedit. Vicarii officium persistit, quod Vicesgerens, ubi vacaverit, administrat. Ecclesiarum inferiorum necessitatibus gravissimis moram non patienti-

(1) *Lib. I. c. XVI. controver. de clericis.*

(2) *Cit. loc.*

(3) *Clement.* 2. *c.* 3. *de elect. in* 6.

in congregatione Romani Pontificis vicem Metropolitarum Episcoporum gerunt (1). Verbo: pro ecclesia Christi parati sint vitam amice dare suam (a).

Postremum tandem quod et praecipuum Cardinalium officium diximus passiva et activa est electio Romani Pontificis. Hanc Nicolaus V. ann. 1049. Synodo Laterensi illis concessit, et vix consensu novae electioni accedere reliquis de clero reservavit. Alexander III. vero in Synodo Lateranensi III.

---

bus providet interim S. Collegium, quicquid etiam opus in gravi periculo urbis vel status erit ex sententia duarum S. Collegii partium fas et insuper impendere. Camerarius (Camerlengo) et Poenitentiarius, eorumque officiales munera sua non intermittunt: alterutrius, vel utriusque deficientis vices aliis obeundas interim S. Collegium demandat.

(a) De muneribus, quae sustinent Cardinales S. Tridentina Synodus sic docet (*) *ea vero omnia et singula, quae de Episcoporum praeficiendorum vita, aetate, doctrina, et caeteris qualitatibus, alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem, in creatione S. Rom. Ecclesiae Cardinalium, etiamsi Diaconi sint exigenda.* Leo X. (**) quae in Cardinalibus requiruntur et numerat, et declarat. Lateri Pontificis semper adesse illos debere nec alicubi extra urbem commorari colligitur ex eadem Trid. qua teste Cardinalium *Consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem universalis Ecclesiae administratio nititur* (***). Incompatibilia inde officium Cardinalatus, et officium Episcopi per se essent (****). Attamen Patres ipsi ejusdem Trident. Synodi posthabito ejusmodi consilio, satius duxerunt S. R. E. Cardinales, qui episcopatum extra regiones suburbicarias retinent, adigere ad residentiam in suis ecclesiis (*****).

(1) *Can. in nomine Domini* 1. *dist.* 23.

(*) *Sess. XXIV, in Decret. de reformat.*
(**) *In Const. Supremae* 7. §. 16. *et seqq. t.* 1. *Bullarii.*
(***) *Sess. XV. in Decret. de reformat. c.* 1.
(****) *Thomass. de V. et N. E. D. p.* 2. *l.* 3. *c* 5. *n.* 12.
(*****) *Sess. XXIII. de reform. et alibi.*

ann. 1179. (a) speciatim statuit duabus partibus Cardinalium concordibus, qui una praesentes in conclavi sint, electionem perfici, electumque sine ulla exceptione ab universa ecclesia Rom. Pontificem habendum esse. Cum vero de jure hoc electionis multa dicenda maneant, sequenti capite, quod de electione Pontificis inscribimus, enucleabimus.

CAPUT QUINTUM

DE ELECTIONE SUMMI PONTIFICIS.

Delectus ecclesiae ministrorum, et omnium maxime illius, qui principatum inter illos tenet est objectum singularis sacrae potestatis. Quapropter Princeps Apostolorum inquit (1). *Justum arbitror, ut, quandiu sum in hoc tabernaculo suscitare vos in commonitione: certus quod velox est depositio tabernaculi mei.* Inde successores ejus eandem curam suscepere, et de electione praesertim Summi Pontificis canones non

---

(a) Supremi Principes tamen quos sibi infensos ex Cardinalibus habent, sacro denunciare nunc solent Collegio ipsorum, suntque ita impedimento quominus ii eligantur in Pontificem; nunquam tamen ut electum deturbent De regiis exclusionibus quas vocant, medio fere secul. XVII. disceptatum fuit inter Cardinales Albitium, et de Lugo, improbaute altero quod eligentium libertati contrairent, et injuriam facerent dignioribus; altero probante, eo quod ex primaevo populi jure descendant, neque electio inde irrita reddatur, sed discordiae removeantur, jus vero privatorum, si tamen laeditur, publico cedat oporteat bono. Quidquid tamen de hoc quod DD. definiant, Sacrum Collegium consuevit hactenus regiis exclusionibus deferre.

(1) II. *Petri* I. 13. 14.

paucos dedere (1). Nostra ergo refert, qui de electione ministrorum omnium generatim disseruimus, hic quae electionis sunt propria Summi Pontificis distinguere quatenus vel electores spectant, vel ea quae praecedunt electionem, vel ipsam electionem. Sit itaque

CONCLUSIO PRIMA

Quid de jure electorum Summi Pontificis cautum sit declaratur.

1.° Cum publicae utilitati ex matura electione provenienti, rationes privatorum cedant; absentes Cardinales a conclave nullum suffragii jus habent ex constitutione Gregorii X. (2) aliorumque Pontificum: imo etiamsi a latere legati, ex publica causa, et ex venia Pontificis ob itineris, aut alterius publici impedimenti quemlibet colorem; nec possunt impugnare electionem fortasse factam per praesentes in conclavi statim decem elapsis diebus a morte Pontificis. 2.° Ex sola aegritudinis manifesta causa licebit Cardinalibus non intrare in conclave: e ingressis si quis exire voluerit juramento medicorum et ex majori parte Cardinalium per secreta suffragia probanda est. Ex Pii IV. const. (3). 3.° Si quis Cardinalium in Diaconatus ordinem saltem non sit constitutus, eum nullatenus admitti, Pius IV. decrevit (4), nisi privilegio Pontificio donatus. 3.° Creatis in secreto

(1) *Cap. licet* 6. *de elect.*
(2) *In cap. ubi periculum* 3. *de elect. in* 6.
(3) *Const. in eligendis* 63. *t.* 1. *Bullar.*
(4) *Cit. Const.*

concistorio Cardinalibus, quibus os clausum fuerit, nec adhuc apertum, vox in eligendo Pontificem non denegatur (a). 4.° Censurarum, sive excommunicationis, suspensionis interdicti causa, vel colore a novi Pontificis electione sive activa, sive passiva Cardinales non excluduntur; decrevit Gregor. XV. (1). 5.° Quamvis non prohibeantur tractatus pro electione habenda, abstinendum omnino est Cardinalibus ab omnibus functionibus, conventionibus, promissionibus, sive ad includendum, sive ad excludendum aliquem; quibus si juramentum interpositum sit nullum habetur (2). 6.° Crimen simoniae admissum ab electoribus, qui suo gradu ob id deciderunt, electionem nullam ipso facto reddit. Electus incurret privationem Cardinalitiae dignitatis et beneficiorum (b) (3). 7.° Nonnisi ex S. R. E. Cardinalibus etiam Diaconos ad Pontificatum promovendos decrevit Stephanus III. (4). Nicolaus

(a) S. Pius V. caeremonias esse declaravit tum clausuram, tum aperitionem oris quarum defectu nihil de jure suo recens electo Cardinali diminuitur; etsi ante illum dubitaverint DD. et ratio ex formula qua utitur Pontifex eruitur nimirum, claudi os *ut neque in consistoriis, neque in Congregationibus, aliisque sacris functionibus Cardinalitiis, sententiam dicere valeant*, item aperiri, *ut in consistoriis, congregationibus, aliisque sacris functionibus ecclesiasticis, sententiam dicere valeant* (*).

(b) Hoc casu, Cardinales non complices eligerent alium Pontificem; et Concilium, si opus esset, convocarent. Praeter hoc crimen, defectus alii nullitatem electionis liberae non videntur inferre.

(1) *Const. Æterni Patris.*

(2) *Ibidem.*

(3) *Julii II. Const. quum tam divino ann.* 1505.

(4) *In Romano Synodo ann.* 769, *in can.* 3. *et* 5. *dist.* 79.

(*) *Decretum* 26 *Jan.* 1571. *in Caerimoniale Greg. XV.*

II. de ipsius ecclesiae gremio vel ex alia, nisi in ea reperiantur idonei assumendos constituit (1). Verum etsi usque ad Urbanum VI. an. 1378. permultos aliunde extra ordinem Cardinalium, Clerique Romani ad solium Petri adscitos compertum est, ex eo tempore Pontifices Summi semper ex illis fuerunt electi (a).

CONCLUSIO SECUNDA

Quae ante Pontificis electionem provideri debent, aperiuntur.

Quo tempore Nicolaus II, uti dictum fuit, Cardinalibus jus fecit eligendi Summum Pontificem, in Urbe electionem faciendam idem praemonuit, vel alio congruo in loco vix permisit, dum rite, et canonice ibi fieri non posset (2) (b). Gregorius X. in

(a) Quae de aetate aliisque qualitatibus in eligendo Pontifice requirantur, sat erit colligere ex decretis quae apud Gratianum habentur de Episcopis (*) ut ex minori ad majus argumentum sit de illis: aut quae Xystus V. ad rem cavit (**). Quae vero spectant quaestiones alias, quas usus fecit inanes puta, de adolescentibus, de laicis, uxoratis, missas facere refert, ut necessariis deesse non videamur.

(b) In Basilica Lateranensi, aut in Vaticano singulis quoque diebus conveniebant ad eligendum Summum Pontificem, hinc defuncto Salerni B. Gregorio VII. ann. 1085. Desiderius Abbas Casinensis jam Cardinalis in urbe Roma electus fuit Pontifex, et Victor. III. appellatus, ibique consecratus fuit (***); quod si

(1) *Cit. c.* 1. *dist.* 23.

(2) *Can.* 2. *dist. ead.*

(*) *Dist.* 23. 25. 26. 34. 35. 39. *ad* 49. *et alibi.*

(**) *In Const. postquam verus* 50. *t.* 2. *Bullarii.*

(***) *Panvinius adnotat. in Platinam.*

concilio Lugdunensi II. ann. 1274. locum, h. e. *Conclave* praefixit nimirum in ipsa civitate, ubi mors Pontificis acciderit (a) aut si ea interdicta, vel Romanae Ecclesiae aperte rebellis esset, in alia viciniori. Idem tempus electionis statuit, legemque (1) (b) in clausura conclavis observandam in quindecim articulos distributam. Hos confirmavit Clemens V. aliis superadditis, quorum nonnulli potestatem coetus Cardinalium Sede vacante spectant. Plures exinde constitutiones Pontificum innovando alicubi variarunt, et exposuerunt uberius quae antea sancita erant. Eas summatim notamus.

---

extra Urbem fuissent, in Cathedrali Ecclesia illius civitatis ubi versabantur electio fiebat.

(a) Innocentius IV. mortem heic Neapoli obivit, et in hac ipsa Urbe Alexandrum IV. mense Decembris 1253. Cardinales eodem mense rite jam elegerant. Sic S. Celestinus etiam Neapoli cum Pontificatu se abdicasset, praesentes in hac Metropoli Cardinales Bonifacium VIII. subrogarunt et Romae coronarunt. Sic et in Galliis alios electos Pontifices fasti Ecclesiae testantur.

(b) Clemens VI. ann. 1351. constitutione *licet* circa usum conclavis, servos et cibos Cardinalium. Constitutio Pii IV. *in eligendis* ann. 1562. qua multa de clausura conclavis, potestate Cardinalium, et officialium statuuntur. Constitutio Gregorii XV. *aeterni Patris* ann. 1621. qua triplex electionis forma probatur et secretum scrutinium praecipitur; constitutio Urbani VIII. *ad Romani* ann. 1622. qua novissima constitutio Greg. XV. confirmata et caeremoniale electionis Rom. Pontificis probatum iterum, et magis inculcatum est; constitutio denique Clem. XII. *Apostolatus officium* ann. 1732. qua pro regimine conclavis multa sanciuntur. Eae sunt omnes in unum collectae caerimoniale continens ritus electionis Rom. Pontificis Greg. Papae XV. jussu editum (Romae 1774).

(1) *Const. ubi periculum quae fertur in Cap. ubi periculum de elect. in* 6.

Primo die post Pontificis obitum in generali congregatione Cardinales audiunt, et jurant pontificias constitutiones in eligendo se observaturos, sigilla ejus frangunt, gubernatorem urbis eligunt, aliquot ipsorum operi conclavis praeficiunt, et funus deducunt. Secundo ministros et officiales confirmant, qui alias confirmari ipso jure praesumuntur, urbis conservatores audiunt, et praefectos conclavis. Tertio confessarium conclavis eligunt, et sepulturae tradunt cadaver Pontificium. Quarto et quinto medicos, chirurgum, aromatarium, barbitonsores conclavis destinant. Sexto cellas conclavis sorte distribuunt. Tum caerimoniarum magistri non partecipantes exhibent indulta brevium sibi concessa ingrediendi conclave. Septimo audiuntur, qui tertium conclavistam indulgendum sibi postulaverint, nam duo cuilibet Cardinali ordinarie assignantur. Octavo Cardinales duos eligunt ad inquirendum, et probandum qualitates conclavistarum. Nono tres alios Cardinales praeficiunt custodiae, et curae conclavis. Decimo indulta Cardinalium, qui sacros ordines non susceperint disquirunt; destinantque coementarium, et lignarium. Undecimo ad clausuram conclavis ritu solemni procedunt, relectasque inibi constitutiones apostolicas, jurant iterum se observaturos, et concionem decani audiunt.

CONCLUSIO TERTIA

Forma electionis Papae expensa, ejus effectus distinguitur.

Habet quid speciale forma electionis Papae quam expendere juvat ex caeremoniali Gregoriano, in citata constitutione *decet* comprehenso. Et quidem for-

ma electionis per inspirationem, et per compromissum peragitur ab omnibus et singulis Cardinalibus in conclave praesentibus, et nemine eorum dissentiente. Omnem de persona speciali praecedentem tractatum, excludit electio per inspirationem; sed prolato communiter consensu per verbum *eligo* voce manifesta, aut etiam in scriptis expresso, haberi potest. Per compromissum vero, postquam in secretiorem aliquem locum se conferent compromissarii, protestentur oportet, se non per quamlibet reverentialem verborum prolationem, sed tantummodo in scriptis consensum praebituros. Quod scrutinii vero formam spectat, vel per scrutinii et accessus (a) utrumque secretum faciendum tresque actiones continet; altera ante scrutinium, altera quae scrutinium, tertia quae post scrutinium adpellari potest (b). Rite peracta electione

(a) Nomine *accessus* intelligitur novum suffragium eorum Cardinalium, qui mutato consilio alium eligunt.

(b) Actus antiscrutinii ex citato caeremoniali quinque sunt; praeparatio schedularum scrutinii et accessus; extractio scrutatorum. et deputatorum pro votis infirmorum per sortem; scriptio schedularum scrutinii; earum complicatio, et obsignatio. Scrutinii autem actus ex ipso sex numerantur, nimirum delatio schedulae, juramentum, positio schedulae in calicem, schedularum in filum insertio, depositio. Si postscrutinii electio sequuta non sit septem sunt actus, accessus, sigillorum, et signorum aperitio, adnotatio, suffragiorum examen, eorumdem numeratio, recognitio et schedularum combustio. In accessu eadem servantur ac in scrutinio quoad inscriptionem, obsignationem, complicationem, delationem, positionem in calicem, numerationem, publicationem, notationem suffragiorum, insertionem in filum, et depositionem. Excipe 1.° quod schedulae pro accessu sumantur ex disco schedularum accessus, 2.° quod fieri non possit accessus, nisi ad eum Cardinalem, qui in illo scrutinio saltem unum obtinuerit suffragium, non vero ad eum qui ab

ad consecrationem devenitur hodiernis moribus, et possessionem Pontificis; nullumque impedimentum, vel defectus juris ecclesiastici opponi ei potest; immediate enim habet a Christo claves regni coelorum nec nova traditione, sed primaeva institutione

---

ipsomet Cardinali fuit in scrutinio nominatus; 3.° quod quamvis non liceat plures nominare, licebit tamen accedere uni ex pluribus nulliter a se nominatis in scrntinio, dummodo eidem ab alio saltem suffragium non nulliter datum sit; 4.° quod non praestetur juramentum aliud; 5.° quod denique infirmarii deferant ad infirmos, tum schedulas accessus, tum unum folium impressum in quo notatus sit suffragiorum numerus palam recognitus. Adhaec fit aperitio sigillorum et signorum, eorumdem adnotatio, et suffragiorum examen, numeratio, recognitio, combustio. Denique si per scrutinium electio evaserit, postscrutinii tres erunt actus scilicet numeratio schedularum, recognitio suffragiorum et schedularum combustio. Hinc signo tintinnabuli facto capellam ingrediuntur, secretarius S. Collegii, et magister caerimoniarum, quorum adsistentia Cardinales decanus primus Episcopus, primus presbyter, primus diaconus et camerarius ad electum accedunt quem decanus rogabit: *Acceptas ne electionem de te canonice factam in Summum Pontificem.* Habito consensu, cognito nomine, quod sibi imponere vult, primus magister caerimoniarum coram testibus rogat publicum instrumentum: denique indutus vestibus Pontificiis ad osculum manus et ad amplexum excipit electus ipse ordine Cardinales, et primus Diaconus alta voce novi Pontificis creationem manifestat in superiore magno ambulacro quod valvae majori S. Petri innixum est.

Vide lib. caerimonialem continentem ritus electionis Romani Pontificis, Gregorii XIV. jussu editum, uti jam dictum fuit, cui praefiguntur constitutiones Pontificiae, et Conciliorum decreta ad eam rem pertinentia (Romae 1774).

CAPUT SEXTUM

DE LEGATIS.

CONCLUSIO PRIMA

Pontificium legationis jus vindicatur, ejusque species distinguuntur.

Ecclesiae catholicae regimini deesse nequit jus legationis, quod utique perfectum omnium est gentium, vel ad laesionem reparandam, repellendam, praecavendam; vel ad subsidia obtinenda; vel ad testificandam suam benevolentiam. Verbo: ad sui status conservationem et perfectionem (a), varia nam-

(a) Legatus dicitur qui fiduciariam operam suam alteri praestat, vicarius nempe illius cujus vices fungitur. Ita Caesar (*): sonat vero idem ac *Apostolus*, *Missus*. Ad provincias proconsulares Asiam et Africam, et ad decem praetorias senatus populusque Rom. sub Augusto; ad reliquas sibi reservatas Caesar fere ternos mittebant, uti procunsules, propraetores, Cesaris vicarios cum amplissima dignitate, qui modo praesides, modo legati promiscue dicebantur. Costantinus M. quatuor Praetorio Praefectis cum distribuisset orbis regimen, pluresque unicuique illorum dioeceses distribuisset, singulos praefectorum vicarios in singulis instituit dioecesibus, qui vicariam sibi ab ipso Principe mandatam agebant praefecturam. De Marca (**) varias legatorum species ex jure Rom. describit, tum generales legatorum ecclesiasticorum species enumerat, comparatque cum civilibus.

(*) *Lib.* 1. *de bello civil. c.* 27.
(**) *De Conc. Sac. et Imp. L. V, c. I. et II.*

que genera relationum, nexuum ac respectuum inter ecclesiae statum, et alios civiles; necnon illius ipsa natura exigit tamquam medium necessarium ad finem, jus mittendi legatos, qui gregem per totum orbem diffusum inspiciant, ad summum Pastorem de eo fideliter referant, haereses, schismata, scandala cohibeant, quaeque sunt istius generis alia ad officium Summi Pastoris pertinentia (a). Jure ergo ecclesiastico publico usus legatorum obtinuit a seculo IV. quo pax ecclesiae, ac libertas data est usque ad nostra tempora, passimque vestigia occurrunt eorumdem, qui ad Synodos, Ecclesias, vel Imperatores missi fuere.

Sane ex quo Imperatores christiana sequuti sunt castra, negotia ecclesiastica oportebat iis actoribus etiam conficere, hinc usus legatorum *Missorum* ut Synodi haberentur, haeretici cohiberentur, pax ecclesiis restitueretur, canones observarentur. Adhaec e re christiana erat Episcopos dissitarum praesertim civitatum munus Sedis Romanae subire, ut inde tamquam apostolicis *vicariis* majori potestate ornatis iis uteretur Pontifex. Demum in urbe imperiali longiores moras opus fuit tenuisse alios missos a Pontificibus, non uni, sed quibuscumque causis, ac negotiis addictos, qui proinde *apocrisarii* et *responsales* vocati fuere, eo quod responsa seu mandata eorum a quibus missi fuerunt, adimplebant. Triplex ergo primitus legatorum species in ecclesia ex varia delegandi ratione *Missi* nimirum,

(a) Ipsi scriptores Sedi Apostolicae infensi puta Febronius, Pehem aliique, naturae primatus Pontificis insitum jus mittendi legatos comprobant. Vide opus Romae editum Papae Pii VI. *Responsio* ad Metropolitanos Moguntium, Trevirensem etc. ubi accurate, et solide hoc jus vindicatur.

Vicarii Sedis Apostolicae, et *Apocrisarii*, sive *Responsales*. Jure decretalium triplicis generis etiam sunt *Legati* sive *Nuntii Apostolici*, quique illis ferme respondent scilicet: 1.° Legati a latere, qui sumuntur a collegio Cardinalium, tamquam lateri Pontificis assistentium, indeque missorum. 2.° *Legati nati* qui conveniunt cum iis qui dicebantur Vicarii. 3.° Nuntii strictius dicti, qui responsalibus referuntur. Legati alii mittuntur cum jurisdictione solum temporali ad gubernandas provincias, vel civitates status ecclesiastici; puta legati Bononiensis, Romandiolae, Urbini, etc. alii habent spiritualem vel restrictam ad certas causas aut negotia, vel ordinariam quando iis in certis provinciis committitur legationis officium; atque ex his aliqui dicuntur extraordinarii, et non stabiles, alii stabiles. Ab his distinguendi ii qui *Vicarii Apostolici* speciali ratione vocantur, uti deinceps videbitur, etsi legati quoque vices gerant Apostolicae Sedis.

Horum vindicias habes contra objecta ab hostibus S. Sedis, Marco Antonio de Dominis, Eybelio, necnon contra ipsum Van-Espen, asserentem *hanc plenitudinem personalis officii a nullo Pontifice in fundamentum mittendi legatos suos per provincias adsumtam, ante sec. X. vel XI.* Ex dictis etiam ante, patet de immediata et ordinaria Papae potestate in subditos Episcoporum. Ubinam vero quaeque pastoralis officii plenitudo invecta sit, aut potuit esse post secul. X. nec dicere fas erit, nisi primatum Petri divinitus constitutum offendere quis velit, et a decretalibus falsis illam cum ipso Van-Espen confictam obtrudere.

CONCLUSIO SECUNDA

Potestas omnibus legatis apostolicis communis interpetratur; quomodo finitur, exponitur.

Et primum juvat intelligere, quod etsi nemini ex praescripto juris, quamquam dignitate fulgeat, credendum sit, si dicat se cum mandatis principis venire, nisi probaverit (1); Cardinalibus tamen legatis si literis ostenderint se esse legatos, fides habetur quoad mandata, quamvis scripto non exibeant (2). Aliis vero legatis etiam fides adhibetur quoad ea tantum, quae communi legationis officio continentur; non item quoad specialia, et quae aliis praejudicant.

Difficile autem est de potestate legatorum in specie disserere; nam multa in desuetudinem abiere, et concordatis limitata; imo et jure communi etiam restricta nimirum: 1.° speciali delegatione cujusdam causae a Papa facta, quin mandatum speciale deroget generali, 2.° relatione causae a legato ad Papam missa, cessat enim ille esse judex (3), 3.° generali mandato, vel delegatione non continentur ea quae specialem mentionem poscunt, puta dividere, unire episcopatus, transferre Episcopos etc. haec enim in signum singularis privilegii sunt Pontifici tantum reservata, 4.° legatorum potestas adstricta est ad provinciam legationis.

Verum jure decretalium quisquis legatus; 1.° debet et potest reformare vitia et mores populi, Episcopi, Archiepiscopi ejus provinciae; 2.° potest con-

(1) *L. 1. c. de mandatis princip.*
(2) *Arg. c. fin. dist.* 97.
(3) *C.* 3. *de offic. legat.*

dere statuta, etiam finito suo officio duratura, nisi ab successore suo, aut Pontifice revocentur (1); 3.° potest causas provincialium ad se devolutas audire, de iis cognoscere, easque alteri delegare, quo casu delegati jurisdictio manet, etiam cessante potestate legati, si praecessit citatio partium (2); 4.° potest etiam super causa electionis Episcopi examen istituere, quod dein cum informationibus ad Papam mittere debet, et interim a causae cognitione ulteriori abstinere, dum responsum a Papa veniat (3); 5.° potest constitutiones pontificias in usum deducere, et debet: aut si propter circumstantias in usum deduci haud possunt, saltem debet informare Pontificem; 6.° potest denique ea omnia, quae potest Ordinarius in sua dioecesi, aut provincia, imo potest omnia, quae potest Pontifex, praeter illa quae in signum singularis praerogativae sunt illi reservata, ea quae speciali mandato indigent, uti dictum fuit (4).

Finitur potestas Legati, 1.° revocatione Pontificis legato debite intimata (5), 2.° egressu spontaneo ex provincia, si fit animo non redeundi, et concessu Papae (6); 3.° lapsu temporis praefixi, aut finito negotio, ad quod conficiendum missus est (7); 4.° morte ipsius legati, non tamen Pontificis, quia illius jurisdictio est ordinaria, nec Sedes Apostolica, cujus legatione fungitur, unquam moritur. Officium legati nati

(1) *C* 10. *h. t.*
(2) *C.* 10. *cit.*
(3) *C.* 5. *h. t.*
(4) *C.* 3. *h. t.*
(5) *L.* 3. *ff. de offic. praesc. c.* 7. *h. t. in* 6.
(6) *C. fin. h. t.*
(7) *Arg. c.* 4. *de offic. deleg.*

est perpetuum, et durat quandiu obtinet dignitatem, cui annexum est.

CONCLUSIO TERTIA

Legatorum a latere origo, honores, et officia expenduntur.

Legatorum *Missorum*, antequam Cardinales post seculum X. ad summam, qua fulgent dignitatem pervenirent, nulla distinctio fuit. Hi enim in totius ecclesiae regimine, loco Rom. Synodi tamquam collaterales cum accessissent, a latere legati recte dicti sunt, et praerogativa honoris eminent, vestibus aliisque signis decorati (1) et praesertim quia in eorum praesentia suspenditur officium minorum legatorum quoad exercitium potestatis (2), et si insigniis apostolicae dignitatis utantur, Archiepiscopis, ac Patriarchis crux non praefertur (3). Unde nec Episcopus praesente legato a latere, populus benedicit, nec vestes defert, scilicet mozzettam quae ordinariam ejus jurisdictionem significat (a).

(a) Mediis praesertim seculis legati a latere magnificentissime excepti, et jam primo vestibus rubris, equo albo, seu *palafreno*, deauratis froenis ac calcaribus, infula quoque ornati quibus insigniis apostolicae dignitatis procedebant; et recte, a latere enim Pontificis et propius stantes sub ejus *baldachino* insignia jurisdictionis ejus sumpsere. Nec tantum vestibus, sed et comitatu clericorum, sono campanarum occursu Episcopi, Archiepiscopi, civitatis primorum, imo et regum honoribus pro-

(1) *C.* 1. *de offic. legati.*
(2) *C.* 8.
(3) *C.* 23. *de privilegiis.*

Potestas specialis horum legatorum erat amplissima, et quae primum delegata, ordinaria evasit (1). Extra fines provinciae legatae utuntur voluntaria jurisdictione, qua quoslibet etiam extraneos suae provinciae enormi, vel violenta percussione clerici excommunicatos absolvere possunt. Reliqui legati non possunt fungi suo officio, tam quoad jurisdictionem contentiosam, quam voluntariam, sine speciali ejus commissione. Hinc in praesentia legati a latere, reliquorum potestas manet suspensa (2). Potest in sua provincia quidquid de jure, vel consuetudine Episcopi possunt in sua dioecesi. Habet potestatem ordinariam et concurrentem cum quolibet Ordinario, conferendi beneficia, quae ipsi specialiter non prohibeantur, vel aliis non reserventur (3) quin etiam potest ea beneficia in posterum vacatura suae reservare collationi, quae caeteroquin potest conferre: hae reservationes expirant finita legatione. Abbati in Episcopum electo, ut monasterium suum deserat atque ad ecclesiam transeat, licentiam concedere. Quin et ei datur patronatui ecclesiastico derogare: nam plus habet in concessione legatus, quam in praesentatione patronus (4). In patronatu autem laico nihil ei attentare licet (5). In ordinibus suscipiendis, et in matrimoniorum impedimentis dispensare potest, aliaque multa

---

sequebantur. Quin et illis procurationes suppeditatae fuere sicut Episcopis et metropolitis, paroecias, et provincias visitantibus.

(1) *C. nemini X. Extra et cap. legatos h. t. in* 6.
(2) C. 8. *h. t.*
(3) *C* 6. *h. t.*
(4) *Cap. Dilectus* 6. *X. h. t.*
(5) *C. cum Dilectus* 28. *ar. de jur. pat.*

quae Gregoriana compilatio et sexto decretalium exhibet in hoc titulo scilicet de officio legati. Hoc in regno Neap. Sedes Apostolica vel ad gratulationis officium colendum, vel ad aliquid aliud consuevit mittere legatos a latere.

Verum quoniam ita natura comparatum est ut in re sancta, et in ecclesiastico ministerio non semper sancte vivatur; tanto honore, et potestate saepe male usi alii sunt (a), ita ut Romani Pontifices his occurrere opus fuit; christiani Principes sine eorum postulatione legatos in regno accedere noluerunt, et Patres SS. Tridentini, uti diximus antéa, aliqua statuerunt, quibus limitata fuit eorum jurisdictio, deinc concordatis etiam adstricta magis (b).

(a) Ob id Bernardus Eugenium IV. monuit ut tales curaret in provincias mittendos legatos, *qui non cum turba intrarent, nec cum ira exeant; qui ecclesias non spolient, sed emendent, qui marsupia non exhauriant: sed corda reficiant, et crimina corrigant* (*). Et revera Matthaeus Parisiensis de Episcopo Eliensi Willelmo refert (**) *quod mille et quingentis evectus equitaturis, clericorum stipatus catervis, militumque vallatus agminibus in Anglia legatus venit.* Unde Joan. Saresberiensis scripsit ita aliquando legatos debacchatos per provincias fuisse, *ac si ad ecclesiam flagellandam egressus sit Satan a facie Domini* (***).

(b) Conc. Trid. (****). Ab ecclesiis non posse agi procurationes statuit, et in contentiosis causis Episcopi judicent in *prima* instantia non legati sive a latere sive cujusque generis, nec isti procedant contra clericos, nisi Episcopo prius requisito, eoque negligente. De secunda instantia nihil decrevit, sed tantum praecepit, ut legati, ac Nuntii Apostolici perinde ac Patriarchae, primates, metropolitani in appellationibus, quae ab Episcopi judicio

(*) *L. 4. de consid. c. 4.*
(**) *In Richardo 1.*
(***) *Lib. 4. de Nugis Curia 1. c. 16.*
(****) *Sess. XXIV. c. 20. de reform.*

Quare hodie definita cum potestate legatione funguntur.

CONCLUSIO QUARTA

Quod Legatos natos spectat, sive Vicarios Apostolicos declaratur.

Legati nati dicuntur qui praelaturae, seu dignitati ecclesiasticae, quam obtinent habent annexum munus legationis (a) et respondent priscis Romanae Sedis Vicariis, quibusdam nimirum praesulibus majori potestate ornatis per quos Sedes Apostolica in remotioribus provinciis facilius feliciusque suam exercebat jurisdictionem (b). Legationes istas sive vicaria-

---

fint recipiendi, servent formam, ac tenorem praescriptum ab Innocentio IV. in c. Rom. Ecclesia 3. de appell. in 6., quae res indicat aeque ad Nuntios ac Metropolitos appellari posse (*).

(a) Archiepiscopus Salisburgensis in Germania, Cantuariensis in Anglia, in Gallia Rhemensis, in Hispania Toletanus, in Italia Pisanus etc. legati nati sunt.

(b) Sunt et alii Vicarii Apostolici, quibus aliquando curam alicujus ecclesiae committit S. Sedes, ut fit in regionibus infidelibus, aut haereticis quas excolunt missionarii; item alibi ut contingit quando metuendum ne ecclesia diutius pastore careat, vel ne aliter detrimentum grave patiatur. Horum vero jurisdictio supplet illam Episcoporum, ut ex ipsis literis est dignoscenda. Ad eos referri etiam possunt praefecti apostolici praesidentes rerum sacrarum administrationi in quibusdam coloniis, et supplent Episcopos. Differt autem ab iis commissarius apostolicus quem delegat S. Sedes ad informandum et judicandum super aliquo negotio et dicitur etiam delegatus. Ita cum committitur alicui in dispensationibus matrimonialibus ut exequatur rescriptum ipsius S. Sedis, hic agit ut apostolicus commissarius.

(*) *Sess. XXII. c. 7. de reform.*

tus S. Sedes plures instituit pro munere quo divinitus pollet, sive personales, sive haereditarias, a primis ecclesiae temporibus studio religionis, fovendaeque unitatis, ac concordiae causa (a); non dominationis arcano et cura extendendi limites sui imperii, atque astu pontificio ut Baluzius (1) Boehmerus (2) et Van-Espen occlamant (3). Honor istius legationis sive vicariatus primum apparet personis, tum locis collatus, et aliquando cum personis extinctus, aliquando ad ecclesias translatus. Prioribus VII. seculis major *natorum*, quam *missorum* fuit potestas, ut ipse Van-Espen monet (4) (b).

(a) Frequentiores ideo fuerunt quum vel cum regno disciplina labefactaretur, ut in Gallia; vel infidelium incursionibus religio contaminaretur, ut in Anglia; vel Arianorum partibus studeretur ut in Hispania (*).

(b) Postquam antiqui mores corrumpi coeperunt, clerus ab sec. praesertim X. simoniae, incontinentiaeque vitio laborabat; episcopalis contra, ac metropolitica auctoritas tantae dissipandae labi impar visa est; tum legatorum *missorum* maxime crevit jurisdictio, utpote qui Romani Pontificis vices plenius subiere illiusque potestatem tum latius explicarunt. Nec autem semper in ecclesiis, quae perpetuae legationis munere fungebantur sive Episcoporum electio, sive eorum gubernatio arrisit Romanis Pontificibus; unde *natorum* auctoritas imminuta, missorum pedetentim adaucta, ut ad seculum circa XI. ad maximum pervenerit fastigium. E contra eo potissimum tempore quo procurationes Pontificiis legatis persolvendae gravate ferebantur, tum ferme per metropolitanos *natae* legationes et expetitae et impetratae, missis aditus intercludebatur.

(1) *In Append. ad lib. V. Petri de Marca de Conc. Sac. et Imp. c. XLII. et seqq.*

(2) *Obs. XVII. c. XXII. cit. l. V. Petri de Marca.*

(3) *Juris Eccl. P. 1. tit. XXI. c. 1.*

(4) *Ibidem.*

(*) *Thomass. de V. et N. E. disc. P. 1. l. 1. c. 31.*

Legatus natus per se plus non potest, quam quod ipsi competit ratione dignitatis, cui legatio perpetua annexa est (1). Nisi nempe per privilegium speciale ipsi plus concedatur ex. gr. dispensandi in certis gradibus consanguinitatis ad matrimonium etc. ut concessum perhibetur Arch. Salisburgensi.

CONCLUSIO QUINTA

Origine et dignitate distincta apocrisariorum seu responsalium, de hodiernis nuntiis aliqua enodantur.

Nuntii, seu legati missi, successisse his videntur, qui olim apocrisarii dicebantur, sive responsales quibus incubuit ut CPoli, ubi diu versabantur, de exitu negotiorum sibi creditorum, Romam responsa mitterent. Sub Pelegio II. ipse Gregorius Magnus diaconus ordinatus, CPolim ablegatus, in palatio ipso Principis moratus est (2). Quamvis vero caeteri Patriarchae atque Esarchi dioeceseon suos haberent apocrisarios, illos Romanae Sedis tamen percellisse eis dignitate patet; quinimo ipsi Patriarchae CPolitani eodem munere perfuncti sunt, ut sub Celestino Papa, Maximianus apud Theodosium juniorem.

Sublatis apocrisariorum legationibus, novae emserserunt per Nuntios, tum in Italia, ex quo saecularis principatus Romanae Ecclesiae accessit, tum in variis occidentis partibus apud principes et respublicas christianas (a).

(a) Cujusmodi hodie sunt vicelegati ecclesiasticae ditionis Avenionis, Bononiae, Ferrariae Flaminiae seu Romandiolae, Ur-

(1) *C.* 9. *h. t. in* 6.

(2) *Dialog. l. III. c.* 32. *et* 36.

De potestate Nuntiorum nihil adseri presentibus moribus potest. Ipsi non obtinent speciales concessiones et extraordinarias legati a latere praecise per hanc clausulam *cum potestate legati a latere* uti Barbosa, Reiffenstuel (1) aliique docent contra aliquot; eo quod in concessione generali non veniant ea quae sunt speciali nota digna ex reg. jur. (2) et quia titulus Nuntii Apostolici cum potestate legati a latere non habetur ullo jure scripto, sed ex stylo curiae Rom. solet adjici legatis missis qui vivae vocis oraculo mandatum acceperunt, ac fimbriam vestimenti Papae tetigerunt. Addunt tamen alii dictam clausulam non esse superfluam sed operari relative, quia se refert ad mandatum pontificium, et concessiones in eo contentas, quae in ampliori forma solent dari talibus legatis.

Potius ergo forma Brevium Pontificiorum attendenda est quibus nunc amplior, nunc restrictior demandatur jurisdictio. Ast ad hoc praecipue inserviunt, ut apud Principes negotia Pontificis tractent, ut pro fidei integritate, et canonum observantia excubent, ut de omnibus quae sunt alicujus nomenti S. Pontificem informent. Ipsisque committitur cura peragendi informationes canonicas circa Episcopos a rege nominatos (a).

---

bini, Marchiae, Umbriae; Nuntii apud regem Hispaniae, Galliae, Lusitaniae, Poloniae, Neapolis etc.; internuntii, seu residentes et quidem in omnibus iis principatibus, in quibus ut ait Cardinalis de Luca *ipse Princeps non residet*, *sed ejus vicarius*, *vel alter supremus magistratus* (*). Ad quaedam negotia minoris momenti mittuntur aliquando *ablegati.*

(a) Hoc in regno collector erat pecuniarum camerae aposto·

(1) *H. t.*

(2) 81. *in* 6.

(*) *Apud Van-Espen J. C. part.* 1. *t. XXI. c.* 1.

CAPUT SEPTIMUM

DE PATRIARCHIS.

Ad formam divinae institutionis, qua inter Episcopos cetera aequales unus potestate praeminet tamquam caput, introductum est ex ecclesiastica et antiquissima dispositione, ut varii jurisdictionis episcopalis gradus constituerentur; praesertim cum jurisdictio, manente aequali ordine, esse inaequalis possit. Hinc in Episcoporum numero alii Metropolitae, primates alii, Exarchi, Patriarchae alii nominati sunt(a).

---

licae. Delegatus in criminalibus contra exemptos cleri quum secularis, tum regularis; et contra regulares extra clausuram delinquentes. Ordinarius judex erat subcollectorum, omniumque officialium, et servientium tribunali nuntiaturae etc. Aliquot tamen limitationes iis imponebantur. Ex speciali jure fundationum denique assensu apostolico firmato hoc in regno Nuntius Apostolicus mandatam habet jurisdictionem super nonnullis ecclesiis et locis ab Archiepiscopo Neap. exemptis; nimirum in ecclesia S. Jacobi Hispanorum et in monasteria olim SS. Conceptionis, nunc Divini Amoris, ac S. Clarae simul in monte et ecclesia S. M. de Patientia Cesarea atque ecclesia S. Angeli ad Nilum (*).

(a) De dictis gradibus universe notandum: I. Quod in canonibus definitum est (**): Primates vel Patriarchas nihil juris prae ceteris habere, nisi quantum sacri canones concedunt, vel prisca illis consuetudo contulit ab antiquo: ita ut secundum Nicaenas regulas sua privilegia serventur Ecclesiis, praeterquam si Apostolica Sedes antiquam Ecclesiam vel rectorem ipsius quolibet speciali privilegio voluerit honorare. II. Hoc sensu inter sedem, et sedentem, inter antiqua privilegia Sedium, et merita sedentium recte distinguitur. Etsi enim diversa nonnunquam

(*) *Bened. XIV. in Const. praeclarum* 51. *t.* 4. *Bull.*
(**) *C.* 9. *h. t.*

De his ergo cum nostrum sit agere, a Patriarchis exordiri nostros commentarios convenit; supremum enim inter Episcopos gradum tenent, Primati tamen universali subjectum.

CONCLUSIO PRIMA

Origo dignitatis et potestatis Patriarcharum exponitur.

Patriarchae antiquitus Archiepiscopi, et Exarchi dioeceseos nuncupabantur (a). Serius dicti sunt qui in civitate Dioeceseos Metropoli constituti, plures pro-

---

sunt merita praesulum; jura tamen permanent Sedium ait S. Leo (*). III. De juribus et privilegiis Sedium inhaerendum est consuetudini inveteratae, neque existat perturbatio et justa querela: hinc deciditur nihil novi in causa subjectionis, et obedientiae attentari debere, possessore, vel reo non citato (**). Verum compositio super jure primatiae ab uno solo, cujus interest, impediri potest (***).

(a) Patriarcha a graecis vocibus *arcos Pater* idest Princeps Pater, sive Summus Patrum. Apud Suidam verbo Patriae, auctor familiae, unde caeteri descendunt, Patriarcha dictus est. Exarchus Dioeceseos dicebatur Patriarcha, ut distingueretur ab Exarchis unius provinciae, qui tantummodo Metropolitani erant. Hi vero etsi unum idemque nunc sint ac Archiepiscopi; hoc tamen nomen prioribus Ecclesiae seculis vix ulli Episcopo dabatur, nisi cujus jurisdictio supra totam aliquam imperii dioecesim se extenderet: sicutque nomen Archiepiscopi, ita Dioeceseos vox antiquitus multo amplioris erat significationis. At quae modo Dioecesis dicitur, antiquitus *Paroecia*. De Dioecesis provinciis, et magistratibus civilis, et ecclesiasticae politiae, consule quae concinne diximus Tom. I. pag. 131.

(*) *Epist.* 119.
(**) *C.* 8. *de M. et O.*
(***) *Juxta rubricam c. fin. eod.*

vincias una ipsa dioecesi comprehensas gubernant; hi vero hoc Patriarchae nomine publica ecclesiae auctoritate primo donati fuere in Synodo Chalcedonensi ann. 451. (1) (a). Etsi dignitas multo ante ac nomine invalueruit (b).

De hujus dignitatis origine pluribus disputant DD. ad quam tamen confidenter affirmamus conspirasse primo, exemplum Apostolorum simul ac civilem imperii politiam, constituta deinc gloria conditoris, et jure paternitatis, moribus tacitis pedetentim aucta, per Synodos magis explicata et praescripta fuit.

Re quidem vera ut unitati consuleretur ecclesiae, quam Paulus scripsit jam annuntiatam *in universo mundo* (2) Apostoli unitatem regiminis curarunt in ea ad formam ab ipso Christo statutam, et majoritate ac obedientia conciliantes subjectionem et concordiam Episcoporum ex uno episcopatu, cujus pars, ut Cyprianus ait, a singulis in solidum tenetur, unum ecclesiae corpus servarunt.

Hinc quoniam nihil felicius faciliusque iis visum

(a) Socrates primus Episcopis christianis qui pluribus provinciis praeessent nomen dedit Patriarchae (*).

(b) Gradus episcopalis jurisdictionis, excepto Primate dispositioni positivae juris ecclesiastici adscribimus. Alii ex jure divino, qua nescio, ratione ducti derivant: alii ex consuetudine, quam appellat Concilium Nicaenum I. circa Patriarchas, uti postea nominati sunt: alii denique ex apostolica traditione eorundem originem arcessunt. Sed consuetudo et traditio mere apostolica uti dictum fuit suo loco, a dispositione juris ecclesiastici nihil differunt. Quid tamen de his gradibus dicendum ex sequentibus patebit.

(1) *Act. I. II. et III.*

(2) *Rom. c.* 1.

(*) *Historia lib. V. c.* 8. *ann.* 440.

est ad disseminandum Evangelium, quam in civitate principe, sive metropoli, fidei semina ingererentur, partitionem sequuti quam civilis imperii corpus in provincias divisum habebat (a) in illis iisdem principibus civitatibus sive metropolibus Episcopos constitutos voluerunt instar normae aliis ejusdem provinciae, et cum potestate quadam praepositos, qua eos ad unitatem attraherent, et quibusdam de occurrentibus negotiis in commune conferrent. Quid ergo ex his Apostolorum factis, civili distinctione provinciarum facile expeditis, nisi exemplum Patriarcharum colligitur? Hisce iisdem curis si non nomine, re et exemplo gradus metropoliticus juxta non paucos DD. inductus dicitur. Eccur ergo et gradus Patriarchalis inficiabitur? Num non eadem ratio est pro utrisque, ita ut Apostoli qui voluerunt uni Metropolitae plures subditos Episcopos, non uni Patriarchae plu-

---

(a) Ibi enim ex aliis civitatibus negotiorum et litium causa magno numero confluebant homines ex aliis civitatibus. Hinc S. Petrus cum ad Judaeos per provincias dispersos atque ad fidem conversos primam daret epistolam eos secundum provincias nominat (*) *Petrus Apostolus, Jesu Christi electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bythiniae.* Dispersionis advenas eos dicit, nam judaei quovis extra Judaeam loco peregrinos se existimabant, et persecutione mota a Judaeis exacerbatis a Stephano, per provincias dispersi degebant Romani imperii. Compellit vero eos secundum provincias; erat enim provincia Bythinia cujus metropolis Nicomedia: Cappadociae provinciae metropolis Caesarea: provinciae Ponti metropolis Amasea: provinciae Asiae proconsularis, metropolis Ephesus: denique Ancyra provinciae Galatiae cui inscriptam epistolam ipsius Paulli habemus. Hic autem cum Crete Titum reliquisse scribit ut Episcopos per civitates constitueret argumentum luce clarius comprobat.

(*) *Rom.* XV. 26.

res Metropolitas subjectos voluerunt? Hoc Apostolorum omnium consilium maxime Petri fuit dum Romae, quae orbis domina erat, Alexandriae Ægyptiaci regni princeps, et Antiochiae orientis regina, non ob solam dignitatem harum urbium qua celerius diffunderetur Evangelium, sedes instituit, quibus praeter episcopalem ordinariam jurisdictionem, ampliorem reddit in Episcopos aliarum provinciarum; inspiciendi nimirum potestatem, ordinandi, ac judicandi (a). Sed etiam ut Episcopi ab his sedibus ordinati, jure paternitatis, ad eas recurrere cum decore possent et promptiori studio deberent unitati consulentes, vel faciendae controversiae causa, vel tollendi schismatis, vel aliud quidpiam agendi ad quod major auctoritas requiri videbatur. Quid clarius? nemo unus certe inficias ibit primas has Sedes Romanam, Alexandrinam et Antiochenam Patriarchales instituisse Petrum, et gloria hujus conditoris, ac jure paternitatis tales eas esse habendas: nihil enim naturae conformius quam ut liberi parentibus, discipuli praeceptoribus, omnesque quibus bona collata sunt, iis unde illa profluxerunt una cum grato animo subjectionem quamdam, facta occasione protestentur (b). Hujus interim necessariae subjectionis usus

---

(a) Vide ep. 37. S. Greg. M. L. VI. de tribus Patriarchalibus sedibus.

(b) At dicet forsan quis. Ecquid non honore Patriarchali illae etiam ecclesiae insignitae, quae ab aliis Apostolis ortum suum habuerunt puta, Hyerosolimitana ubi Jacobus suam sedem statuit; Ephesina, ubi Joannes cui successor extitit Timotheus? Verum quoniam Patriarchica dignitas a primatu, non ab Apostolatu descendit, ratio inde colligitur cur sedes aliorum Apostolorum jure patriarchico insignitae non sint.

mores instruere debuit, quibus peletentim jura Patriarcharum magis inducerentur, ut ex monumentis ecclesiasticis testimonia comprobant: unde et Polycrates Episcopus Ephesinus ad discutiendam de Paschate quaestionem, omnes Episcopos Asiae Proconsolaris in Synodum coegit, cui ipse praefuit (1), et de Dionysio Alexandrino Athanasius tradidit, quod medio tertio seculo concilium habuerit Episcoporum Lybiae superioris ob serpentem Sabellii haeresim (2).

Ultra demum moribus Patriarcharum potestas explicata ac praescripta fuit per Nicaenam S. Synodum, deinde per CPolitanam; nam altera habet (3). *Antiqui mores serventur, qui sunt in Ægipto, Lybia, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter et in Antiochia et in aliis provinciis, sua privilegia ac suae dignitates et auctoritates ecclesiis serventur:* altera (4) *Episcopi qui extra dioecesim sunt ad ecclesias quae extra terminos eorum sunt, ne accedant: neque confundant, et permisceant ecclesias, secundum regulas constitutas; sed secundum canones Episcopus Alexandrinus Ægyptum solum regat* (a).

(a) Sedis Alexandrinae thronus praeest Antiocheno, etsi hunc tantummodo per D. Marcum D. Petrus fundaverit; quia ordine civilis politiae Alexandria Antiochiae praestabat; nam praefectura illius dicta *Augustalis* a nomine *Augusti* prae ceteris magnificentissimis privilegiis decorata et adaucta, ita ut sex Ægypti provinciis totique Ægypti Imperio jus diceret. Ipsum vero illustrarunt post S. Marcum, S. Petrus martyr, S. Athanasius, S. Eulo-

(1) *Eusebius histor. ecclesiast. lib. V. c.* 24.

(2) *Epist. de sentent. Dionys.* §. 3.

(3) *Cit. can. VI.*

(4) *Can. II.*

In his verba τω *antiquiores*, et τω *secundum regulas constitutas* aperte demonstrant patriarcharum jus Episcoporum Romani, Alexandrini, et Antiocheni ante

gius, S. Joannes eleemosynarius, ceteri orthodoxi: commaculavere autem, Ariani, Eutychiani, Monothelitae, aliique haeretici Patriarchae in eo interpolate sessi cum catholicis usque ad annum 634, quo Saracenorum tyrannidi cessit Ægyptus. Tamen singulae fere haeresum sectae suos habere Patriarchas, eosque titulo antiquarum Sedium decorare consueverunt. Cophtos Partriacham suum Alexandriae sedentem adhuc habere: atque Abyssinos Patriarcham totius Æthiopiae, subjectum quodammodo Cophtensi Patriarchae, monet Dupinius (*). Pallium Patriarchae Alexandrino Clemens XI. postulante Prospero Lambertino tunc advocato concistoriali indulsit (**).

De Sede Antiochena Innocent. I. rescripsit epist. ad Alexandrum Antiochenum: illam Sedem, Romanae censuram nunquam fuisse, *nisi quod illa in transitu meruit, ita susceptum et apud se consummatum gauderet.* Sed secundum quoque (nedum Romanae primum) locum Alexandrinae, in secunda imperii urbe erectae concessit. Ex Antiochenis Patriarchis alii orthodoxi fuerunt et sanctitate conspicui puta, SS. Evodius, Serapio, Babyla, Ignatius martyr, Cyrillus, Meletius, Flavianus, Anastasius Sinaita, alii haeretici, aut schismatici, quales fuere Paullus Samosatenus, Leontius, Eudoxius, Porphirius etc. Post seculi XI. medietatem debellatis Agarenis, et Antiochia revindicata fuit graeco imperio, Antiocheni Patriarchae, CPolitano velut Œcumenico Patriarchae subjecti fuerunt. Ast ejurato schismate Antiochenus Patriarcha seculo XI. sese in sua Sede obtinuit confirmari a S. Leone IX. Ab anno 1098. quo latini Antiochiam adepti sunt, ad annum usque 1268. Patriarchae etiam latini eam occupavere cathedram. Postquam vero Syria in gravitatem recidit Saracenorum illis successerunt Patriarchae Maronitarum orthodoxi in Monte Libano sedentes, ibi enim latini profugi se receperunt, ab Alexandro IV. exornati titulo Antiocheni Patriarchae, quo abhinc tempore usi sunt. Benedictus XIV. ob eligentium Maronitarum Episcoporum discordiam quum repulisset duos ab iis electos, Simonem Petrum Eno-

(*) *Tr. de antiq. eccl. discipl. diss. I.*
(**) *T. 2. Bullarii in append.*

Concilium Nicaenum institutum, atque semper illorum sedes Patres, utpote a Petro originem ducerent, singulari honore sint prosequutae. Hinc de origine earumdem Sedium Patriarchalium Patres heic non expenderunt; sed ea fortasse de causa de regulis, moribus et consuetudinibus dixerunt, quia de privilegiis agebatur quibus ecclesiae illae fruebantur; ipsique confirmabant explicabantque magis.

Non latet nos maxime obstare nostro argumento opinio illorum qui in cit. canone Nicaeno non de Patriarchica, sed Metropolitica dignitate agi arbitrarunt inter quos eminet Launojus. Mirum vero quod noster Cavallarius hanc sequutus sit sententiam, ut inde efficere quis possit, Nicaeno concilio recentiorem esse Patriarchatum Ecclesiae Romanae in Occidentem universum. Sed inepte nam Alexandrino Episcopo potestas conceditur cit. can. Nicaeno non

---

dium Damasci Archiepiscopum Patriarchatu Antiocheno decoratum praefecit Maronitis.

Suos etiam Antiochiae Patriarchas Graeci Melchitae qui ante schisma catholici non postea erant, ab CPolitano ordinatos habere non destiterunt, ante et post latinorum ditionem. Dorotheus I. Antiochenus Patriarcha sec. XV. in Synodo Florentina detestatus schisma ad catholicam redivit fidem, successoribus in schisma relapsis. Seculo XVII. labente Athanasius et Cyrillus fidei professionem ad Sedem Romanam transmisere ut ab eo pallium acciperent sed sua spe frustrati sunt. Cyrillum alterum a Graecis-Melchitis electum pro aperta erga Sedem Roman. obedientia contra Sylvestrum schismaticum Antiochenae Sedis invasorem, ob idque in Monte Libano exulantem Bened. XIV. ann. 1744. auctoritate apostolica confirmavit, et pallii auxit decore (*). Ritusque Ecclesiae Graecae observandos Melchitis jussit, Maronitis Maroniticos.

(*) *Brev. die* 29. *febr.* 1744. *datis tom.* 1. *Bull. const.* 32.

solum in Ægyptum, sed etiam Pentapolim et Lybiam, et Antiocheno Episcopo ab eadem Synodo non unius alterius provinciae sed totius dioeceseos Orientalis, hoc est provinciarum quindecim, quae Oriente continebantur, administrationem fuisse commissam diserte tradunt Hyeronim. (1) et Inn. I. (2). Quae patriarchica jura Alexandrini, et Antiocheni Episcoporum, quoniam ad exemplum Episcopi Romani componuntur, ait enim laudatus canon: *quandoquidem et Episcopo Romano consuetum*; patet non de metropolitica dignitate agi in eo, sed Patriarchali, et quidem Romana, Alexandrina et Antiochena.

Nec contra argumentum praestant verba ejusdem canonis, *similiter autem, et apud Antiochiam, ceterasque provincias*, ut istic de jure metropolitico disseretur: Nicaeni enim PP. voce *provincias* regiones Patriarchatus Antiocheni innuere voluerunt. Error equidem est quod *ceteras* quas dicit *provincias*, provinciae sint extra Patriarchatum Antiochenum, secus inter privilegia quae memorat canon, cum sit illud ordinandi metropolitas, et Episcopos provinciarum, contra regulas ecclesiae idem tribueret etiam meris metropolitis. Praeterquam quod supervacaneum esset canon hic VI, de metropolitica dignitate, jam enim can. IV. ipsius concilii expresse cautum erat de metropolitis. Demum si sex tantum viciniorum episcopatuum curam haberet Papa, tunc fieret ut Alexandrino latissimae provinciae Ægypti; Libyae, et Pentapoleos, Antiocheno universus Oriens, Romano vero Episcopo, qui est omnium primus Patriarcha-

(1) *Lib. contra Joann. Hierosolym. c.* 37.
(2) *Epist.* 24 *ad Alexandrum Antioch. apud Costant.*

rum, minores tribuerentur regiones; praesertim cum portiones aliis assignandae normam sequutae sint Rom. Patriarchatus: *quemadmodum*, *et Episcopo Rom. eadem est consuetudo*. Quare illuc verteretur oratio: Episcopus Alexandrinus totius Orientis curam habet, eo quod Rom. Episcopus suburbanorum, seu pauciorum curam habet.

At esto vera opinio allata; nihil contra nostrum adsertum facit; non enim jura Patriarchica quae conciliis debentur stricte accepta, antiquis moribus ex canonibus allatis adscribimus, sed quia pedetentim inducta; utpote ab exemplo Apostolorum ac re orta, etsi non nomine fuerint. Non ergo post Nicaenum concilium ex canone eodem VI. recentior est Patriarchatus Rom.

CONCLUSIO SECUNDA

Jura et officia Patriarcharum exponuntur.

Tam veteris quam novae disciplinae jura et privilegia Patriarcharum ad ista plane summa capita rediguntur. 1.° Suarum dioecesum Metropolitas ordinare (1) iisque pallium tradere (2) et eorum electionem a Synodo dioecesis accipere (3) Synodum Dioecesanam indicere eique praesidere (a). 2.° Adpellatio-

---

(a) Ante CPolitanum I. jure potius consuetudinis, et ex antiquis moribus; post illud quo fines dioeceseon distincti et praescripti fuere, jure Patriarchico certo et definito.

(1) *Cap. IV. de causs. poss. et propr.*

(2) *Innocent. III. in Concil. Later. IV. can.* 9. *in cap. antiqua* 23. *de priv.*

(3) *Concil. Chalced. c.* 28. *Novell.* 7. *c.* 1.

nes a Metropolitarum judiciis accipere (a). 3.° Majores causas judicare (1). 4.° In delinquentes Metropolitanos, aut si ii negligentes fuerint in ipsorum suffraganeos animadvertere (b). 5.° In rebus magni momenti a Metropolitis suis consulendi (c). 6.° Generales canones et leges imperiales ad ecclesiasticum regimen pertinentes promulgare ac promulgandas Metropolitis, et suffraganeis transmittere (2). 7.° Enormis culpae reorum absolutionem sibi reservare (d). 8.° Legatos Metropolitos constituere, sive Apocrisarios apud Imperatorem (3). 9.° Adhaec, olim dabatur eis subditos ordinare Patriarchatus sine ordinariorum venia; curam gerere singularem monasteriorum, regulasque monachorum adprobare, jure *stauropegii* monasteriorum

---

(a) Chalcedonensis Synodi can. IX. sic se exprimit: « si autem cum ipsius provinciae Metropolitano Episcopus, aut clericus controversiam habeat, dioeceseos Exarchum adeat. » Quod confirmatum a Justiniano fuit (*).

(b) Ita Chrysostomus in nonnullos Episcopos qui vendiderunt in Lycia Phrigia atque in Asia sacerdotia, ab ecclesiis suis dimovit (**).

(c) Episcopi Ægypti damnationem Eutychetis in Synodo Chalcedon. ab omnibus subscriptam, id facere detrectarunt inconsulto Arch. Alexandrino, qui nondum ordinationem acceperat.

(d) Quo adludit Synesius (***) qui ita de Lampaniano Presbytero injuriarum crimine convicto et damnato: « quamquam » ex animi poenitentia lacrimas fudit, et supplex eum populus » condonare sibi petiit; ego tamen in iis perseveravi, quae semel decreveram: solvendi porro jus et auctoritatem ad Pontificiam rejeci. »

(1) *Chalced. Synod. act.* 4. *c.* 30.

(2) *Nov.* 6. *et* 42. *in fine.*

(3) *Nov. VI. c.* 2.

(*) *In L. sancimus ut nemo* 29. *c. de Episcopal. audient.*

(**) *Sozomenus Hist. Eccl. lib. VIII. c.* 6.

(***) *Epist. LXVII, ad Theophilum.*

ab Episcopi jurisdictione sibi reservare, Polystaurium, seu casulam multis contextam crucibus gestare (1), elatam cum duplici antenna crucem ubique deferre, praeterquam Romae, aliove in loco, ubi adesset Papa, ejusque Legatus a latere (2), accensas lampades preseferre (3). Rocheto, et palliolo, vulgo *mantelletta*, et birro, vulgo *mozzetta* superindutos per urbem incedere (4) et lemniscis nigris, vulgo *fiocchi*, equos proprii currus ornare (5). Aliaque sive jura, sive ornamenta habere, quae apud Thomassinum (6) legi possunt. Verum tum multa, ex quo majores causae Rom. Sedi reservatae fuerunt, vetita sunt eis; tum multa coarctata (7) ut nec omnia singuli, nec ubique semper eadem obtinuere jura, nec adhuc obtinent.

CONCLUSIO TERTIA

De Romano Patriarchatu ejusque confiniis disseritur.

Pontifex Romanus universae ecclesiae Pastor summus et Papa, pluribus imo cunctis Episcoporum gradibus dignitatibusque simul consociatis potitur, non reluctante jure; cui enim maximum convenit, minus

---

(1) *Marca in diss. de const. Patr. inst.*
(2) *C. antiqua* 23. *de privilegiis.*
(3) *Bened. XIV. l.* 2. *de Synod. Dioec. c.* 6.
(4) *Ex indulto Bened. XIII. quatuor Patriarchis concess.*
(5) *Dec. S. Cong. Caerimon. die* 23. *novemb.* 1742.
(6) *De Vet. et Nov. Eccles. Discip. P. I. lib.* 1. *cap.* 9. *et seqq.*
(7) *Innocent. III. in Concil. Later. IV. can. V.*

contradicere non potest: et superior dignitas non supprimit, sed elevat inferiorem (a). Hinc Episcopus urbis Romae, est Metropolita Rom. provinciae, Italiae Primas, et Occidentis Patriarcha; qui ceteroqui Patriarcha Oecumenicus in concilio Chalcedonensi dictus fuit etiam Patrum acclamationibus, quas D. Thomas commemorat contra errores Graecorum (1) laudatus a Rom. correctoribus (2). Ipse idem qui caeteris sedibus Patriarchalibus collapsis, solus in sua Romana sedit immobilis, missis in irritum tot inferorum conatibus, haereticorum (qui ex Epiphanio in *Anchorato* sunt portae inferi), ita ut argumentum sit omnipotentis illius vocis: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam . . . . et portae inferi non praevalebunt adversus eam* qui omnium semper parens, et magister ac princeps habetur; hinc reliquis Patriarchis non solum ratione loci, sed ratione majoritatis et supremae potestatis major est, et omnem dignitatem, quam habent simul illi, habet solus ipse (3).

Patres interim Nicaeni quoniam celebri can. VI. jam dicto dum limites Patriarchatus Alexandrini edixere, de Romano mentionem non interposuerunt, plurimae inter eruditos turbae excitatae videntur (b), e

---

(a) Uti qui Metropolita, idem Episcopus est; qui Patriarcha est idem Metropolita, idem Episcopus.

(b) Ex eodem canone VI. Lutherus et Calvinus oppugnare conati sunt primatum Romani Pontificis, hunc coarctantes intra limites, et quidem perexiguos solius Patriarchatus. Sed medius fidius falsa somniare, non vera disputare videntur, Patribus Nicaenis initio ipsius canonis ajentibus *Ecclesia Romana semper habuit primatum: antiqua autem consuetudo servetur* etc. quibus

(1) *In opusc.*

(2) *Post. can. ecc.* 5. *dist.* 39.

(3) *Bellarm. t.* 1. *contr.* 3. *l.* 2. *c.* 18.

quibus ut viam facile teneamus, tamquam duce filo Ariadnaeo procedendum nobis est.

Et primo ex Rufini versione ejusdem canonis quae sic se habet (1). *Ut apud Alexandriam et in urbe Romana vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum sollicitudinem gerat;* Jacobus Gothofredus, (2) mox Claudius Salmasius (3) ut auctoritatem pontificiam oppugnarent intra centesimum ab urbe lapidem fines posuerunt Patriarchatus Romani. Horum sententia ridenda potius est quam refutanda ut ex sequentibus argumentis facile erit videre, cui alii alia sentientes contradicunt. Ne igitur alieno tempore immoremur, eo vel magis quod quisque adire poterit Jacobum Sirmondum, qui egregie illos refutavit (4); cui adhaesit Dupinus (5) et ex protestantibus Germanis Christianus Kortholtus (6); alteram potius juvat referre sententiam.

Iidem Sirmondus (7) et Dupinius (8) cui adhaeserunt Dughetiis, aliique ex ipsis Heterodoxis, Suburbicarias Rufini Ecclesias esse voluerunt quae Vicario

---

verbis in ipso Chalcedonensi (*) a Paschasio Episcopo cit. canon. laudatus fuit. Hinc ex neglectu despicimus illos.

(1) *Histor. eccl. lib.* 1. *c.* 6.

(2) *In anonymis Dissertationib. nimirum in conjectura de suburbicariis regionibus et ecclesiis.*

(3) *In amici ad amicum epistola de regionib. et ecclesiis suburbic.*

(4) *In censura conjecturae anonymi scriptoris de suburbicariis regionib.*

(5) *De antiq. eccles. discip. dissert.* 1.

(6) *Comment. Historico Eccl. de eccles. suburb.*

(7) *Cit. loc.*

(8) *Cit. loc.*

(*) *Art. XIV.*

Urbico obtemperabant; sive decem provincias Praefecturae Rom. subjectas nimirum, Picenum, Campania, Thuscia, et Umbria, Apulia, et Calabria, Brutii, et Lucania, Samnium, Valeria, Sardinia, Sicilia, et Corsica. Hinc his decem provinciis quae Vicario Urbico parebant, Romanum concludunt Patriarchatum. Eorum argumenta in his versantur scilicet: Romanus Patriarcha non ultra provincias Vicario Urbico subjectas juribus patriarchalibus usus est. In reliquis Occidentis provinciis et ipsa Dioecesi *Italica* quae Mediolanensi Antistiti subjiciebantur, Episcoporum ordinationes et Metropolitarum a Synodis provincialibus peragebantur. Uti Ecclesia Romana Dioecesanas Synodus habebat, ita aliae Occidentis Ecclesiae suas cogebant Synodos. Demum ex Rufini versione Romano Patriarchae Ecclesiae Suburbicariae subjiciebantur: hae vero eodem pacto dicuntur ac regiones suburbicariae nimirum, quae decem continebantur jam dictis provinciis. Quod animi propositum in his sit, ex dicendis patebit.

Tertio Morinus (1), Petrus de Marca (2), Natalis Alexander (3) aliique, Romanum Patriarchatum ad totum extendunt Occidentem non levioris momenti argumentis adducti, quae clariss. Vir hujus cleri Neap. Antonius Octaviani in opus collegit inscriptum de veteribus finibus Rom. Patriarchatus, editum hic Neap. ann. 1828. Quibus equidem demonstrat, ut est videre, Rom. Patriarcham per solidum Occidentem exercuisse a primis Ecclesiae saeculis potiora quae sunt jura

(1) *Exercitat. Ecclesiast. lib.* 1. *exercit.*
(2) *De concord. Sac. et Imp. l.* 1. *c.* 3. 4. *et* 5.
(3) *Hist. Eccl. secul. IV. Diss.* 20.

Patriarchatus nimirum, Synodum Dioeceseos cogere, eidemque praesidere, Metropolitas ordinare, appellationes a Synodis Provinciae recipere (a).

(a) Et primo animadvertit laudatus auctor cum cit. Morino, de Marca aliisque quod Synodos Occiduae terrae Patriarcha Romanus coegit, harum enim decreta hic interposuit in litteris suis; quod ex Eusebio colligitur (*), qui narrat ineunte seculo III. ad Fabium Antiochenum, misisse Cornelium epistolas in quibus *tum acta Synodi Romanae habita, tum quae ab omnibus in Italia, in Africa inque aliis Provinciis de eo errore statuta sunt* (haeresi Novitiana): adhaec testatur extremam ex illis vidisse subscriptam ab omnibus Episcopis. Demum teste Socrate (**) ann. ferme 336. Papa Liberius Synodicas suas epistolas ad Orientales Episcopos inscriptas: *Liberius Episcopus, et Occidentis Episcopi salutem misit:* quae ergo Episcoporum Occidentis memoria in illis, nisi horum decreta Liberius uti sua edidit, quoniam se cogente, se presidente in Synodis occidentalibus sancita fuere. Hoc et Agathonis Papae Synodica etiam epistola demonstrat (***) sic inscripta *Agatho Episcopus Servus Servorum Dei cum omnibus Synodis ad Apostolicae Sedis Synodos pertinentibus*. Ipseque (****) quorum Episcoporum coactae Synodi essent illae nimirum solidi Occidentis, his verbis monet: *Ad Oceani usque fines exporrigi ad Occidentem, ac Septentrionem habitare inter Longobardos, et Sclavos, inter Francos, Gothos ac Britannos versari.*

Alterum jus Patriarchae quod est Metropolitas ordinare duplici ex regula juris ostendit idem Auctor exercuisse Rom. Patriarcham in solido Occidente: 1.ª *qui Episcopi pertinent ad consecrationem, pertinent et ad Synodum:* 2.ª *qui aliquem ordinare non potuit, nec judicare potest:* ergo ait, si ex demonstratis pertinent ad Synodum Metropolitae quam Papa cogit, ad Papam eos consecrare pertinet. Si Papa judicat illos, illos et consecrat. Praeterea argumentum roborat praescripto Gratiani Imp. quo non solum Praefecto Italiae, verum et Praefecto Galliae et Proconsulibus praecepit exequi quod ei postularet (ne Pastores a Rom. Sede damnati Ec-

(*) *Exercitat. Ecclesiast. lib. 1. exercit. 3.*
(**) *Hist. Eccl. secul. IV. Dissert. 20.*
(***) *Act. IX.*
(****) *Ibid.*

Ut aequa judicii lance perpendantur hae sententiae, nostrum est 1.° praeter alia animadvertere quoad secundam sententiam : mentem Nicaeorum PP. numquam fines Patriarchatus Romani praescripsisse ; quos nec de provinciis suburbicariis loquutos fuisse constat. Quippe Italia a Costantino nonnisi ann. 330, quo, victo Licinio, summa rerum potitus est, ita dividi potuisset. Nicaenum interim ann. 325. *ex forma* (ut loquitur Nicolaus I. epist. ad Michaelem Imper.) Patriarchatus Romani, *antiquos mores* servari jussit pro Alexandrino. Nihil ergo ponit Rufini versio, et eo vel magis quod hic nec adcuratus seculi V. scriptor, nimium sibi indulgens ex divisione tum

clesias impune retinerent) et Damasus Papa et omnes Italiae Sacerdotes in Synodo congregati (*). Nisi enim jus Patriarchicum erat Damasi, quomodo postulatio ejus communis fuisset Sacerdotibus Italiae in concilio congregatis, quomodo hoc rescriptum Imperatoris observandum a Prefectis Pret. Italiae et Galliae ac Proconsulibus ? Hoc idem probat, firmatque St. Balutius *in notis* ad fragmentum *ep.* Joannis VIII. ad Paulum Episc. Anconitanum in Germania, et Pannonia legatum apostolicum. *Non solum*, scribebat Pontifex, *intra* Italiam, *ac celeras* Hesperiae *provincias*, *verum etiam intra totius* Illyrici *finis consecrationes, ordinationes, et dispositiones Apostolica Sedes patrare antiquitus consuevit.*

De jure tandem appellationum quod exercuit Patriarcha Romanus ex historiographis prae aliis, frequentius quam alibi, in Occidentalibus Ecclesiis, comprobat Auctor cit. verbis Leonis ep. ad Viennensis Provinciae Antistites (**) *Nobiscum itaque vestra fraternitas recognoscat Apostolicam Sedem pro sua reverentia, a vestrae etiam Provinciae Sacerdotalibus innumeris relationibus esse consultam et per diversam, quemadmodum vetus consuetudo poscebat, appellationem causarum, aut retractata, aut confirmata fuisse judicia.*

(*) *Tom. II. Concil.*
(**) *Epist. LXXXIX.*

Italiae explicavit comparationem a Nicaenis Patribus institutam quoad jus Metropoliticum.

Verum de his qui ad solidum Occidentem hunc Patriarchatum extendunt, ambigendum non est quod sentiant Romano Pontifici non solum qua Petri successori, sed etiam qua Occidentali Patriarchae, Occidentis curam praecipua quadam ratione convenisse. Quo modo a Basilio (1) *Occidentalium Coriphaeus* dicitur, et ab Augustino contra Julianum (2) *Occidentalis Ecclesiae Praesidens*, et a Justiniano (3) *Patriarcha Hesperiae* (a) *et Romae* h. e. Occidentalis Romae dictus fuit, cujus rationem affert Innocentius I. (4) quod *sit manifestum in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, Insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut ejus successor constituerint Sacerdotes.* Addesis S. Hyeronimum (5) qui commemoratis Patriarcharum Antiocheni et Alexandrini ditionibus, *quecunque supersunt*, ait, *Ecclesiae idest Occidentales, sunt Sedis Apostolicae, Romanumque Episcopum ut Patriarcham agnoscunt et venerantur.* Hinc si intra solas suburbicarias provincias Patriarchae Romani jus extenderetur, cuinam alteri Patriarchae subessent tunc aliae provinciae Occidentis? Vel ergo

---

(a) *Hesperia* apud veteres significat Italiam; apud mediae etatis scriptores Occidentem. Lege Theodorum Hist. Eccl. (*).

(1) *Epist.* 234 *ad Eusebium Ep. Samosat.*

(2) *Lib.* 1.

(3) *Novel. c. IX. in Praefat.*

(4) *Epist. XXIX. ad Decent. Ep.*

(5) *Lib. adversus Vigilantium.*

(*) *Lib. V. c.* 23.

Occidens totum Romano Patriarchae subjectum dicitur; vel absurdum admitti debet nimirum, plurimos esse ibi Metropolitas nulli Patriarchae subjectos contra illud Leonis (1): *magna ordinatione provisum est, ut essent singulis Provinciis Metropolitae, et in majoribus urbibus Patriarchae.* Demum quia constat jam a Papa fidem accepisse totum Occidens, proinde uti Patriarchae recte grato animo subjectionem protestatus est ei, a quo specialem quemdam curam accepit; ratione enim Apostolatus Occidentis totius dioeceses in partione provinciarum eidem obvenere (a).

Sunt demum qui tertiam incunt viam firmiter tenentes Romanum Pontificem solidi etiam Occidentis Patriarcham fuisse: at ita tamen, ut Patriarchica jura *stricte* sumpta nonnisi in Ecclesiis Suburbicariis immediate exercuerit; sed quoniam ordinationibus omnium Occidentalium satis par esse non poterat,

---

(a) Solidam Italiae dioecesim bipartiebant duobus Vicariis. Priores decem provincias *Vicarius Urbis* regebat; septem reliquas *Vicarius Italiae* scilicet Flaminiam et Picenum alterum, Venetiam et Histriam, Emiliam, Liguriam, Alpes, Cottias, Rethiam primam et secundam, quarum in spiritualibus regimen erat penes Exarchum Mediolani, et Metropolitas Ravennae et Aquilejae. Archiepiscopum Milanensem proin ordinatum ostendit S. Gregorius M. (*) nonnisi praevio Papae consensu. Prefectus praetorio per Illyricum duas administrabat dioeceses Macedoniam et Daciam. Exarcha sacer in Macedonia erat Episcopus Thessalonicensis: in Daria Episcopus Sardicensis, sive Justinianae I. Holstenius in lucem prodiit multas Pontificum epistolas, praesertim Damasi, Siricii, Innocentii, Bonifacii, item acta Synodi Rom. sub Bonif. II. unde liquet Thessaliam, ceterasque Illyrici provincias Rom. Patriarchae paruisse.

(1) *Epist.*

(*) *Lib.* 2. *epist.* 31.

hinc reservata sibi generali quadam, seu *late* sumpta Patriarchica cura totius Occidentis, quam in majoribus causis exerceret, in provinciis Suburbicariis tantum ordinationes omnium Metropolitarum, atque Episcoporum retinuerit.

Quanti valeant haec ut de finibus Patriarchatus Romani judicium ferre possit, justo celerius ne quis dicat.

CONCLUSIO QUARTA

Patriarchalis Sedes CPolitana excutitur; et natura Exarchorum distinguitur.

Ubi Sedes imperii per Costantinum translata est Byzantium, CPolis ab ejus nomine appellata fuit; tum et nova Roma dici, et ejus Antistites dignitatem suam promovendam esse contenderunt. Jam ann. 381 can. III. Synodi CPolitanae I. cautum sic fuit: *Episcopus CPolitanus habeat priores honoris partes post Romanum Episcopum, eo quod CPolis sit nova Roma.* Ea honoris praerogativa Episcopi CPolitani inflati, in vicinas Dioeceses, Asianam, Ponticam et Thraciam jurisdictionem invitis Episcopis exercuerunt (a).

In has tres Dioeceses faventibus Imperatoribus praeter regulas canonicas iidem Episcopi CPolitani quaedam Patriarchica jura exercere non destiterunt, donec in Concil. Chalcedonensi subreptitio can. XXIII. obtinuere, ut earum trium Dioeceseon Metropolitani,

---

(a) Dioeceseon Exarchi nomine tantum a Patriarchis distincti, in Oriente erant Ephesinus in Asiana, Caesareensis in Pontica, et Heracleensis in Thracia Dioecesi.

a throno sanctissimae CPolitane Ecclesiae ordinentur; unoquoque scilicet praedictarum Dioeceseon Metropolitano, cum provinciae Episcopos ordinante (a).

Intercesserunt huic novitati S. Leo, Gregorius M. Nicolaus I. aliique violatam dolentes politiam inductam vel confirmatam in Synodo Nicaena. Ast Aula favente, et Theodosii, Basilisci Tyranni, Zenonis, et ipsius Justiniani freti auctoritate, Episcopi, illi adhuc jura Patriarchalia exercerunt (b).

Tandem ut Graeci in fide nutantes retinerentur in comunione catholica primum in Synodo CPolitana III. seu Oecumenica VI. ann. 680. can. XXXVI. sancitum, *ut thronus CPolitanus aequalia privilegia cum*

(a) Non solum Canon hic, sed duo alii etiam fraudolenter adjuncti fuere occulta conspiratione nonnullorum Orientalium absentibus Pontificiis legatis, et imposito fine concil. Chalcedonensi, in gratiam Anatolii Episcopi CPolitani. Unde ipse vafer Nilus humanae blateravit etiam institutionis Primatum Papae.

(b) Primatum Romanae Sedis discrimini objcientes audacter se Œcumenicos dixere. Seculo VIII. agente Leone Isaurico odio Rom. Sedis, huic Patriarchatui subtracta sunt non solum Illyricum Orientale, sed et cum Sicilia et Calabria, plurimaeque Regni Neap. Ecclesiae praesertim maritimae quae sub graeco erant imperio. Nimirum Rhegiensis Metropol. cum tredecim Suffraganeis, S. Severinae cum quinque Suffraganeis, Hydruntinae sine Suffraganeis primum, deinde cum quatuor Suffraganeis, Syracusanae cum tredecim, Bariensis, Tranensis aliique. Secul. IX. Bulgaria etiam adjuncta fuit ei. Postremo etiam Primatum universae Ecclesiae adfectarunt ann. 1054. A Rom. interim Ecclesia desciscentes sub Turcarum imperio cum religione Patriarchatum amiserunt, cum jam seculo XI. Northmanni nostri Principes, devictis graecis, restituerunt Rom. Pontifici omnes Ecclesias cum suis juribus. Istorum nonnullae ritus graecos tenacissime servarunt, ad haec usque tempora a Rom. Ecclesia permissos.

antiquae Romae throno obtineat, et in ecclesiasticis negotiis, ut ille magnificat, secundus post illum existens; dein et in Lateranensi IV. Innocentius III. ann. 1215. can. V. decrevit; *ut post Rom. Ecclesiam, quae disponente domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote Mater universorum Christifidelium, et Magistra, C. Politana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana quartum locum obtineat, servata cuilibet propria dignitate.*

CONCLUSIO QUINTA

Sedis Hierosolymitanae dignitate Patriarchali excussa, nonnulla de Patriarchis minoribus et titularibus disseruntur.

Hierosolymitana Ecclesia (a) ob sanctitatem urbis, quae mater christiani nominis a Justino imp. dicta fuit et in ea Christi thronus fuit S. Jacobo primum traditus, et ob frequentes peregrinationes ad eam ab omni christianitatis parte, quae primum merus episcopatus fuit, nudo honore tituloque Patriarchatus sine dioecesi donata fuit a concilio Nicaeno ann. 325. *Metropoli* (Caesareensi cui tamquam suffraganea suberat) *propria dignitate servata* (1). Hunc honorem illi Ecclesiae concessum ex altera parte Caesareenses

(a) Hierosolyma ab Ælio Hadriano Augusto circa ann. Christi 134. instaurata, ab ejus nomine *Ælia* dicta fuit, etsi recens Ælia non in ipso eversae Hierosolymae loco, sed aliquando procul ab illius ruderibus excitata fuit; et a Nicaeni PP. novae urbis Antistes Æliensis adpellatus semper fuit.

(1) *Can. VII.*

Episcopi graviter tulerunt; ex altera Hierosolymitani non satis habentes, per Synodum Chalcedonensem lis composita fuit (a) ubi statutum (1): *ut Antiochenus Episcopus duas Phoenicias, et Arabiam sub propria habeat potestate; Hierosolymitanus autem tres Palaestinas itidem sub propria potestate habeat.* Abhinc ergo quinque numerati fuere Patriarchae, Romanus, CPolitanus, Alexandrinus, Antiochenus et Hierosolymitanus.

Antiquis Patriarchis posteriore aevo alii accenseri possunt occidentales, qui *minores* propterea dicti sunt, scilicet Aquilejensis, sive Forojuliensis, Gradensis (qui hodie Venetus dicitur), Indianus, et Lusitanus. Eorum potestas trahitur in omnes certi regni, ac nationis Metropolitas et Episcopos, ipsi vero Majori Patriarchae subjiciuntur, cujus intra fines episcopatum tenent. De his vide Gagliardum (2).

Ecclesiae autem Orientis subacta Palestina an. 1099. sacri belli expeditionibus Occidentalibus suos habuerunt Patriarchas ex Latinis creatos; imo et in iis tum urbibus in quibus Graeci simul erant, Latini Episcopi creati sunt (b), etiam in posterum cum eje-

---

(a) Medio fere secul. VI. Acacius Caesareensis ea de re simultates quasdam cum Cyrillo Hierosolymitano habuit adeo ut eum deponere, et Hierosolymis expellere auderet. Hierosolymitani e contra primum jura Metropolitae Caesareensis, dein et Palestinam sibi subiicere studuerunt.

(b) Benedictus XIII. iis facultatem concessit ut in omnibus publicis privatisque functionibus *Exomidem* gestare possent, *super auriculo breviori* (*).

(1) *Act. VII.*

(2) *Inst. Can. lib. 1. n.* 13.

(*) *Bulla Rom. Pontifex ann.* 1724.

cti iterum a Graecis fuerunt, postquam eas urbes recuperarunt, sive ne praesidium aliquod iis deesset Latinis, qui inibi etiam degerent, sive quod spes esset captis regionibus denuo potiundi iis, sive ad vetusti juris imaginem retinendam (1). Quare et nostris hisce temporibus non solum Episcopi titulares habentur, de quibus cum de Episcopis disseremus sermo erit; sed et titulares Patriarchae a S. Sede creari solent, quibus praerogativa inest nominis et honoris, nihil vero jurisdictionis (a). In diversis erroribus inde cum Orientales Episcopi versarentur, ex sectarum diversitate, diversi minores Patriarchae prodierunt. Quippe ex ruina Antiocheni, et Hierosolymitani emerserunt Patriarcha Maronita (qui catholicus hodie est, et Syriaca lingua divina persolvit), Jacobita, Armenus, Georgianus: ex divisione vero CPolitani et Alexandrini, Cophtus qui et Abyssinus, Moschovita (2).

(a) Canonibus quibus uni Ecclesiae duos praeesse Pastores vetitur pro ratione temporum neglectis.

(1) *Thomassinus de V. et N. Eccl. Discipl. Part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 28.

(2) *Idem cit. loc. c.* 24. *et seqq.*

CAPUT OCTAVUM

DE EXARCHIS ET PRIMATIBUS.

CONCLUSIO UNICA

Exarchorum natura, atque Primatuum distinguitur, eorumque jura aperiuntur.

Exarchos graece, principem apud latinos seu primatum sonat: hoc loco speciatim pro Antistite ecclesiastico accipitur qui Exarcha provinciarum dicitur nempe Metropolita, sed honoratior; ita ut Patriarchis inferior, ceteris Metropolitis dignitate superior haberetur (a). Distinguitur tamen ab Exarcha Dioeceseos nempe a Patriarchis primariis et antiquis dignitate praestantibus Exarchis provinciarum.

Quod autem hoc praecellant honore adfirmarunt Dupinus, Natalis, de Marca, aliique saltem de Orientalibus Exarchis nimirum Ephesino in dioecesi Asiana, Caesareensi in Pontica, Heraclensi in Thracia (b). Ast breves plane fuisse hos exarchatus constat,

(a) Ad eos ideo extensum quandoque vocabulum Patriarchae: *Haec duo nomina* inquit Innocentius III. *apud nos primas et Patriarcha pene penitus idem sunt* (*).

(b) Patriarchis primariis ea, in qua Sedem habebant, dioecesis uti Primatibus seu Exarchis quoque addicta est. Itaque

(*) *Ep. ad Episcop. Tribonicensem apud Raynald ad ann.* 1204.

riatus, sive Primatus per Occidentis Patriarchatum crexerunt (1) excepta Italia in cujus centro Roma est; illam enim per se Pontifices regere potuerunt sine vicaria alterius ope. Hinc nullum in ea Primatum fuisse constat, nisi Pisanum cui vicariatum per Corsicam Greg. VII. tribuit (2), et Urbanus II. confirmavit ac pallium dedit (3).

Magnarum inde urbium Episcopi plures vindicarunt sibi titulum Primatis, quo medii inter Patriarchas et Metropolitas, his tamen superiores, sed Occidentis Patriarchae R. Pontifici subjecti, speciali praerogativa honoris praeminebant. Hujusmodi fuerunt in Gallia Archiepiscopi Arelatensis, Rhemensis, Metensis, Senonensis, Lugdunensis, Bituricensis quorum initia, progressus, contentiones, decreta et privilegia describit Dupinius (4). In Hispania Episcopus Hispalensis, Bracharensis, Toletanus: ast post expulsis Vandalis et Svevis solus Toletanus Primatum totius Hispaniae cepit, quem Rom. Pontifices firmarunt (5). Hoc in regno Neapolitano: *an.* 386. *Amatus Episcopus Salernitanus factus est in sua Sede Archiepiscopus, et ipsi subditur totus Principatus cum assensu Papae Joannis XV., et Principis puta Joann. de Lamberto* (6). Ita fert Chronicon Cavense.

---

(1) *Thomass. de Vet. et Nov. Eccl. discipl. Part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 32.
(2) *Bulla supernae miserationis ann.* 1078.
(3) *Bulla quum universi ann.* 1039.
(4) *Dissert. I. de antiq. eccles. discipl.* §. 10. *per totum.*
(5) *Loc. cit.*
(6) *Petrus de Salerno archivarius in chronico sacri Mon. SS. Trinitatis Cavensis.*

Jura demum ac munera Primatum ex veteri disciplina plura expressit, concessitque Leo I. ubi quaestiones ab Apostolicae Sedis Vicario sibi praepositas diluit, nimirum (1). 1.° Confirmant electos Episcopos et Metropolitanos atque ordinant. 2.° Controversias in Concilio minime finitas finiunt dirimuntque. 3.° Synodum Nationalem ex toto exarchatu congregant. 4.° Student observantiae Canonum in Ecclesiis sibi subjectis. 5.° Monent Pontificem de his quibus ipsi occurrere minime possunt. 6.° Formatas seu communicatorias concedunt literas clericis alio migrandis (a).

Ceterum temporum conditione oportuit ut ad Romanam Sedem negotia terminanda perferrentur, nunquam enim amplius contentionibus in provinciis ortis, finis imponebatur; hinc secul. IX. nova invecta disciplina, honoris praerogativam tantum sensim retinere Primates caeperunt (2). Successu temporis pene exoleverunt, uno excepto Lugdunensi ad quem adpellabatur a sententiis Metropolitarum Turonensis, Senonensis, et Parisiensis, et in hoc regno Salernitano, ut dictum est qui ab Urbano VIII. ann. 1099. (3) Primatu auctus fuit in Metropolitas Archeruntinum et Compsanum, atque suffraganeos Episcopos, quibus juramentum obedientiae jussit tamquam Primati.

(a) De his literis redibit sermo deinceps.
(1) *Epist.* 88. *ad Anastasium Episcop. Thessalonic.*
(2) *Thomass. cit. loc. c.* 37.
(3) *Baron. ad idem ann. Ughell. in Arch. Salernit.*

CAPUT NONUM

DE METROPOLITIS.

CONCLUSIO PRIMA

Natura et origo Metropolitarum extricatur: de Italiae et hujus Regni Metropolitis disseritur.

Metropolitae dicti etiam Archiepiscopi (a), antiquitus *primi Episcopi* (1); *primae cathedrae* (2), *primae Sedis Episcopi* (3); ab Africanis *seniores* nominabantur (b): a Patriarchis vero et Primatibus diffe-

---

(a) Jam antea dictum, Archiepiscoporum nomen olim fuisse amplissimum; secundum vim enim graecae vocis principem denotat Episcopum. Inde sedium Patriarchalium Praesules Archiepiscopi vocabantur; Primates hoc etiam nomine donati fuerunt: lapsu vero temporis translatum fuit ad eos qui provinciae uni praesunt, scilicet Metropolitani: voces propterea Archiepiscopi et Patriarchae etc. sinonimas facit etimologia, usus distinguit. Apud Graecos recentiores plures sunt Archiepiscopi, quam Metropolitani, difficile enim erat ipsis subiectas aliis Ecclesias sibi subdere, quamvis facile fuit eisdem speciosum sibi Archiepiscopi adsumere titulum.

(b) Senes, quia de civitate in civitatem jus Metropoliticum apud Afros transibat, et seniori Episcopo deferebatur (*): tantumque Carthaginensis ratione Sedis Metropolitanus habebatur.

(1) *Can. Apostol. XXXIII.*

(2) *Concil. Iliberit. c.* 58.

(3) *Concil. Carthag.*

(*) *Cod. Afric. can.* 84.

runt per hoc, quod hi pluribus, vel integris regnis praesunt, illi uni tautum provinciae (a). De horum origine nihil amplius hoc loco; jam enim dictum fuit (1) Metropoliticam dignitatem etsi non nomine, quoad rem et exemplar ab Apostolis profluxisse.

Quod vero Occidentem spectat; constat Italiae urbes et provincias omnes sine Metropolitis constitisse, multoque arctius quam ceteras adhesisse Papae qui Metropolitanus Romanae fuit provinciae, quam Innocentius III. dixit contineri inter Capuanam et Pisanam (2), eique subiectas fuisse, praeter septem Episcopatus Cardinalium, sexaginta alios duos suffraganeos, qui nulli suberant alteri Archiepiscopo (3)(b).

(a) Olim ad minimum decem habebant suffraganeos (*) dehinc usu etiam longe minores. Sunt vero in Italia Archiepiscopi etiam unicum habentes Episcopum, qui ipsis subest scilicet, suffraganeum sive auxiliarem. Imo qui nullum habent, sed meri honoris titulum ex privilegio Apostolico nacti (**), exemplo Synodi Nicaenae, quae Episcopi Aeliae sive Hierosolymae jus Metropoliticum sed meri sic honoris contulit (***). Hujusmodi sunt in hoc, regno Sedes Amalphitensis, Sypontina, Brundisina, Consentinensis, Rossaensis, Theatina, ac Lancianensis ut ex bulla constat Pii VII. ann. 1818. aliquibus tamen ex his commissa reperitur administratio etiam alterius Ecclesiae.

(b) Fuerunt inde Martinus V. Pius II. et IV. Xystus V. et Greg. XIII. qui viginti ex autem dictis Episcopis dederunt divisim novis Metropolitis Senensi, Urbinatensi, Firmano, ac Bononiensi. Tali detractione non obstante, adhuc ipsa Capuana hinc, Pisana illinc terminant Provinciam Romanam, et suffraganeos in-

(1) *Pag.* 342.
(2) *In c. tua nobis de offic. Vicarii.*
(3) *Cod. Vaticano apud Baron. ad ann.* 1057.

(*) *C. Suffraganeis de elect.*
(**) *Bened. XIV. de Synod. Dioec. Lib. II. c.* 4.
(***) *C.* 7. *dist.* 75.

Ab Romano Pontifice quidem ex juribus Metropolitae, Primatis, et Patriarchae Occidentalis, ac Oecumenici bene consociatis, sero quam aliunde consueverunt dignitates obvenire, et suam illis, quos creavit Metropolitas, communicare oportuit dignitatem unde quo plures creati iidem sunt in provinciis suburbicariis, eo angustiores conclusi sunt fines Romanae provinciae.

Num autem hujus regni Metropolitae antiquitus fuerint, acriter ab eruditis quaesitum est, nec adhuc lis est finita (a). Ceterum non alium habuisse constat (1) prioribus seculis ipsius regni provincias Metropolitam, nisi Romanum Pontificem (b). Seculo VII. quum Sicilia ac plures Regni Neapolitani praesertim maritimae Ecclesiae avulsae ab Rom. Patriarchatu, et

---

trorsus quibus se privarunt Pontifices, supplent extrinsecus quum Archiepiscopi Suffraganeis carentes, tum Episcopi Sedi Apostolicae immediate subjecti, atque Abbates nullius dioecesis jurisdictionem quasi episcopalem habentes, qui alias sibi Metropolitanum cujus provinciali Concilio interessent ad formam Tridentini, non elegerunt. Quos Benedictus XIII. vocavit ad Concilium provinciale Romanum ann. 1725. comprobavitque Metropoliticum jus suum, ut ex literis indictionis ipsius Concilii constat.

(a) Alii nimirum sunt qui ad VIII. usque seculum nullos fuisse censent; Romanumque Pontificem Metropolitam dicunt solum suburbicariarum Rom. Ecclesiarum. Petrus de Marca Metropolitas, Metropoles et Provincias Ecclesiasticas agnoscit tum in reliquis, tum vel maxime in iis Suburbicariis provinciis quae ad regnum istud pertinent.

(b) Orientalibus dignitatem Metropoliticam prius apparuisse ac in occiduis regionibus facile colligitur ex eo quod ocius quidem et accuratius formam dioecesum et provinciarum civilium videntur imitatae, quam in Occidente.

(1) *Giann. Histor. civil. Neap. lib.* 2. *c.* 8. *et Dupinius de antiq. Eccl. discipl. dissert.* 1.

throno CPolitano adnexae fuerint, cum Phoca Occidenti imperabat, CPolitanus Patriarcha Episcopos Syracusanum per Siciliam, Rhegiensem et S. Severinae per Calabriam Metropolitas constituit (1): aliis quos evehere ipsi non licuit ad dignitatem eandem, titulum et honorem Archiepiscopi dare caepit, et prae caeteris praesulibus Hydruntino, Bariensi et Neapolitano; Romanis tamen Pontificibus eosdem increpantibus, et adversantibus conatus eorum uti scribit Joan. Diaconus (2) (a).

Dum res ita se haberent in provinciis CPolitano Throno subjectis; in reliquis hujus ejusdem regni, Pontifices Rom. seculo IX. quasdam magis conspicuas Ecclesias, quae tunc temporis in duodecim provinciis profanis reperiebantur, in Metropoles erigere coeperunt

(a) Alii alia sentiunt de antiquitate dignitatis Metropolitanae hujus Sedis Neap. Qui ea auctam dicunt ex quo sub Greg. X. Dux Neapoli praeerat et duodecim civitatibus Pompeii, Herculani, Acerrae, Nolae, Puteolorum, Cumae, Miseni, Baiae, Isclae ceterisque; nam ubi vel Comites vel Duces praeerant ibi Metropolitae Archiepiscopi erant. Alii vero tenent rectius, a Joan. XIII. concessam illam post Capuam et Beneventum. Alii tandem temporibus multo posterioribus affirmant accessisse eidem Ecclesiae ex textu Gregoriano (*) in quo excripta exhibetur epist. « Greg. X. *Archiepiscopo* Neap. » et ibidem (**) legitur « Greg. » Victor. *Arch.* Neap. » Epistolam eamdem Antonius Agustinus, Emmanuel Gonsalez corrigunt, et *Archiepiscopo* verbum reponunt *Episcopo.*

(1) *Nilus Doxopatrius de quinque Thronis Patriarch. apud Allatium de Eccl. Orient. et Occident. perpet. cons. et Nov. Imp. Leonis apud Leunclavium Jur. Graec. Rom. T.* 1.

(2) *In chron. Episc. Neap.*

(*) *C.* 1. *de statu monach.*
(**) *C.* 1. *de religios. domib.*

quarum primae Neapolis, Capuae, Beneventi, Salerni, et Amalphiae fuerunt, quibus et suffraganeae attributae sunt Ecclesiae (a). Insuper postquam Ecclesias a schismatici servitute omnino redemptas pristinae Rom. Pontificis obedientiae restituit Rugerius I. Siciliae Comes, qui legati Apostolici munus proinde ab Urbano VIII. promeruit, aliis accessit Ecclesiis eadem dignitas. Ceterum status earum circumscriptus ut habetur citra Pharum bulla Pii Papae VII., provocata art. III. ultimi concordati, colligitur ex tabula, quam dabimus in fine hujus operis.

CONCLUSIO SECUNDA

Jura Metropolitani ex Tridentino declarantur.

Metropolitarum jura honorem spectant alia, potestatem alia (b): haec in duobus praesertim videntur

---

(a) Videsis Gagliard. Instit. Can. Tit. 6. c. 3. qui large hoc argumentum expendit, indicatque simul Ecclesias suffraganeas horum Metropolitarum.

(b) Plura antiquitus fuerunt Metropolitae jura: 1.° Synodum provinciae per literas *tractorias*, seu *Synodicas* indicere, eique praesidere (*). Ad eandem, Episcoporum erat stato tempore convenire, et in Synodo suffragium ferre; hinc Episcopi provinciae *suffraganei* dicti sunt. 2.° Cum Episcopis provincialibus Episcoporum electiones dirigebant, confirmabant, et illos ordinabant (**) quo modo in ipsa Synodo Metropolitanus idem ordinabatur. 3.° Gravioris rei controversias decidere eorum erat, causas omnes ipsorum Episcoporum tum civiles tum criminales cognoscere, examinare et definire secundum antiquos canones (***) omnes.

(*) *Conc. Antioch. can. XX.*
(**) *Conc. Nicaen. c. IV. et VI. Laodic. can. XII.*
(***) *Ex can. 33. vulgo Apostolorum item can. 36. et 37.*

consistere : 1.° ut possint certis in casibus exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum non tamquam horum subditorum Pastores immediati, sed ut judices appellationum ; 2.° ut possint super ipsis Episcopis invigilare, ipsos monere et corrigere (a) atque interdum judicare tamquam in eos jurisdictionem habentes. In subditos suffraganeorum proinde jurisdictionem exercere non possunt, etiamsi illi subditi consentiant (1). Nisi in casibus a jure expressis : nimirum per viam Devolutionis (b), in Visitatio-

causas pertinentes ad ecclesiasticum forum totius provinciae etiam in primo gradu. 4.° De appellationibus a sententia eorundem Episcoporum judicare (*). 5.° Negligentiam suffraganeorum supplere ; hinc instituere erat eis permissum oeconomos in Ecclesiis negligentium (**), disponere de beneficiis vacantibus, dum ea intra sex menses conferre neglexerint Episcopi (***) ; Vicarium capitularem si neglexerit capitulum inter octo dies deputare (****); corrigere, absolvere, quos Episcopus neglexerit (*****). 6.° Ecclesias provinciae lustrare (******). 7.° Canones ecclesiasticos, diem quo Pascha celebrandum esset, et imperiales leges suffraganeis communicare. 8.° Reditus vacantis intra provinciam Episcopatus in tuto ponere, caussas quare suffraganei ab residentia abesse poterant adprobare, eisque ex necessitatibus alio discedentibus, literas *formatas* concedere, de quibus deinceps erit sermo, etc.

(a) Non tamen per suum officialem sive Vicarium; nam jurisdictio correctoria pertinet ad voluntariam jurisdictionem quae prudentiae Metropolitani relicta est (*******). Ne si negotium quidem factum esset contentiosum.

(b) Nimirum quando jus Praelati inferioris transfertur ad e-

(1) *Cap. Romano, de foro competenti in* 6.

(*) *Concil. Sard. c.* 14. *Innocent. III. in c. pastoralis II. de offic. ord.*

(**) *Synodus VII. in can. cum simus IX. q.* 3.

(***) *Conc. Lateran. III. can.* 4.

(****) *Bonif. VIII. in c. Eccles. de suppl. negl. prael.*

(*****) *Innocent. IV. in cap.* 1. *de offic. ord. in* 6.

(******) *Innoc. III. in cap. cum ex officii, de praescriptionibus.*

(*******) *C. Romana, Officiales, de officio Ordinarii in* 6.

ne (a), et per viam appellationis (b). Verum ex Tridentino (1) jura quae exercere possunt sunt 1.° quolibet triennio suffraganeos ad Synodum convocare (c) negligentes ad officium revocare, et absentiae suffraganeorum a propriis Ecclesiis causas cognoscere, eosque si praeter modum quem statuit Tridentinum (2) abire judicaverint, per fructuum subtractionem ad residendum compellere (3) (d). 2.° In Dioeceses suffraganeas sive in Coepiscoporum subditos jurisdictionem exer-

---

jusdem superiorem: quod jus praecipue respiciebat beneficia. Quando apud Curiam Romanam obtinebant aliqui beneficia, ut literae Apostolicae executioni mandarentur, requirebatur illa Ordinarii approbatio quae dicebatur *visa Apostolica signatura*; quam si recusabat Ordinarius apponere, ad Metropolitanum examen devolvebatur, poteratque concedere in certis casibus quod negaverat Episcopus. Devolvitur jus conferendi beneficia sive Episcopus ultra sex menses differat providere, sive indignis conferat. Demum electio Vicariorum Capitolarium, si negligat Capitulum.

(a) Archiepiscopi in visitatione erat extra judicialiter agere, poenitentes reconciliare, dispensationes in foro interno concedere. Verum in desuetudinem hoc abiit.

(b) Habebant Metropolitae aliunde officialem sive Vicarium specialem cujus tribunal distinctum erat a tribunali dioecesani officialis; verum quae per devolutionem aut in visitatione deferuntur ad Metropolitam, pertinent ad jurisdictionem voluntariam: quae per appellationem deferuntur pertinent ad jurisdictionem stricte contentiosam.

(c) Vide quae tom. I. pag. 140. de concil. provinciali dicta sunt.

(d) Bened. XIV. const. *ad universae* 19. de residentia Episcop. in eo abrogasse tantum videtur; quod sine Rom. Pontificis licentia, Episcopis abesse ab Ecclesiis suis non licere, statuit.

(1) *Sess. XXIV. de refor. c. II.*

(2) *Sess. XXIII. c. 1. de refor.*

(3) *Ibid.*

cere tantum in causis adpellationum (a) (1); et in actu visitationis (2) et jure devolutionis (b). 3.° Quoniam jure Tridentini causas Episcoporum criminales, coram Summo Pontifice statutum est referri, ab eoque terminari; earum processus nonnisi a Pontificis delegatis confici possunt, reservata Papae sententia: vix minores levesque causae ejusmodi a Synodo provinciali eodem jure terminari possunt; quoad civilia vero quia nihil videtur idem jus innovasse; in primo gradu cognoscere illas, et definire ei permisit (c) (3). 4.° Supplet negligentiam suffraganeorum, et causas ab Episcopo intra biennium non definitas ad se avocando quamprimum

---

(a) In gradu appellationis Metropolitanus dijudicat causas postquam Episcopus quisque, ejusque Tribunal deciderit: cogit exinde eos ad transmittenda acta judicii, a quo provocatum sit; non originalia tamen, sed transumta integre, nisi probabilis inciderit suspicio falsitatis vel diminutionis (*). Inhibet iisdem ne ad ulteriora pedem promoveant post interpositam appellationem; praeterquam in casibus a Trid. permissis, et a const. 48. Bened. XIV. *ad Militantis* ann. 1742. ad reformandos abusus appellationum. Quoad visitationem vero Ecclesiarum provinciae totius, hoc jure uti nequit nisi sua Dioecesi prius lustrata, et ex causa cognita, probataque in Synodo provinciali (**).

(b) Si nimirum Ordinarius beneficia Ecclesiae conferre neglexisset post sex menses a die vacationis poterat Metropolitanus ea conferre ex Conc. Later. III. c. *Nulla*, de concessione praebendae.

(c) Ex ritu 10. Cur. Arch. Neap. quoties constiterit de triplici justitiae postulatione, quae Ordinario loci incassum facta sit, eadem Curia Neap. cognitionem causae in primo gradu consuevit inter suffraganeorum subditos assumere.

(1) *Sess. XXIV. de reform.*

(2) *Sess. XIII. c. I. de refor.*

(3) *Trid. sess.* 13. *c.* 8. *et sess.* 24. *c.* 5. *de refor.*

(*) *Ex decreto S. Congreg. Episc. cap. jussu Clem. VIII. an.* 1600. *apud Quaranta Can. Neapol. in Summa Bull. ver. Archiep. auctoritas et Genuens in pra. Card. Arch. Neap. cap.* 88.

(**) *Sess. XXIV. de Refor. c. III.*

debet terminare (1). 5.° Vicarium capitularem constituere Sede vacante si neglexerit capitulum infra octo dies ab Episcopi morte illum eligere (2). Ex Conc. Lugd. II. (3) potest nonnumquam concedere indulgentias in omni provincia modo non excedat dies 40.

Honoris autem causa: 1.° In propria tantum Dioecesi elevatam crucem, cum unica antenna, seu transverso ligno praeseferunt, nec tamen in provincia, nisi in causa visitationis (4). 2.° Pontificalibus utuntur vestibus, populisque benedicunt (5) (a). 3.° Pallio ornantur; sed de hoc sequenti concl.

APPENDIX

De praerogativis et privilegiis quorumdam Episcoporum inter comprovinciales.

Thomassinus ita monet (6): Prisci canones Episcopos cujuslibet provinciae pro ordinationis tempore

(a) Quum per Trid. (*) *nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu, pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia*; quum nomine pontificalium, non ordinum collationem tantum, sed ea omnia continentur, quae aliquam praeseferunt jurisdictionem; hinc nec Missae in *pontificalibus* celebratio, nec solemnis benedictionis impartitio, nec quod Metropolitanos spectat insuper, permissum est inconsulto loci Episcopo.

(1) *Sess.* 24. *c.* 20. *de refor.*

(2) *Ibid. c.* 16.

(3) *Card. de Luca Disc. VI. ad Concil. Trid.*

(4) *Cap. Romana* 1. *de Poenitentiis in* 6.

(5) *Bened. XIV. const.* 48. *exemplis ann.* 1748. *de ritu impartiendi bened. pontifical.*

(6) *D. V. et N. p.* 1. *lib.* 1. *c.* 49.

(*) *Sess. VI. in decret. de reform. c.* 5.

sedere et subscribere jusserant; decanus, qui prior ordinatus. Huic legi universali derogatum aliquando seu consuetudine seu privilegiis . . . Pleraeque Ecclesiae ad Romanae formam se finxerunt. Illa autem Pontificis consecrationem servari voluit tribus Episcopis Ostiensi, Albanensi, Portuensi, maxime Ostiensi . . . In Oriente inter Metropolitanos qui uni suberant Patriarchae, unus super alios eminebat sedis suae jure, et vocabatur *protothronus* etc.

CONCLUSIO TERTIA

Nonnulla quae ad pallium pertinent adnotantur.

Pallium (a) hodie est fascia lanea candida quatuor ferme digitis lata, quae ad instar circuli hume-

(a) Apud veteres peculiare erat quoddam vestimenti genus, quo totum corpus cooperiebatur, et monachorum vestem etiam appellatum fuisse pallium affirmat Dufresne (*). Imperatorium indumentum alii cum de Marca dicunt. Quidquid tamen sit, certe omnino distinctum pallium de quo agimus ab eis. Originem vero ejus sunt qui a D. Petro (**), qui a S. Lino (***) qui a supposita Costantini donatione ducunt. Ast certum vero est ut Mamachius probat epist. ad Auctorem Quid est Papa? (***) quod jam usque a primis nominis Christiani temporibus Pontifices inter alia pallio firmare ac roborare dignitatem Metropoliticam consuevere, quod et ex Greg. colligitur (*****). Nobisque arridet opinio illorum qui cum Gagliardo (******) tenent hanc antiquam originem pallium traduxisse ex ornamentis Aaronicis nimirum ra-

(*) *In Gloss. verb. Pallium.*
(**) *Rupert. lib. 1. de divinis officiis c. 27.*
(***) *S. Maximus hom. de vest. sacerd.*
(****) *N. 10. tom. 1.*
(*****) *Epist. 2. ad univers. Illyrici Episc. lib. 2.*
(******) *Inst. Canon. lib. 1. Tit. XVII. §. III.*

ris imponitur unde a graecis *Omophorion* dicta fuit, habetque duas lineas ab utraque parte in pectus alteram, alteram deorsum in scapulas impendentes cum sex sericis nigrisque crucibus insertis, tribusque aciculis aureis consuitur et alligatur. Dicitur *sumptum de corpore B. Petri* non tam quod ex altari B. Petri, ubi conditum est ejus corpus, sumitur, ibique benedicitur; sed magis quod particulam significet ecclesiasticae potestatis derivatam ex plenitudine pontificiae potestatis, quae in Petro ejusque successoribus residet (a). Equidem cum distinctio Episcoporum et episcopalis potestatis, excepto Primatu Petri, juris sit humani; factaque, ut per Metropolitas et Archiepiscopos, Primates et Patriarchas, Papa facilius et felicius per universum orbem suam exerceret sollicitudinem; ac tutiorem communionem atque comunicationem cum sede Petri haberi possit (1); illos institutos gradus potestatis ecclesiasticae ornamentis distingui opus erat super alios eminentes Episcopos; ut Diaconi a Presbyteris, Pre-

---

tionali et superhumerali, quo solus Aaron praeterea nemo utebatur (*) et ex coccinea Christi patientis chlamyde.

(a) Festo die S. Agnetis curantibus Apostolicis Hypodiaconis, duo nitidissimi Agni in duobus cistis hinc inde equo impositi per plateam S. Petri ante Vaticanum Palatium vehuntur, quos Papa desuper a fenestra benedicit. Tum ad ejusdem S. Agnetis templum delati, cum in Missa imploratur Agnus Dei a Canonicis Regularibus S. Salvatoris, qui sunt ibi religiosi, offeruntur. Mox Canonici Basilicae Lateranensis accipiunt, et alicui Monasterio Sanctimonialium nutricandos traduht, inde lana detondetur cui adjungi solet altera lana candida, et a Monialibus in filum deducitur, ex quo pallia conficiuntur. Demum ea dantur Canonicis S. Petri qui postquam benedixerunt, per unam no-

(1) *Vide quae dicta sunt.*

(*) *Exod. c.* 28.

sbyteri ab Episcopis ornatu sacro distinguuntur (a). Pallium proinde in sensu morali definiri potest: principale ornamentum ecclesiasticum de corpore B. Petri sumptum, et a Papa Archiepiscopis datum, conferens plenitudinem potestatis. Unde solus Pontifex pallio utitur semper et ubique, quia assumptus est in *plenitudinem* potestatis ecclasiasticae; alii nec semper, nec ubique (b); quoniam vocati sunt in *partem*

---

ctem in primis, deinde totam octavam festivitatis qua, benedicuntur super altari in quo jacet corpus S. Petri, deponunt: inde amota recondebantur in oratorio Secretarii, nunc vero prope corpora SS. Apostolorum, destinato in loco semper condita inveniuntur.

(a) Inde etiam fit quod Patriarchae, Primates, Archiepiscopi plenitudinem pontificalis officii et patriarchalis; vel archiepiscopalis nominis appellationes consequantur non postulationis admissione, vel confirmatione electionis, non translatione, non ipsa consecratione, sed traditione pallii. « Non deberet, ita Innocentius » III. (*) se Archiepiscopum appellare priusquam a nobis pal» lium suscepisset, in quo pontificalis officii plenitudo cum Ar» chiepiscopalis nominis appellatione confertur. » Unde (**) « non » licet Archiepiscopo absque pallio convocare concilium, confi» cere chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos et Episco» pos consecrare . . . cum id non tamquam simplex Episco» pus, sed tamquam Archiepiscopus facere videatur. » Ante ergo acceptum pallium exercere non potest, quod facit ut Archiepiscopus, seu quoad actus ordinis, quae nimirum inter Missarum sollemnia, aut cum episcopalibus ornamentis peraguntur, cum id, *tamquam Archiepiscopus* facit.

(b) Uti pallio possunt in Ecclesia inter Missarum sollemnia (***), atque in iis quae cum episcopalibus ornamentis peraguntur; nisi ex privilegio, non autem consuetudine datum sit quod extra Ecclesiam utantur (****) at tum omnino extra provinciam in Ecclesia quadam; praeterea consensus Episcopi, qui illi praeest Ec-

(*) *Cap. nisi* 3. *de auctoritate palli.*
(**) *Cap.* 88. *ibid.*
(***) *Fx formula qua Pallium imponitur.*
(****) *Can.* 8. *dist. cit. et c.* 1. *h. t. et c.* 6. *dist.* 100.

sollicitudinis non in plenitudinem potestatis. Primigeniae huic naturae et fini pallii respondet juramentum obedientiae et fidelitatis Sedi Apostolicae praestandum ab Archiepiscopo antequam illud ei imponatur (2). A solo Pontifice confertur (a) et quidem olim ut plurimum suis Vicariis

---

clesiae requiritur (*). Ad certos item dies adstringitur palli usum qui exprimuntnr in privilegiis ab Apostolica Sede concessis: scilicet die natali Jesu, die S. Stephani, S. Joannis, Circumcisionis, Epiphaniae, Palmarum, feria V. in Coena Domini, in Sabato Sancto, in Paschate, et feria secunda, ac tertia post Pascha, Dominica in Albis, in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, in festo Corporis Christi, in nativitate S. Joannis Baptistae, in festis omnium Apostolorum, ac quatuor festis diebus B. Mariae Virginis, nimirum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, et Nativitatis, in Commemoratione omnium Sanctorum, in dedicatione Ecclesiae Archiep. in ordinatione Clericorum, in consecratione Episcoporum, et Virginum, et in die anniversario, quam Episcopus celebrat suae consecrationis, item die anniversario dedicationis Ecclesiae (**).

(a) Commenti sunt inepte aliqui ex pallii nomine conjectantes ab impp. uti proprium ornamentum Patriarchis et Metropolitis concessum, nec aliis a Papa concedi potuerit sine auctoritate illorum: nituntur enim fundamentis falsis judicio omnium eruditorum; et per se ex dictis erronea declarantur, unde penitus confutati a solertissimis viris fuerunt. Patet autem ex eo quod seculo X. ipsum Costantinopolis Patriarcham consuevit a Rom. Pontifice pallium obtinere teste Luitprando (***) et certe subacto per Latinos Graecorum imperio, in concilio Lateranensi IV. an. 1215. cap. V. sancitum, ut Patriarchae a solo Rom. Pontifice pallia reciperent, quae suffraganeis deinde communicarent.

Graecis interim Episcopis commune pallium est, quod sibi ar-

(1) *Cap. Nisi cit.*

(2) *Can. IV. Dist.* 100.

(*) *C.* 5. *h. t. in fin.*

(**) *C.* 4. *et* 6. *h. t. et Pontifical. Rom. part.* 1. *tit. de Pallio.*

(***) *In legat.* 2. *CPol. ad Niceph Phocam ab Othone I. demandata apud Baron. ad ann.* 368.

nunc ab eo datur omnibus Archiepiscopis, et qui sunt his majores, atque quibusdam Episcopis ex privilegio vel consuetudine uti Ostiensi prope Romam, Dolensi in Gallia, Bambergensi in Germania etc. Ipse vero Papa dum consecratur sibi pallium imponit, tametsi prior Diaconus de altari illud sumit, astatque famulari modo, non auctoritatis ministerio.

Jus petendi pallium adhaeret Ecclesiae et inter privilegia realia potest numerari. At pallium tribuitur personae quae intra tres menses a Consecratione illud petere enixis precibus debet h. e. *instanter instantius instantissime* a Pontifice in consistorio Cardinalium ipse per se si Romae aderit, per procuratorem si aberit. Tanta autem necessitas est pallium petendi, accipiendique, ut nec per objectum fortasse crimen posset retardari, nisi objicientes juramentum praestent se dolo non agere, et intra bimestre tempus, quod jurarunt, probaturos (a).

---

rogasse ultimis seculis tradit Goarius (*) quomodo autem id evenerit narrat Luitprandus (**).

(a) Ast male infert de Marca (***) quod palliis novum jugum, novaque servitus imponeretur Episcopis Gallicanis; nam tantum abest uti observat Graveson (****) quod *Summi Pontifices curam in mittendis ad illos palliis adhibuerint, ut potius ferventibus precibus Regum et ardentibus Episcoporum votis ad usum pallii concedendum Episcopis inducerentur.* Num ergo jugum novum novaque servitus ut imponatur sibi quis libenter postulat? ac postularunt revera gallicani laudati Episcopi, et postulant universi orbis praesules, et si necessario, quia perquam necessarium fuit etiam ut ob nova identidem pullulantia schismata Patriarcha-

(*) *EuchＯlog. Graec. tit. Episcop. Ordinat.*

(**) *In legat. II. CPolitana cit. apud Muratorium Script. Rer. Italic. tom.* 2.

(***) *De C. S. et J. lib. VI.*

(****) *Hist. Eccl. secul. IX. colloq.* 6.

Praeterea ita pallium adhaeret personae, ut alteri commodari non possit, nec tradi successori: quin aliud peti debet translato Archiepiscopatu (1); et decedente Archiepiscopo cum ipso sive unum, sive plura sint, quae acceperit, sepelitur (2).

CAPUT DECIMUM

DE EPISCOPIS (a).

Unitati Ecclesiae exprimendae ac servandae unum opus est Caput. Catholicae Ecclesiae regimini, quae

rum, Primatum, Archiepiscoporum, nova etiam invenirentur media pro conservanda Ecclesiae unitate. De pallii antiqua forma et origine vide Thomassin. (*).

(a) Episcopus ait Augustinus (**) *nomen est operis, non honoris Graecum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui praeficitur, eis quibus praeficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens* Epi *quippe super* scopos *vero intentio est. Ergo Episcopum si velimus, latine superintendere possumus dicere.* Ita Homerus Hectorem vocat civitatis Episcopum. Apud Romanos Episcopi vocabantur qui pani et ceteris rebus venalibus superitendebant; qui populis quotidianum victum suggerebant. Multa inde de variis nominibus Episcopi habent Binghamus (***) Mamachius (****) aliique. Observat tamen non incongrue cum aliis Teodoretus (*****) Apostolico aevo Episcopos quandoque Apostolos (******) aliquando Presbyteros promiscue appellatos in sacris libris; tum Apostolorum nomen veris Apo-

(1) *Cap.* 4. *in fine de postul. prael.*
(2) *C.* 2. *de auctorit. et usu pallii.*

(*) *De V. et N. D. P. I. Lib. II. c.* 53. *et seqq.*
(**) *Lib. XIX. de Civit. Dei c.* 19.
(***) *Orig. Eccles. Lib. II. c.* 2.
(****) *Orig. et antiq. Christ. lib.* 4. *c.* 4. *tom.* 2.
(*****) *In comment. epist. ad Philipp. epist. ad Timoth.*
(******) *Epist.* 1. *ad Rom. c. ult.*

late terrarum orbis ambitu continetur, ob imbecillitatem naturae humanae unus difficile per se, aut per suos mere arbitrarios legatos intendere poterat. Hinc sapientissimus unum Caput dedit Christus Ecclesiae, quod ex duodecim quos elegit et Apostolos nominavit delectum, hos, eorumque nomine Episcopos una cum eorum capite, ejusque pro tempore in Romana Sede successoribus statuit insuper eidem Ecclesiae praesules et ministros in partem sollicitudinis adscitos et divina insignitos potestate. Inde Tridentinum merito sic se habet (1) « Sacrosan-
» cta Synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasti-
» cos gradus, Episcopos, qui in Apostolorum lo-
» cum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem
» praecipue pertinere, et positos, sicut idem Aposto-
» lus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei (a).

Nostra ergo refert de Episcopis argumentum ponere, atque horum naturam, institutionem jura et officia enucleare ex ipsa cura eis demandata, qua praesertim distinguntur.

---

stolis relictum, Episcopatus Apostolorum successoribus dumtaxat tributum. Summus Sacerdos vocatur etiam (*) ratione ordinis ceteris superioris. Praesul, quia Conciliis praesidet; Antistites, nam ipsius est preire; ac primus est Sacerdos templi et dioecesis (**) Pastor a cura ovium. Ordinarius, nam ordinariam in sua dioecesi jurisdictionem habet.

(a) Hinc *fratrum* nomine Romani Pontifices consueverunt vocare Episcopos, quod ad usum redegit ipse Gregorius M. Quin ad seculum fere nonum Episcopi Romanum Pontificem Fratrem vocabant, licet distinctionis causa Patris nomen ei dederint.

(1) *Sess. XXIII. c.* 4.

(*) *C. Deus ergo* 3. *q.* 1.
(**) §. *Nos autem Inst. de Artilian. Tutore L. Si quemquam.*

CONCLUSIO PRIMA

Episcopi sunt Apostolorum successores.

Omnis traditio asserit, constansque est orthodoxorum sententia Episcopos nimirum esse successores Apostolorum. Unus aut alter Patrum sit pro omnibus. S. Hieron. ait (1). *Omnes* (Episcopi) *sunt Apostolorum successores*. Augustinus idem comprobat atque explicat (2) *Patres missi sunt Apostoli pro Apostolis, filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi. Hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum unde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos habuit, ipsa illos genuit, ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non ergo te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paullum, quia non vides illos per quos nata es, de prole tua tibi creavit paternitas, pro patribus tuis nati sunt tibi filii* (a).

Verum enim vero Episcopi characteris et ordinis sui originem, per continuatam ordinantium seu consecrantium seriem ad Apostolos usque referunt. Spectato proin ordine episcopali, Episcopi succedunt Apostolis; imo propagati sunt etiam ab illis et potius ac successores, etiam ut filii Apostolorum habendi sunt. Quoad jurisdictionem tamen aliter disserendum est 1.° quia nemo succedere dicitur, nisi praecedenti: in cathedris inde illis quae post Apostolorum tempora sunt erectae, primi Episcopi videtur quod

(a) Non Apostoli sed Episcopi nomine dicti sunt; quamvis enim Apostoli nomen natura sua modestum sit; tamen Apostolorum miraculis et sanctitate augustius evasit.

(1) *Can. legimus* 29. *Dist. XCIII.*

(2) *In Psal.* 44.

non tam ab Apostolis, quam a Petri successore cujus auctoritate illae erectae sunt, de potestate ad se devoluta gloriari possunt : consequenter si dicuntur et revera sunt potestate jurisdictionis etiam successores Apostolorum, similitudine quadam sunt et proportione, aut quemadmodum S. Cyprianus ait, vicaria ordinatione (1): quia nempe ex ordinatione Christi, Apostolorum vice episcopalem dignitatem obtinent : 2.° quia ingens lis est de hac potestate jurisdictionis Episcoporum, quoad ejus immediatam originem ut ex sequenti conclusione patebit, qua exposita, successio Episcoporum ab Apostolis quae sit quoad jurisdictionem facile erit videre.

CONCLUSIO SECUNDA

Quae de origine jurisdictionis Episcoporum certa sunt exponuntur, atque quid de lite DD. circa illam sentiendum proponitur.

Episcopi jure divino sunt Ecclesiae Pastores. Dogma fidei est. Num vero potestas eorum sit immediate et proxime a Deo, an a Summo Pontifice, scholae controversia est, quam merito ipsi Galliarum oratores in Concilio superfluam disceptationem neque definiendam dixerunt (2). Quidam ex PP. Tridentinis curiosam vocarunt potius de meris vocibus quaestionem, alii interminatam; ab omnibus tamen PP. indecisa relicta ancipitibus verborum significationi-

(1) *Epist. LXIX. ad Florentium circa medium.*
(2) *Vide Antifebron. Vindicat. T. I. dissert. III. c.* 1.

bus, utpote non ad finem respondens ob quem concilium coactum fuit (1) (a). Nostra refert primum quaedam aeque certa statuere, ut inde facile sit colligere quid sentiendum de illa. Et 1.° potestas ordinis tam in Episcopis, quam Presbyteris a Deo est proxime et immediate, a quo positis signis sacramentalibus consecrationis, vel ordinationis, et character imprimitur, et potestas confertur, quae dein nullius hominis arbitrio auferri, imminui, ampliari potest (b), 2.° Petrus claves regni coelorum seu jurisdictionem in omnem Ecclesiam a Christo immediate accepit iis verbis (2) *Pasce oves meas:* nec inde electores Papae illam jurisdictionem quam non continent, a se

---

(a) Duobus modis ut D. Thomas monet (*), aliquis potest habere ab alio jurisdictionem *immediate*. Primo immediatione virtutis: secundo immediatione suppositorum agentium. Primo modo omnis auctoritas etiam ipsius Papae immediate est a Christo; sicut enim nulla causa secunda potest agere nisi per virtutem causae primae, et ab ipso communicatam, eo vel magis potestas sacra exerceri non potest nisi conferatur, nisi per potestatem in Christo existentem, vel a Christo collatam. Unde Paulus *omnis potestas est*, ait, (**) *a Deo*. Immediatione autem suppositorum agentium habet aliquis immediate a Christo, quando inter accipientem potestatem et ipsum Christum conferentem nullum aliud suppositum medium intercedit.

(b) Argumentum inde deducunt DD. affirmantes a Papa immediate derivari jurisdictionem; aliter enim jurisdictionis sicut et ordinis potestas Episcopis auferri non posset ab Ecclesia vel a Papa; et in excommunicato, suspenso Episcopo, vel haeretico, sicut potestas sacramentalis seu ordinis durat, ita et jurisdictio, quod est contra canones.

(1) *Vide concl.* 1. *Cap. VI. Tom.* 1.
(2) *Joann. XXI.* 16. *et seqq.*

(*) *In* 1. *Sent. distin.* 12. *q.* 1. *art.* 5.
(**) *Rom. c.* 13.

in subjecto quod eligunt conferre possunt, sed a Christo (in cujus manibus, Sede vacante remanet; nec est in Ecclesia, nisi quatenus communicata inferioribus ministris) datur protinus, non nova alia traditione, sed primaeva institutione (a), 3.° potestatis Episcoporum natura ac finis poscit ut sit subordinata Papae potestati: Christus enim illam in bonum unitatis instituit nec designavit subditos, quos comprehenderet, ac proinde Papae eidem reliquit (b).

Haec utrique litigantium parti pro comperto sunt: sed illi qui immediate a Christo potestatem Episcoporum negant esse; ex supra dictis argumentantur cum Optato (1) *Claves regni coelorum communicandas ceteris solus accepit* (Petrus) nec dissentit S. Thom. (2)

(a) DD. tenentes non a Deo derivare immediate jurisdictionem Episcopis, monent ex hoc non colligi argumentum pro adversa sententia; ita ut idem dicendum de Episcopis; nam ajunt sicut non repugnat quod Episcopus in Presbyteros jurisdictionem pro foro interno, vel etiam externo derivat; sic non repugnat ut Pontifex, in quo est plenitudo potestatis ejus partem in illos transmittet qui in partem sollicitudinis vocantur.

(b) In bulla: *Auctorem fidei* a Pio VI. damnatae sunt inter alias propositiones VII.ª « Item in eo quod hortatur Episcopum « ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem, idque, contra omnes contrarias consuetudines reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, majori gloriae Dei et majori edificationi fidelium » VIII.ª » Item quod et sibi persuasum esse ait « jura Episcopi a J. » L. accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse; et ubi contigerit horum jurium exercitium quavis » de causa fuisse interruptum; posse semper Episcopum, ac » debere in originaria sua jura regredi, quotiescunque id exigit majus bonum suae Ecclesiae.

(1) *L. VII. contra Parmanian.*

(2) *Lib. IX. contra Gentes c. 76. n.° 4.*

qui ait: *Soli* (Petro) *promisit*: *tibi dabo Claves Regni Coelorum per eum ad alios derivanda ad conservandam Ecclesiae unitatem*. Subdunt propterea 1.° Si judicio ac providentiae Papae non solum jurisdictionis finium constituendorum et distinguendorum cura, sed ipsiusmet episcopalis divinae potestatis legitime exercendae modus et ratio reservata est Papae; potestatem in Episcopos immediate derivare ab eodem, dicendum est. 2.° Divina providentia tum in naturae tum gratiae ordine, cuncta non modo fortiter, sed etiam suaviter per institutas vices ac vias ordinarias administrat; non ergo est sine necessitate recurrendum ad Deum, sive ad immediatam ejus operationem. 3.° Defuncto quopiam subalterno Pastore, singularis cura viduatae Ecclesiae Pastori universali per se est demandata, grex enim universus commissus ci est: igitur ejus auctoritate quoquo modo interveniente, novus eidem Ecclesiae Pastor praeficitur, ac propterea potestas ejus regendae intelligitur ab universali in particularem Pastorem dimanare. 4.° Potestas jurisdictionis derivatur ad quamcumque personam illius principatus ab ipso Principe; ergo potestas jurisdictionis derivatur a Papa ad omnes Praelatos; est enim in Principatu Ecclesiae supremus Princeps etc. Haec a Cardinali praesertim Turrecremata (1), et a Fagnano (2) lato exponuntur calamo.

Ex adverso qui a Christo immediate volunt procedere, et non a Papa jurisdictionem Episcoporum ex sequentibus praecipue hoc colligunt et 1.° ex verbis Christi *Non vos me elegistis*, *sed ego elegi vos et*

---

(1) *In C. Omnes dist.* 22.
(2) *In Cap.* 1. *de offic. Jud. Ord. n.*° 30.

posui vos ut eatis (1). *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* (2) ; insuper ex illo Pauli (3) *Apostolus non ab hominibus*, *neque per hominem*, *sed per Jesum Christum*. 2.° Apostolis successerunt Episcopi addunt, ergo et immediate sicut illi a Christo acceperunt hanc potestatem. 3.° Apostolatus est Sacerdotii Christi exemplar quoddam, est et espressa imago ; sicut ergo in illo pascendi gregis potestas indivulsa continetur, ita et in episcopatu utraque simul perfectio Sacerdotii et pastoralis muneris complectitur vi Sacerdotii ; nec derivat a Papa etc.

Expositae hactenus contrariae sententiae infestum non sit exponere tertium judicium quod in concordiam illas videtur reducere, distinguens jurisdictionem ipsam quoad primam institutionem, et quoad derivationem ejus in subjectum quoddam : etsi enim infert, omnis potestas a Deo sit, non tamen omnis in subjectum quodvis immediate ac proxime confertur a Deo; ac si etiam a Deo sic confertur, non continuo sequitur ut ea potestas tum aliis obligationibus subjecto inhaerentibus, tum potestate sublimiore, tum pactis constringi non possit. Vel ut aliis placet : jurisdictionem esse quidem immediate a Deo quoad originem seu institutionem ; immediate vero a Pontifice quoad limitationem, seu modum exercitii.

Ceterum quemadmodum revelatio a Deo facta sive immediate, sive mediate ac veluti per longam deductionem, traditionemque nobis innotescat pari fidei assensu ac firmitate amplectenda a nobis ipsis

(1) *Joann. XV.* 16.
(2) *Joann. XX.* 21.
(3) *Galat. I.* 1.

est ac tenenda; sic non tam inquirendum nostrum sit, qua via in Episcopos sacra potestas perveniat, quam potius cujusmodi sit et quanta observetur interpetrari opus est. Sit igitur

CONCLUSIO TERTIA

Origine potestatis Episcopalis excussa, de plenitudine ejus disseritur.

In Petro et in Apostolis instituta potestate a Christo, potestas Episcoporum simul instituta fuit quando dixit illis: *Hoc facite in meam commemorationem: mittam Spiritum veritatis qui manet vobiscum in aeternum. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Ex illa ergo Petri et Apostolorum potestate, quae Episcoporum sit par erit videre. Plenitudinem potestatis Petri inter Apostolos, proindeque Papae inter Episcopos successores eorum, ipsa ratio fundamenti indicat ac Pastoris universalis, officiumque confirmandi fratres, nec non claves regni coelorum, regni scilicet Christi datae Petro, quem ideo ejusdem regni voluit esse Vicarium ac visibile caput, clare demonstrant (a). *Quoniam et inter beatissimos Apostolos*, ait S. Leo (1), *in similitudine honoris fuit quaedam discretio potestatis; et cum omnium par esset electio, uni tantum datum est ut ceteris praemineret.*

Salva tamen hac plenitudine quae spectat supremum Ecclesiae Caput, quid potestatis a Christo collatum sit Apostolis declarandum; super fundamentum enim

(a) Vide quae dicta sunt concl. I. c. 2. lib. 2. p. 261.
(1) *Ep. XIV. edit. Venet. olim XII.*

Apostolorum et Prophetarum superedificati dicuntur a Paulo (1) fideles: et Ecclesiae tamquam civitatis santae *murus*, habet fundamenta duodecim, et in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni (2); quia instar columnarum eos fecit super fundamentum positos Christus; sed quibus aedificium portatur ipsum.

Sacerdotii plenitudinem Apostolos accepisse a Christo jam praenotatum fuit (a). Potestatis vero juris-dictionis tribuit eis Christus, qua et Petri privilegium integrum servaretur. Adstricta nimirum fuit ad unitatem catholicam quam S. Cyprianus *glutinum*, dicit, *Sacerdotum*: hinc subordinata et subiecta Primatui ejusdem Petri (b). Verum in Apostolis ratio muneris episcopalis, et ratio Apostolatus cum extraordinariis juribus ac donis conjuncta necessario distinguenda sunt, ut jam notatum etiam pluries fuit.

Hisce praeiactis quae sit in Episcopis successoribus Apostolorum potestas videre est, quaeque plenitudo ejus. Et primum in illis subsistere plenitudinem Sacerdotii sive potestatis ordinis omnes unani-

---

(a) Non loquimur hic de Sacerdotio sive de plenitudine potestatis ordinis; Papatus enim sive Summus Pontificatus non est sacer ordo ab Episcopatu distinctus: sed eminentia jurisdictionis in episcopatu qua inter Episcopos quoad potestatem ordinis equales, unus omnibus et singulis praecellit, divina institutione, ut unum sit Caput in una Ecclesia. Hinc potestas plena ordinis eadem in Papa ac in Apostolis et successoribus Episcopis. De hac tamen cum de Sacramento Ordinis disserebimus, redibit sermo.

(b) Jam de Apostolorum jurisdictione disseruimus tom. 1. concl. 1. c. V. pag. 25. et concl. 1. c. VI. pag. 51. ubi argumentum hoc enodatum habetur.

(1) *Ep. II.* 10.

(2) *Apoc. XXI.* 14.

miter profitentur. Quod vero potestatem jurisdictionis, devenisse eam etiam ad Episcopos nec ullus catholicorum negat, et ex Tridentino ipso jam superiori conclusione comprobatum manet, imo ipsum nomen Episcopi cum potestate ordinis complectitur illam jurisdictionis (a) adstrictam tamen unitati et subordinatam proinde pontificiae potestati: unde natura sua constringi sequitur 1.° legibus generalibus Ecclesiae; quas obtentu temporalis commodi violare Episcopus non debet (1) et contra quas statuere nihil potest (2), 2.° per causas majores, sive illas quae juxta canonicas sanctiones apud Sedem Apostolicam sunt tractandae (3), 3.° specialibus avocationibus causarum (4) ec. reservationibus et exemptionibus (5).

De hac plenitudine potestatis Episcopalis alii alia sentiunt. Sunt qui etsi praerogativas extra ordinem

---

(a) Claudicare aliter videretur una sine altera potestas, nam perfecte et simpliciter non videretur Episcopus qui jurisdictione institutus confirmatione suae electionis, caractere episcopali adhuc non esset insignitus, nec qui eo insignitus, plebem non haberet regendam. Fuit inde ut Patres nec Episcopum proprie dixerunt qui consecratus non sit. Nec ipse sic provideret satis Ecclesiae cum non posset ministros ei necessrios ordinare, proindeque Innocentius III. consummatum foedus inter Episcopum et Ecclesiam dixit intelligi *in consecratione* (*) et viduatam Ecclesiam juxta communem usum dicendam quae Sponsum non consecratum habet, inutilem enim sic habet. Consecratus vero ad hierarchiam sine jurisdictione, ecquomodo pertineret si per se supponit illa aliquam jurisdictionem?

(1) *C.* 5. *de M. et O.*

(2) *C.* 9. *eod.*

(3) *Trid. Sess. XXIV. c.* 20. *de reform.*

(4) *Ibidem.*

(5) *Vide concl.* 1. *c. II. hujus lib. p.* 263. *et seqq.*

(*) *Cap.* 2. *de transl. Episcop.*

Apostolis concessas ob necessitatem nascentis Ecclesiae negant Episcopis, subsistere tamen in iis aliquo sensu docent sollicitudinem omnium Ecclesiarum, cujus virtute debent invigilare super integritate fidei et morum, in Conciliis condere canones, et concurrere ad regimen Ecclesiae. Insuper quantum ad proprium gregem unicuique Episcopo specialiter commissum, subsistere plenitudinem jurisdictionis Apostolicae. Quod axiomate compraehendunt « Quidquid » potest Pontifex in toto orbe, si ea excipias quae » ad universae Ecclesiae statum pertinent, ut res de» finire, et similia, potest Episcopus in sua dioe» cesi, nisi specialiter per Pontificem aliquid reser» vetur, quia est Pastor ordinarius in sua dioecesi, » sicut Pontifex in toto orbe, licet ipsi sit subje» ctus. » Ita Sanchez (1), Hallier (2) et alibi.

Alii vero sunt qui tenentes ad Episcopos devenire immediate a Papa potestatem jurisdictionis, quoad plenitudinem hujus Apostolis illos non succedere ajunt, *Episcopos*, cum Innoc. III. affirmantes (3), *vocari in partem sollicitudinis*, *non in plenitudinem potestatis*. Axioma vero illud praedictum omnino dimicant atque negant.

Quod animum nostrum de his sit sequentibus conclusionibus aperitur.

---

(1) *De Matrim. l.* 1. *disp.* 61.
(2) *De Divin. inst. Episc. lib.* 1. *c. II. ar.* 4.
(3) *Cap. Nisi de pallio.*

CONCLUSIO QUARTA

Episcoporum Sedes adstrictas ad Dioeceses esse; atque in frequentioribus praesertim urbibus constitutas demonstratur.

Apostolos misit Christus *in mundum universum* (1); initiis enim Ecclesiae onus fuit hoc necessarium: proindeque jus relativum ei in ipsis Apostolis extraordinarium colligitur; nec ad Episcopos successores transiit. Apostoli interim cum ubique praedicare Evangelium nequiverint, varias divisim regiones ipsi peragrarunt, in quibus Sedes Episcopales constituerunt, et Epipos a se institutos in illis affixerunt, atque certam portionem gregis eisdem assignarunt (a). Ita Titus Timotheus et majores natu; qui instituti a S. Paulo Ephesi, indeque Miletum ab eodem evocati fuere (2): patet hoc etiam in septem Angelis, seu Episcopis

(a) Divus Petrus et Paulus bis in Italiam uterque seiunctim appulere, ut ipsae sacrae literae simul et traditio testantur, ac plurimas hujus potissimum Regni Neapolitani peragrasse provincias Episcopos ordinando in pluribus urbibus praesertim Brundusii, Hydrunti, Tarenti ut narrat Jo. Juvenis (*) Bari, Trani, Uriae, Andriae Cupersani, Paulus Antonius de Tarsia (**) et alibi ut videre est apud Gagliardi (***) qui ex vetusta traditione ait datum a S. Petro Neapolitanis primum Episcopum S. Asprenum, Resinensibus prope Neapolim Ampellonem, Puteolanis S. Patrobam etc.

(1) *Matth. ult.*

(2) *Act. XX.*

(*) *De antiquit. et varia Tarentinorum sort. lib. 8. cap. 1. et Auto. Galateus lib. de situ Iapigiac.*

(**) *Lib. 3. Histor. Orpersanem.*

(***) *Inst. 9. C. Lib. 1. Tit. XVIII.*

Asiae de quibus S. Joannes agit (1). Salubriter ergo ex antiquis moribus in ipso Ecclesiae exordio introducta sensim divisio fuit parochiarum, dioecesium, provinciarumque, deinde vero in Conciliis confirmatum magisque explicatum ut intra suos fines, et subditos quisque potestatem contineret episcopalem. Ita ut jure scripto primum locali, tum generali cautum sit Episcoporum potestatem adstrictam esse ad dioeceses (a). Opus profecto fuitne in ipso regimine Ecclesiae dissensio aut confusio orirentur, ut divina Episcoporum potestas modum hunc legitimae administrationis, et exercitii ipsius limitationem ab jure ecclesiastico mutuaretur. Sicut et modum habuit atque limitationem in novas fundandas Sedes Episcopales, conservandosque Episcopos; quod jus ab Apostolis ad eos non transit, ita ut nisi auctoritate Apostolica exercere illud possint uti Paulus Tito in mandatis id dederat; *ut constituas per civitates Presbyteros, sicut et ego disposui tibi* (2) (b).

(a) Post Concilium Eliberitanum in Hispania ann. 304, Nicenum jussit ut de civitate in civitatem ne transiret unquam vel Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, contraria omnium abolita consuetudine: alias cogerentur ad suam redire Ecclesiam, et irrita esset cujusque ordinatio sine sui Episcopi consensu. Quae vero sit Episcopi Ecclesia, sive ut usu dicitur *dioecesis* S. Cyprianus sic definit (*) « Ecclesia est plebs Sacerdoti » suo adunata, et Pastori suo grex adhaerens; unde scire de» bes Episcopum in Ecclesia esse, et Ecclesiam in Episcopo; » et si quis cum Episcopo non stet in Ecclesia non esse ».

(b) Vide quae dicta sunt de praerogativis Papae hoc libro cap. XIII. concl. 7.

(1) *Apocal. I. in fin. et II. et III.*

(2) *Tit.* 15.

(*) *Epist. ad Florent.*

Contra hanc disciplinam aliquid extra dioecesim agere non licuit nisi vel consensu Episcopi a cujus arbitrio pendebat, vel caritatis lege, vel denique cum congregatis Synodis, in medium consulerent de re communi Ecclesiae universalis, aut amplioris districtus. Et revera jure ecclesiastico quo distincti fuere fines jurisdictionis non potuit auferri divina potestas ab Episcopis, ut urgente necessitate contra gliscentes praesertim haereses vel extra limites dioecesis suae extenderetur. Ita observatum scimus a Sanctis Episcopis (a).

Ut autem in frequentioribus urbibus Sedes Episcopalis institueretur cautum est (b). In causa est major aut minor urbium multitudo, quibus quaedam provinciae aut gentes componuntur; in iis enim Episcopi nomen et auctoritas efficacior ac splendidior est S. Leone ajente (1) *Episcopalia gubernacula, nonnisi majoribus populis et frequentioribus civitatibus prae-*

(a) De Athanasio refert Socrates (*) quod ex *exilio* redux per Pelusium iter faciens Alexandriam . . . . in quibusdam Ecclesiis ordinationes fecit. Et de Eusebio Samosateno ita Theodoretus (**) « magnus autem Eusebius ab exilio reversus Beroeae » quidam Acaciam, cujus celebris fama est, Episcopum ordina- » vit; Hierapoli Theodatum . . . Eusebium praeterea Chalcidi » et Isidorum Cyro nostrae Antistites dedit.

(b) Ita post can. 57. Synodi Laodicenae ann. 320. In Synodo Sardicensi quasi oecumenico ann. 347. definitum fuit Can. VII. « licentia vero danda non est ordinandi Episcopum, aut « in vicu aliquo, aut in modica civitate, cui sufficit unus Pre- » sbyter: quia non necesse ibi Episcopum fieri, ne vilescat » nomen Episcopi, et auctoritas.

(1) *Cap. Episcopalis t. de privilegiis.*

(*) *Histor. Eccl. lib. II. c.* 24.
(**) *Hist. Eccl. lib. V. c.* 24.

sidere oportet : ac honor cui debent excellentiora committi, qui numerositate vilescit.

Hinc ex antiquis subscriptionibus conciliorum et SS. PP. epistolis satis patet magnum Sedium Episcopalium numerum in Asia, Aegypto, Graecia, Africa, Italiaque extitisse ab inde IV. seculo; pauciorem vero in Hispania, Gallia et Germania : nam soli Patriarchae CPolitano Metropolitae parebant octaginta, quorum nonnulli suffraganeos triginta habebant. In hoc Regno Neapolitano post Concordatum an. 1741. inter Benedictum XIV. et Carolum III. inclusis Archiepiscopatus, centum et sex numerabantur Episcopatibus. Jure novissimo nova circumscriptio dioecesium locum habuit quas recensere quis poterit ex tabula quam promisimus dare in fine operis quod agimus.

CONCLUSIO QUINTA

Regula Apostolica vindicata, unus in una eademque civitate Episcopus; de titularibus agitur.

Prob. Ex Patribus priorum seculorum: idem enim Cyprianus qui docuit *Episcopatus unus est cujus a singulis pars in solidum tenetur* (1) (a) : subdit (2):

(a) Episcopalis potestas origine sua nullis terminis fuit conclusa ; nam *in universum mundum* misit Christus Apostolos. Hinc S. Ignatius Martir Antiochenus Episcopus seculo II. ineunte multas dedit epistolas dogmaticas ad Ephesios, Magnesios, Tralliense, Romanos etc. (*). S. Polycarpus Smyrnae a S. Joann. Apostolo, Episcopus institutus scripsit ad Philippenses (**).

(1) *Lib. de unit. Eccl.*

(2) *Epist. LXVIII. ad Steph.*

(*) *Vide N. Alex. hist. secul.* 1. *diss.* 23.

(**) *Vide S. Iraen. l.* 3. *advers. haeres. c.* 3.

singulis Pastoribus portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque, et gubernet. Et Tertullianus (1) *Ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt* (Apostoli). Quo spectavit certe illud Lucae (2): *quum constituissent illi per singulas Ecclesias Presbyteros.* Revera uno Episcopo in unaquaque Ecclesia particulari, unitas Ecclesiae universalis elucet magis. Porro multitudo hominum non potest esse unum corpus morale, nisi unitate regiminis, auctoritate imperandi, et necessitate obediendi. Hinc S. Ignatius dixit (3) *una caro D. N. J. C. unus sanguis pro nobis effusus est; unus panis, unus calix, unum altare; unus Episcopus cum Presbyterorum collegio, et Diaconis conservis meis; una fides, una Ecclesia.*

Ob hanc unitatem fidei, discretio quaedam potestatis inter Episcopos facta fuit ab Ecclesia; sicut antea cum argumentum egimus de institutione Patriarcharum et Prophetarum, demonstratum fuit. Ad eandem unitatem servandam expediens visum fuit ut unus in una civitate Episcopus sit, cui Christianus grex tamquam Pastori suo communione adhaereret, et a quo, ad aeternae vitae pascua duceretur. Nonne si cujuslibet Ecclesiae membra a se dissiliant, grave vulnus eo ipso recipiunt? (a). Merito igitur a Ni-

(a) Facultas Parisiensis contra Auctores qui impugnarant necessitatem episcopalis muneris post schisma Ecclesiae Anglicanae inter alias quas confixit propositiones illorum, ut haereticam notavit atque damnavit sequentem « Ordinatio Presbyterorum et ministrorum Ecclesiae sola est causa, quae infert necessitatem Episcopi ». Verum Urbanus VIII. silentium utrique parti imponens, judicium decretorium S. Sedi reservavit.

(1) *Lib. de praescript. advers. haeres. c.* 28.

(2) *Act. XIV.* 22.

(3) *Epist. ad Philadel.*

caena Synodo cautum fuit (1): *ne in una civitate duo sint Episcopi.* Quod comprobatum fuit ab Lateranensi IV. (2): *prohibemus omnino ne una eademque civitas aut dioecesis diversos Pontifices habeat, tamquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum.* Ipseque Augustinus (3) de se ipso affirmat: *adhuc in corpore posito beatae memoriae patre, et Episcopo meo sene Valerio, Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo: quod Nicaeno concilio prohibitum esse nesciebant, nec ipse sciebat.*

Verum ultro fatemur non defuisse exempla in Ecclesia quibus mos etiam invaluisse constat ut duo, vel plures assignati essent in eadem civitate Episcopi praecipue in Orientis partibus (4).

Ast quoniam simul constat quod exemplis iisdem nulla solutio, aut minutio ulla passa sit unitas fidei, ob quam regula proposita defenditur: nunquam enim duos unius civitatis Episcopos unum schismaticum, catholicum alterum aliquando statutos scimus in eadem civitate, sed duos ambos catholicos, semper tamen ob bonum unitatis ipsius nimirum, vel ut pax concilietur quae vinculum unitatis est, vel ut graviora pericula vitarentur contra eamdem exorta, vel ut saluti populorum quoquo modo consuleretur ex. gr. in Oriente populis omnino diversis, diversae linguae, et diversi ritus, duos vel plures assignati fuerunt Episcopi.

Nec latet insuper quandoque Episcopo dari propter senium, infirmitatem, aliudve impedimentum

(1) *Can. VIII.*
(2) *Can. IX.*
(3) *Epist. CX.*
(4) *Thomass. p. 1. lib. 1. c. 29.*

coadjutorem cum charactere episcopali aliquando cum futura successione, aliquando sine tali jure. Hoc tamen ex dictis nec contraire quis videt eidem propositae regulae: eo vel magis quod assignari his coadjutoribus solet titulus alicujus Ecclesiae in partibus infibelibus, qui titulares dicuntur Episcopi.

Sunt autem Episcopi titulares qui ad nudum quarumdarum Ecclesiarum in *partibus* Infidelium titulum promoti, usu potestatis, et jurisdictionis exercitio penitus expoliantur (a). At vero interim abhorret Gersonius dum vanum dicit (1) et monstruosum Episcopum sine plebe, et potestate cui non est operatio; probavit namque illos Ecclesia tot tantisque exemplis: nec immerito dum utillimos sibi experta est, ac rationi et votis suis consentaneos (b), nimirum

---

(a) Horum origo fuit ab aliquibus Episcoporum qui subactis urbibus Christianorum eas derelinquere coacti, a S. Sede praeficiebantur, et incardinati erant aliis Ecclesiis Christianorum vacantibus ea conditione, ut quasi postliminii jure ad priorem sedem, cessante captivitate redirent. Vacantes vero Episcopi *peregrini* vel *schoti* idest incerti, fugitivi, vagi dicebantur, quia Sedem non obtinebant permanentem. Vide Thomass. (*). Modo tandem creantur denuo Episcopi Titulares.

(b) Juvat exscribere sententiam Benedicti XIV. (**) « Consentaneum valde esse si *tituli in partibus* aliquando conferantur, nempe si justa intercesserit causa, si non ambitioni serviant illius, qui solum Episcopi dignitatem expetit, omni negotio, et animarum cura vacuam et immunem; si denique Episcopus *in partibus* aliquam Ecclesiae Dei afferre possit utilitatem, et iis muneribus perfungi debeat, quae characterem episcopalem necessario requirunt, et quae ecclesiastico regimini prodesse maxime judicantur. »

(1) *In tract. de stat. Eccl. consid.* 8.

(*) *De V. et N. E. D. Part. I. c. XXVII. n.* 4. *et* 8. *et seqq.*

(**) *In Const. cum a nobis* 36. §. 1. *tom.* 2. *Bullarii sui.*

praeterquam quod alios ipsorum Pontifex in longinqua mittit ad praedicandum infidelibus et haereticis cum facultatibus amplissimis dictos *Missionarios Apostolicos*, alios apud Christianos Principes Nuntios et Legatos; utitur aliisque per urbem et orbem in iis quae inferiores non decet obire (1), eosdem ordinat titulo Ecclesiarum in partibus infidelium tum quod spes forte affulget eas iterum recuperandi, tum quod ne antiquae illarum dignitatis memoria prorsus delitesceret. Ipsa demum Tridentina Synodus eorum nec numerum, nec statum reformandum censuit, sed cavit (2), ne pontificalia in alterius dioecesi, nisi de expressa licentia dioecesani exercerent; neque alienum subditum praetextu etiam familiaritatis continuae in quovis loco exempto, aut nullius dioecesis ad ordines sine ordinarii consensu litterisque dimissoriis promoverent. Immo ordinati ab eo sine consensu proprii Episcopi ipso jure sunt suspensi, donec suo Praelato visum fuerit. Episcopus vero titularis ordinans, seu Pontificalia exercens sine Ordinarii dioecesani licentia est suspensus per annum ab usu pontificalium.

Verum obtinens canonicatum Episcopus titularis in Ecclesia Cathedrali potest, et debet in ea uti rocheto et mantelletta violacei coloris (3). Debet praecedere omnibus aliis Canonicis et dignitatibus tam quoad stallum, quam quoad functiones cantandi Missas, et omnia alia (a) (4). Subest visitationi Ordinarii ad in-

(a) Quid de Episcopo Titulari administratore alterius Eccle-

(1) *Vide Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. II. c. VII. n.* 1.

(2) *Sess.* 14. *cap.* 2. *de reform.*

(3) *Sacr. Congr. Rituum in Compostellana ann.* 1617.

(4) *Eadem Congr. in Ragusina ann.* 1594. *et alibi.*

star aliorum Canonicorum, et tenetur ad legem Dioecesanam (1). Denique Episcopus titularis non est creandus nisi vere urgeat necessitas (2). De jure tamen vocandus est ad Concilia generalia; retinent enim jurisdictionem in actu primo, quoad suas Titulares Ecclesias.

MONITUM.

De creatione Episcoporum quae continet electionem, eorum ordinationem et vocationem seu confirmationem aut missionem non est cur hic moremur dicere, jam enim de his disseruimus cum de jurisdictione ordinaria egimus, de electione et confirmatione electionis, item de modis quibus illa acquiritur, item de praerogativis tractavimus Romani Pontificis in specie (3).

Quae vero spectant renuntiationem translationem permutationem eorumdem Episcoporum dicta etiam sunt cum de modis quibus potestas jurisdictionis amittitur disseruimus (4).

---

siae in functionibus, et quomodo tenentur Canonici ei adsistere; vel de Titulari obtinente Canonicatum cum celebrat Episcopus localis; vide Lucium Ferrarium. Biblot. Verbo *Episcopus*. Art. VII. n.° 40. et 41.

(1) *Sacr. Congr. Episcop. ann.* 1632.

(2) *Clement. In plerisque c.* 5. *de elect.*

(3) *Cap. VI. et seqq. lib.* 1. *cap. III. concl. VII. hujus lib. II.*

(4) *Cap. XIII. lib.* 1.

CONCLUSIO SEXTA

Episcoporum immediata jurisdictio in sua dioecesi defenditur atque exponitur.

Uni et unitati a Christo claves regni coelorum datae sunt. In Episcopos inde reddituros rationem animarum populi, immediata esse debet illorum jurisdictio: nec nisi audacter ac inepte dictum fuit (a): parochis et propriis locorum Sacerdotibus jure divino curam immediatam ita committi, ut Episcopis nihil aliud fere remaneat, quam invigilare, ut Sacerdotes suum expleant munus, et negligentiam eorumdem suppleant; reclamante canone Apostolorum (1) *Presbyteri et Diaconi sine sententia Episcopi nihil perficiant* (b).

(a) Inter alios fuit Auctor libri cui titulus *Pouvoirs lègitimes du premier, et du second ordre.*

(b) Hinc potest Episcopus certa munia quae proprio Parocho competent, alicui Sacerdoti committere puta, matrimonio interesse, confessionem annuam excipere etc. *Qui aliter*, ait Trident. (*) *quam presente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi seu* Ordinarii *licentia et duobus testibus matrimonium contrahere attentabunt* etc. Et inde DD. colligunt posse et interdum debere ab Episcopis etiam invito Parocho, curare, ut per alios Sacerdotes fiant extraordinaria exercitia, vel missionum actus etc. Num vero possit generaliter instituere vicarium Parochi *inviti* et contradicentis, ita ut ille possit eum repraesentare et supplere, communiter affirmatur quando Parochus nec per se munia pastoralia implet, sive quia non potest, ex imperitia, sive quia negligit, nec vicarium praesentat idoneum Episcopo, nam Trid. sic cavit (**) « Quia illiterati, et imperiti parochialium Eccle-

(1) *Can.* 38.

(*) *Sess. XXIV. c. de reform. matrim.* 2.

(**) *Sess. XXI. c.* 6. *reform.*

Inde etiam patet quod Episcoporum sit determinare limites intra quos ordinaria jurisdictio Parochorum exercetur ita ut etiam novas parochias possint constituere ob locorum distantiam sive difficultatem Parochianorum accedendi ad Ecclesiam (1). Pa-

---

siarum rectores sacris minus sunt apti officiis, et alii propter turpitudinem vitae potius destruunt quam aedificant, Episcopi, etiam tamquam S. Sedis delegati eisdem illiteratis et imperitis, si alias honestae vitae sint, coadjutores aut vicarios pro tempore deputare partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quacumque appellatione remota.

Demum praeter hanc devolutionis circumstantiam, alii sunt qui contendunt sine consensu Parochi non posse in ejus Parochia vicarium constitui uti Van-Espen ex jure quo Parochi fruuntur suos vicarios eligendi ut ex Trid. (*). Constat: e contra quod alii plerique tenent etiam invito et renuente Parocho vicarium posse constitui, qui possit in omnibus muniis parochialibus Parochum supplere: imo ut immediate pastor et per se, et per quos libuerit populum sibi creditum pascere, quibus adsentîmur. Adde quod ipsis fatentibus adversariis, si non possit Episcopus nisi per viam contentiosam procedere, ut jus illud devolvatur sibi posita Parochis obstinatione et negligentia, recte peragat illa via. Eccur ergo non poterit etiam non contentiosa via, ut evitentur scandala, et necessitati occuratur Ecclesiae? Praeterea nec constat praeteritis seculis jus illud Parochorum cui nituntur adversarii; sed potius prioribus seculis, nullum ordinatum clericum nisi ad certum officium aut titulum, ita ut coadjutor dabatur ab Episcopo; et media aetate si qui praesentati fuere vel electi vicarii a Parochis, multis monumentis patet quod approbandi erant ab Episcopo. Quidquid vero sit de aetate certum tamen est a Concil. Trident. usum invaluisse ut Episcopis relinquatur delectus et missio vicariorum parochialium.

(1) *Concil. Trid. sess. XXI. c. 4. de reform.*

(*) *Sess. XXI. c. 4. de refor. et sess. XXIII. c. 1. Item D. Thom. Q. quodlib. XII.*

riter parochias unire, alicuique Ecclesiae adjungere (1) servatis de jure servandis quoad effectum.

Qua ratione autem plures simul habere possint immediatam jurisdictionem sic D. Thomas exponit (2): « Revera inconveniens esset, si duo aequaliter super » eamdem plebem constituerentur, sed quod duo quo- » rum unus alio principalior super eamdem plebem » constituatur non est inconveniens, et secundum » hoc super eamdem plebem immediate sunt et Sa- » cerdos, et Episcopus, et Papa, et quilibet eorum » potest ea quae jurisdictionis sunt ad ipsum perti- » nentis, alteri committere. Sed si Superior qui et » principalior est, committat dupliciter, potest com- » mittere ; aut ita quod vice sua constituat, sicut » Papa, et Episcopi suos poenitentiarios consti- » tuit; et tunc talis est principalior, quam infe- » rior Praelatus, sicut poenitentiarius Papae, quam » Episcopi, quam Sacerdos parochialis, et ei magis » tenetur confitens obedire; alio modo ut eum coad- » jutorem illius Sacerdotis constituat, et quia coad- » jutor ordinatur ad eum cui coadjutor datur, ideo » coadjutor est minus principalis, et ideo poenitens » non tantum ei obedire tenetur, quam proprio Sa- » cerdoti. »

CONCLUSIO SEPTIMA

Objecta jurisdictionis Episcoporum praecipua articulatim enucleantur.

Amplissima Episcopalis potestas distincte intelligitur ex objectis, quae attingit, iisdem prope, in

(1) *Idem sess. XXIV. c.* 13. *de reform.*
(2) *Supplem. q.* 8. *n.* 5.

quibus Apostoli sua usi sunt potestate, et quorum ambitu omnes religionis functiones complectuntur. Objecta igitur haec expendere aggredimur ut Episcoporum jurisdictio dignoscatur.

Fides.

Art. I. Prima Episcoporum cura est conservare in grege sibi commisso puritatem fidei, et morum, atque unitatem catholicam; pro salute enim gregis eis commissi nihil magis necessarium. Vel ergo considerentur collectim instar unius corporis capiti Ecclesiae, nempe Vicario Christi adhaerentis et tunc sive in concilio, sive per suas Sedes distributi immota est eorum auctoritas in definiendis controversiis, quae ad fidem referuntur. Vel singuli; et potestatem exercent pro defensione fidei ejusdem, sed eam de qua diximus cum de praerogativis Rom. Pontificis sermo fuit (1): ubi ad rem notatum fuit munus etiam Episcoporum visitationis faciendae ad limina Apostolorum quod proinde heic explicandum ducimus.

Et primum limina Apostolorum ibi esse dicuntur ubi est Papa (2). Munus vero visitationis liminum in tribus actibus potissimum consistit; scilicet in materiali sacrorum liminum visitatione, in exhibitione debitae obedientiae et reverentiae Rom. Pontifici, et in relatione status Ecclesiae (a). Visitari

(a) Vide Bullam Xisti V. *Quo circa.* Eorumdem actuum vero meminit S. Cong. Concil. in literis patentibus quas tribuere solet Episcopis post peractam visitationem, quarum formulam tra-

(1) *Cap. III. concl. I. et II. prope finem pag.* 271 *et seqq.*

(2) *Vide Fagnan. lib.* 2. *Decret. in cap.* Ego N. Episcopus 4. *de jurejurando n.* 82.

illa debent ab omnibus Episcopis, et pari lege non exceptis Cardinalibus, Abbatibus, Prioribus et Praepositis, ceterisque tam secularibus, quam regularibus qui monasteria, aut Ecclesias habent cum jurisdictione, quasi Episcopali, ac territorio separato (1) (a). Promovendi vero ad easdem dignitates juramentum praestare debent juxta formam in citata constitutione descriptam in manibus Cardinalis decani, si praesentes sint in Curia, et si absentes in manibus Nuncii, aut Legati Apostolici, eoque absente in manibus alicujus Archiepiscopi vel Episcopi eorum arbitrio eligendi scilicet, se liminum visitationem *nullo intercedente legitimo impedimento personaliter* peracturos esse, aliter Romam mittere procuratorem virum ecclesiasticum, qui huic legi satisfaciat, et causas ipsas jurati docere debent, quibus suo munere fungi nequeunt (b). Singulis vero trienniis a die possessionis

---

dit Fagnanus (*), praeter Lucium Ferrarium qui verbis *Limina Apostolorum*, et *visitare* satis abunde refert quae hoc argumentum spectant.

(a) Seclusis impedimentis legitimis, si non visitaverint statutis temporibus, ab ingressu Ecclesiae, etiamsi Cardinalatus honore praefulserint, ac etiam ab administratione tam spiritualium, quam temporalium, nec non a perceptione fructuum suarum Ecclesiarum, a Capitulis earum interea libere exigendorum, et in opus fabricae seu ornamentorum Ecclesiae emptionem, tandiu sunt suspensi ipso facto, donec a contumacia resipiscentes relaxationem suspensionis a Sede Apostolica meruerint obtinere (**).

(b) Canonici missi ab ipsorum Episcopis ad Limina visitanda

(1) *Consule Bened. XVI. in Append. tom.* 1. *ejus Bullarii ubi de hoc argumento institutio proponitur. Item Const. Quod Sancta.*

(*) *Cit. loc.*
(**) *Const. cit. Sixti V. Rom. Pontifex.*

apprehensae incipiendis, visitanda Limina Apostolorum sunt ab iis qui in Italia, insulisque adjacentibus, in Dalmatia, finitimisque Graecorum regionibus commorantur. Ceteri qui longius absunt, inter quatuor, aut quinque, aut etiam decem annos pro diversa locorum distantia (1) (a). Quod demum statum relationis faciendae spectat, ejus forma a sacra Concilii Congregatione edita fuit, cui Episcopi curent se conformari, quaeque habetur exscripta a Fagnano et Lucio Ferrario (2) et reducitur ad quaedam districta capita quorum: 1.° ad statum materiale Ecclesiae, 2.° ad personam ipsius referentis, 3.° ad Clerum secularem, 4.° ad Clerum regularem, 5.° ad Moniales, 6.° ad Seminarium, 7.° ad Ecclesias, Confraternitates et Loca Pia, 8.° ad Populum, 9.° denique refertur ad Postulata, quae ab ipso deferente Sacrae Congregationi proponuntur. Quod si alia pro suarum indigentia Ecclesiarum addenda existimave-

---

eorum nomine, lucrantur distributiones quotidianas (*): Canonico in urbe demerante, si ipse deputetur ad ea, debentur ipsi distributiones unius mensis (**). Si vero Episcopum comitasset, tunc debentur ei pro toto tempore accessus, mansionis, et recessus (***).

(a) Constitutione Urbani VIII. incip. *Sancta Synodus* ann. 1634. concessum fuit Episcopis ultra montes septem menses, et Episcopis citra montes quatuor menses pro visitandis Liminibus; quod tempus videtur respective canonicis etiam commissum pro tali fine comitantibus.

(1) *Vide Constit. Romanus Pontifex Sixti IV. tom. 4. p. 4. Bullarii Mainard.*

(2) *Verbo visitare.*

(*) *Garcias de beneficiis sic decisum a Sacra Congregatione refert.*
(**) *Sac. Congr. Concil. in Vigilen. ann.* 1682.
(***) *Eadem Congr. in Comen. ann.* 1688.

rint Episcopi, et quae ex justitiae et caritatis norma per se expediet, liberum est eis addere.

Praedicatio.

Art. II. *Fides ex auditu* (1): *Gratia et veritas per Jesum* (2) qui postquam dixit Apostolis *euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae*, addidit, *qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit* (3). Munus ideo praedicandi adeo sui proprium crediderunt Apostoli, ut Paulus non dubitaverit asserere se non ad baptizandum, sed ad praedicandum missum fuisse (4). Hinc ex eodem Apostolo sequitur, Episcopum necessario debere omni sacra doctrina esse instructum, *amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sacra, et eos qui contradicunt arguere* (5). De hoc idem munere sic S. Synodus Tridentina habet (6) « Quia praedicatio Evangelii » est praecipuum Episcoporum munus statuit et de» crevit eadem S. Synodus omnes Episcopos teneri » per seipsos, si legitime impediti non fuerint ad » praedicandum Sanctum J. C. Evangelium (a). Si

(a) S. Ligorius cum aliis graviter aliquando peccare observat (*) Episcopum qui hoc munus negligeret. Verum subdit Episcopi rarius quam Parochi tenentur conciones habere. Ast

(1) *Rom.* 10.
(2) *Joann.* 1. 17.
(3) *Marci c.* 16.
(4) *Ad Corinth.* 1. 17.
(5) *Tit.* 1. 9.
(6) *Sess. V. c.* 2. *de reform.*

(*) *Lib. III. p.* 269. *et Par.* 6. *de offic. Episc. p.* 111. *all.* 86.

» vero contingerit Episcopos legitime detineri impe-
» dimento, viros idoneos assumere teneantur ad hu-
» jusmodi praedicationis officium salutariter exequen-
» dum. Si quis autem hoc adimplere contempserit,
» districtae subjacet ultioni (a). »

---

frequentissima sunt impedimenta legitima, sive ob negotiorum multitudinem, sive ob plurimas circumstantias, quae Episcoporum praedicationem comitari debent, ut vere prosit, et quae absunt saepissime. Supplent vero literis ad idem pastorale munus spectantibus quas per dioecesim dirigunt ipsi Episcopi, et de quibus sic Conc. Tol. an. 1590. c. 5. « Perdifficile est Episcopis, iis » praesertim qui latioribus dioecesibus sunt constituti, omnes Ec- » clesias perlustrare, et in eis concionem habere, eos tamen » hortatur haec Synodus ut Apostolorum exemplo populum sae- » pius per literas invisant et consolentur, idque potissimum iis » temporibus, quibus anniversaria nostrae redemptionis myste- » ria celebrentur. »

Pactis conventis ann. 1818. initis inter Pium VII. et Ferdinandum I. art. XX. dicitur. « Cum clero et populo dioece- » sano pro munere officii pastoralis communicare suasque in- » structiones, et ordinationes de rebus ecclesiasticis libere pu- » blicare, indicere preces, aliaque opera pia, cum id bonum » Ecclesiae, vel status, aut populi postulet, Archiepiscopis et » Episcopis Regni liberum erit. »

(a) Jure civili ex regio rescripto ann. 1744. cautum fuit in hoc regno licere universitatibus locorum, quae eleemosynam concionatoribus praestare soleant, tres Episcopo dioecesano examinandos nominare ad ultimum usque Novembris diem, ex quibus unus ab Episcopo eligendus concionabitur in futura Quadragesima. Si quando autem negligat universitas intra praefinitum tempus nominationem, solius Episcopi arbitrium erit tunc eligere concionatorem ab eadem universitate consuetam laboris mercedem accepturum. Si tamen aere suo maluerit Episcopus honorarium solvere, concionatorem arbitratu suo deputabit sine ulla nominatione. Tum regio rescripto ann. 1745. publicata fuit ad curiam Cappell. Major. constit. Bened. XIV. *gravissimum* ejusdem anni edita pro sacris missionibus in regno peragendis. Adhaec ann. 1828. Ministeriali 12. maji res ad effe-

Praedicationi nemo nisi ab Episcopo missus, probatusque antea sit, obire potest: *Quomodo praedicabunt*, jam dixit Apostolus (1) *nisi mittantur?* exceptis iis quibus ad animarum curam semel probatis, jus est concionandi. Quod si pluribus privilegiis regularium contraire videretur hoc Episcoporum jus, ipsa S. Synodus Tridentina pluries de illis agens, primo (2) praecepit ut regulares, qui licentiam suorum superiorum ad praedicandum in propriis ordinum Ecclesiis acceperint, « teneantur personaliter se coram Episcopo praesen» tare, et benedictionem petere, antequam praedi» cent. In Ecclesiis vero quae suorum ordinum non » sunt, ultra licentiam superiorum suorum etiam » Episcopi licentiam habere teneantur. Caveant Epi» scopi, ne quem vel eorum, qui cum sint nomi» ne regulares, extra claustra vivunt, vel praesby» terorum secularium, nisi ipsi noti sint, et mo» ribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet » privilegiorum praetextu, in sua civitate praedicare » permittant. » Praeterea (3) addit « Nullus sive secu» laris, sive regularis; etiam in ecclesiis propriorum » ordinum contradicente Episcopo praedicare prae» sumat (a).

---

ctum reddita fuit et insuper additum « i comuni possano ri» petere la terna in caso che i soggetti nominati non incontras» sero l' approvazione de' Vescovi medesimi. . . . . se » trascurassero i Vescovi di scegliere il soggetto nella terna pre» sentata a tempo opportuno; questo dritto si devolve al Me» tropolitano, ed in mancanza di questo al Vescovo viciniore. »

(a) His canonibus quisque videt quod licentiam si deneget Episcopus non tenetur explicare causam; ab denegatione ipsius

(1) *Rom. X.* 15.

(2) *Sess. V. c.* 2. *de reformat.*

(3) *Sess. XXIV. c.* 4.

Art. III. Jam de jure humano disserentibus nobis (1) dictum fuit de Episcoporum potestate legislatoria ejusque objectis, deque vi statutorum extra Synodum post mortem illorum. Imperant ergo jubentque de iis quae sui populi mores, sacrorum ministrorum officia, sacrosque ritus dirigunt. *Statuit*, *namque*, ait S. Cyprianus, *quod putat unusquisque Praepositus*, *actus qui rationem Domino redditurus* etc. Equidem cum dioecesis seu Ecclesia completa et perfecta societas dici non posset, si Episcopo suo potestas haec legislativa deesset, hinc negari oppido ei non potest. Episcopos, ait Tridentinum (2) « qui in Apostolorum gra» dum successerunt, ad hierarchicum ordinem prae» cipue pertinere; et *positos*, sicut Apostolus ait, *a* » *Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*, eosque Pre» sbyteris Superiores esse. »

Hinc sive laici sive clerici strictam obligationem habent inhaerendi Episcopo in iis quae sunt sui juris. Qui etiam censurae comminatione potest urgere tam statutum aliquod commune, quam mandatum specialiter alicui injunctum. *In promptu*, enim, *habet ulcisci omnem inobedientiam* ex doctrina D. Pauli (3). Nec a consensu Sacerdotum secundi ordinis vim suam accipere primorum Pastorum decreta constat non solum ex dictis; sed ex Bulla *Auctorem Fidei* an. 1781. in actis Synodi dioecesanae Pistoiis habitae ab Epi-

---

non dari appellationem; limitibus posse circumscribere licentiam si donet, eamque avocare cum voluerit.

(1) *Cap. VIII. concl.* 1. *pag.* 87. *tom.* 1.

(2) *Sess. XXIII. c.* 4.

(3) *II. Cor. X.* 6.

scopo Ricci. In ea nempe n.° 18. dicitur « Doctri-
» na quae statuit *reformationem abusuum circa ec-*
» *clesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab*
» *Episcopo et Parochis aequaliter pendere*, ac *sine*
» *libertate decisionis indebitam fore subjectionem sug-*
» *gestionibus et jussionibus Episcoporum* falsa, teme-
» raria episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hie-
» rarchici subversiva, favens haeresi Arianae a Cal-
» vino innovatae. » Eccur enim legislator esset sine potestate vindicandi inobservantiam legis, cum haec sine sanctione intelligi non potest? Ultimo Concord. pro hoc Reg. Neap. art. XX. comprobatur: de Episcopis namque ait « *censuris quoque animadvertent in quos-*
» *cumque fideles ecclesiasticarum legum*, *et sacro-*
» *rum canonum transgressores* . . . . . Cum clero
» et populo dioecesano pro munere officii pastoralis
» communicare, suasque instructiones et *ordinationes*
» de rebus ecclesiasticis libere publicare, etc. (a).

Dispensatio.

Art. IV. Qui possunt leges instituere et sancire possunt etiam pro circumstantiarum varietate easdem abrogare et immutare (b). *Omnis res per quascumque causas nascetur*, *per easdem dissolvitur* axioma est legis.

D. Cyrillus (1) autem recte docet « oportere ali-
» quando a stricto jure deviare (dispensare), quo ma-
» jus lucrum consequamur. Nam ut inquit et qui na-

(a) Vide tom. I. cap. III. concl. I. in nota pag. 87. ubi ad absolutionem hoc perducitur argumentum.

(b) Vide quae diximus concl. IV. cap. III. p. 277.

(1) *Epist. ad Gennadium.*

» vigant, ubi coorta est tempestas, jactu facto, navem servant (1). »

Inde facile colligitur juxta de causa Episcopum dispensare a legibus propriis, etiamsi in Synodo dioecesana promulgatis et receptis et probabilius in legibus Conciliorum provincialium, nisi aliud statuatur. Quod vero spectat leges generales praemittendum fuisse DD. ex Gallicanis praesertim, qui tenentes ab Apostolis devenisse ad Episcopos jurisdictionem (a) posse eos dispensationes concedere dixerunt etiam in legibus Ecclesiae generalibus quoties id expetit fidelium necessitas; quamvis eadem facultas propter Ecclesiae bonum, ad conservandam disciplinam, rectissime fuerit in usu ordinario ligata per reservationes de jure, aut de consuetudine introducta. His favet etiam Thomassinus (2) (b). Momenta quibus eorum

---

(a) Lege concl. II. c. X. p. 384. de origine jurisdictionis Episcoporum a qua pendere videtur solutio hujus argumenti, simulque colligi utrum reservationes facultati Episcoporum appositae strictius sint interpretandae, quod erit si jure proprio Episcopi dispensant: vel et ultra concessionis limites dispensare possint, quod erit si a concessione Ecclesiae aut Pontificum accepta sit ea facultas.

(b) Nihil de his qui audaciores in Galliis et Lusitania jus dispensandi Episcopis blaterarunt essentiale, ut nunquam potuerit ligari, ducimus memoriam refricare, furor enim hic aut stupor est, ut ex dictis antea praesertim cit. concl. IV. c. III. patet. Hinc eos damnavit etiam Pius VII.; nam cum an. 1781. illud tamquam in principio positum in praxim reduci per totum suum imperium mandavit Josephus II.; sicut plures etiam Germaniae Episcopi ann. 1786. formato in urbe Emi per suos legatos congressu, statuerunt se deinceps propria auctoritate largituros eas dispensationes, quas prius solebant a S. Sede expetere, speciatim eas, pro quibus singulis quinquenniis indulta expetebant

(1) *Can. dispensationes* 1. *qu.* 7.

(2) *P. II. lib. III. c.* 24.

sententia nititur sunt : 1.° Axioma eorum nimirum : quidquid potest Papa in orbe, id Episcopus potest in sua dioecesi, cum debita erga eumdem Pontificem submissione ; quo principio inferunt potuisse ligari potestatem Episcoporum reservatione ; sed ubi haec non exprimitur, libera in eis remanet, 2.° argumentum ex can. *Nuper* nempe (1). Legislator quando non reservavit sibi facultatem absolvendi delinquentes contra legem suam, censetur aliis hanc facultatem concessisse, ergo a pari per hoc quod non reservet dispensationem legis, censetur ipsum aliis concedere.

Ast communior est ipsis Gallicanis sententia quae nobis arridet, atque Fagnanus (2), Suarez (3) aliique tenent, et confirmatur a Bened. XIV (4) qui docet Episcopos in legibus generalibus Ecclesiae nunquam propria auctoritate dispensare, etiamsi nullum appareat reservationis vestigium ; quidquid enim ait in dispensationibus valent Episcopi, totum esse ab Ecclesia concessum; qua sententia posita non tam inquirendum est quid sit expresse reservatum Pontifici, quam quod de jure expresso aut consuetudine Episcopis est concessum.

Apostolica : narrat in suis memorialibus immortalis memoriae D. Pacca qui tunc in his partibus nuntii gerebat munus quod idem Pontifex obsistens his novitatibus declaravit invalida fore matrimonia vi similium dispensationum contracta ; imo *Brevi retulit nobis* docuit « Si Episcopi sic jure proprio dispensare » incipiunt, quid aliud agitur nisi ut S. Sedes suo spoliaretur » jure, quod ab antiquissimo tempore sola semper exercuit, » cujusque exercendi tenuit non interruptam, sed costantem, re» ceptamque in Ecclesia possessionem. »

(1) *Can.* 29. *de sententia excommunicat.*

(2) *In c. Perniciosum.*

(3) *De Legibus lib. IV. c.* 14.

(4) *De Synodo lib. XI. c.* 1. *n.°* 5.

Re quidem vera quod non possint Episcopi dispensare in constitutionibus sacrorum canonum probatur ex can. *dilectus* (1) ubi reprobatur collatio plurium sacrorum ordinum facta eadem die ab Episcopo de dispensatione Archiepiscopi, eo quod hujusmodi dispensatio ipsi a jure non reperiatur permissa ; consequenter prohibita censeri debet. Insuper canone ultimo de *filiis praesbyterorum* reprobantur dispensationes factae contra juris dispositionem a judice Papa inferiore. Praeterea Glossa communiter recepta asserit in decretis Conciliorum non posse Episcopum dispensare (2). Adest demum et Clementina (3) qua reprobata fuit ut veritati non consona opinio, quod constitutio Greg. X. circa electionem R. Pontificis in Concilio Lugdunensi edita per coetum Cardinalium, R. Ecclesia ipsa vacante modificari posset, corrigi vel immutari etc. Nec ratio desit huic sententiae ; cum enim dispensatio actus jurisdictionis sit, eam inferior in superioris legem exercere non potest ut omnes fatentur, ipsaque revera disciplina labi videretur, si omnia relicta arbitrio Episcoporum manerent, cum non solet legislator exprimere reservationem (a).

Contra haec argumenta minime valere momenta

(a) Casus ordinarie reservati Summo Pontifici sunt 1.° violatio clausurae monialium ob malum finem, 2.° percussio violenta clericorum, 3.° simonia realis scienter contracta, 4.° confidentia beneficialis, 5.° provocatio duelli, aut duellantes ex Tridentino et ex constitutione Gregorii XIII., 6.° violatio immunitatis ecclesiasticae ex Greg. XIV. constit. *Cum alii nonnulli* circa illos qui se in Ecclesia confugiunt. Salvis exceptionibus etc.

(1) *De temp. ordinat.*

(2) *In cap. cum dilectus de elect.*

(3) *Cap. Ne Romani, II. de electione.*

oppositae sententiae patet: nam axioma in medio positum, supponit quod adhuc sub lite manet, jurisdictionem scilicet Episcopi emanare immediate ab ipso jure divino. Nihil item obstat, quod secundo loco ex capite *Nuper* colligunt: nam hoc loquitur de absolutione ab excommunicatione, quae facilius conceditur, cum fiat secundum jus, quod non vult ut aliquis in excommunicatione decedat (1) adeoque cum sit favorabilis, et ordinatur ad bonum animae, eo ipso quod non sit reservata, vel prohibita, censetur concessa. At vero dispensatio quae est odiosa, est enim contra jus, et legem superioris, cui derogat, merito censetur prohibita, si non reperiatur permissa.

Equidem casus sunt in quibus Episcopi in legibus Ecclesiae generalibus ob consuetudinem legitime praescriptam, vel ob concessionem aut expressam, aut tacitam aut rationabiliter praesumptam dispensant (a).

(a) Casus qui ex concessione, etsi reservati, manent sub potestate Episcopi sunt 1.° ex Trid. (*) omnes occulti qui sunt extra Bullam *coenae*. Absolvunt ergo Episcopi ab omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, excepta illa que provenit ex homicidio voluntario et injusto, vel ex aliis jam ad forum externum deductis. Absolvunt ergo ab irregularitate contracta ex homicidio cum moderamine inculpatae tutelae; ex mutilatione occulta alicujus membri quamvis voluntaria, vel homicidii occulti casualis; vel contracta ex iteratione baptismi; vel ob receptionem duorum ordinum eadem die sacrorum, vel subdiaconatus et acolythatus dummodo delictum sit occultum (**).

Dispensant a suspensione et irregularitate occulta ob ordinis susceptionem sine etate legitima, cum tamen ad eam pervene-

(1) *Sess. XXIV. c.* 6. *de reform.*

(*) *Sess. XXIV. c.* 6. *de reform.*

(**) *Vide Barbosa De offic. et potest. Episcop. p.* 2. *alleg.* 29.

Igitur sunt casus 1.° quoties legi additur, posse illi dispensari, etiamsi dispensatio expresse non reservetur; tunc enim praesumitur committi Episcopo dispensatio, ne verba sint superflua cum per se constet Papam posse in tali lege dispensare. Nonne Episcopus est custos et executor canonum cum dispensat? facit ergo secundum jus si dispensat, cum idem jus dicit posse dispensari. Ita Fagnanus inter alios (1).

Secundo urgens necessitas, evidens utilitas cum periculum est in mora, timendum scandalum imminens, infamia alicujus personae etc. (a).

---

rit; vel ob exercitium ordinis illegitime suscepti, dummodo non fuerit sciente Episcopo; vel ob exercitium ordinis quem aut non habet, aut ab Episcopo recepit suspenso, excomunicato, simoniaco, aut sine dimmissorialibus acceptum (*). Observandum tamen manet quod facultas haec quoad irregularitatem ex haeresi occulta et externata non sit juris communis ex cap. *Cum illorum* ubi dicitur Episcopos non posse dispensare quoad delicta quae ipsi absolvere non possunt (**). Secundo non posse eos concedere dispensationem inquisitis delicti, etsi non convictis (si tamen non fuerint definitive aut alio modo absolutis); sed iis tantum, qui cum data cautione se praesentandi liberi fuerunt. Tertio nec pro delicto ad forum contentiosum deductum, judicatum, et poena mulctatum; hoc enim casu jam publicum fuit.

(a) Hinc Episcopus dispensat in aliquo impedimento dirimente ante matrimonium contractum urgente necessitate, dummodo vera urgeat necessitas, puta si alias imminet periculum mortis vel si matrimonium sit necessarium ad legitimandam prolem etc. Quod etsi certum omnibus sit in impedimentis occultis; Ronch. cum Pignatello et Tamb. addit etiamsi impedimentum sit publicum quando eaedem interveniunt rationes quae sufficiunt ad dispensandum in impedimento occulto. Quam opinionem S. Li-

(1) *Cit. cum. dilectus.*

(*) *Vide Suarez de relig. t. 1. tract. 3. lib. 4. cap. 6. et Barbosa loc. cit.*

(**) *Sagr. Cong. Concil. apud Fagnan. lib. 3. Dec. c. 7. n. 148.*

Tertio difficilis accessus, sive recursus ad Pontificem non possibilis; nam ut advertit Suarez (1), Abbas (2), et alii non est aequum ut damnum subeant fideles; cum in aedificationem, non in destructionem sit jurisdictio; et merito hinc praesumitur

gorius putat vix unquam habere locum in praxi; eo quod publicum ait vitat ratio scandali si a matrimonio Sponsi desistunt, imo tenentur ad idem vitandum illud scandalum (*). Item cum sponsi accedunt ad Ecclesiam ad matrimonium contrahendum et alter eorum manifestat confessario impedimentum occultum, dum omnia sunt parata, et non possit sine scandalo et infamia matrimonium differri: communissime namque et probabilius idem S. Ligorius ait ex DD. posse in eo Episcopum dispensare, contra Fagnanum et alios, et hanc sententiam tenet in sensu quovis sive illorum qui jurisdictionem a Christo in Episcopos devenire ajunt, sive illorum qui dicunt a Papa. Hanc facultatem vero, subdit idem S. Ligorius, probabiliter cum Sanchez alii tenent, posse ab Episcopo delegari etiam generaliter pro omnibus casibus occurrentibus, quia conceditur e ratione dignitatis, unde accipit conditiones potestatis ordinariae: quam tamen Vicarius ratione officii non habet prout notant Salm. (***) et alii. Observandum vero quod esto tunc permittatur contrahi matrimonium; DD. tamen volunt quantocius saltem ad majorem securitatem, et ad salvandam reverentiam legibus Ecclesiae debitam, ut recurratur ad S. Poenitentiariam, ad obtinendam illam dispensationem.

Quoad vero impedimentum dirimens post contractum matrimonium; communiter affirmant DD. posse Episcopos dispensare casu quo non pateat facilis aditus ad Papam, et imminent periculum mortis, vel infamiae, aut scandali si conjuges separentur, vel incontinentiae: dummodo matrimonium contractum fuerit bona fide ex parte saltem unius quidquid dicant alii (****).

(1) *De Legibus l. VI. c.* 14.
(2) *In cap. ut si clerici.*

(*) *Lib. VI. Tract. de Matrim. n.* 1122.
(**) *Lib. VI. Tract. IV. n.* 613.
(***) *C.* 14. *de Matrim. n.* 12.
(****) *Vide S. Ligorium cit. loc.*

ex interpretrativa voluntate Papae concessa tunc Episcopis facultas dispensandi (a).

Quarto materia levis, ita ut lex rigorose non obliget sub mortali et in iis quae frequenter occurrunt; nam sicut in moralibus pro nihilo reputatur, et cui in majoribus committitur gubernium videtur etiam in minoribus (1); ita non est verisimile Papam voluisse, quod in quotidianis et singulis casibus semper ad ipsum recurratur puta, votis juramentis non reservatis, jejunio, festorum observatione etc. In his dicit Suarez cit. admitti potest regula *Episcopum posse dispensare in omnibus sibi non prohibitis.*

Quinto si dubium sit juris et facti: quamvis non desint DD. qui generatim asserunt Episcopos posse dispensare, etsi dubium cadat in ipsam reservationem; quia reservatio utpote odiosa debet probari: omnes tamen DD. qui contendunt a positiva concessione Ecclesiae jus dispensandi fluere, in oppositum abeunt, et negant praesertim si agatur *de dubio juris*, de dubio quod cadat in ipsam facultatem. Alii inter eos

---

(a) Omnes possunt absolvere delinquentes impeditos Romam adire et *in utroque foro* ab omnibus casibus, etiam ab haeresi, praestito tamen juramento ab eo qui absolvitur de se praesentando, cessante impedimento, postea Superiori, si impedimentum non sit perpetuum aut aetatis puerilis (*) ut ex cap. *Ea noscitur*, et *Quamvis* de sent. excommun. Legitime impediti hoc continentur versu:

Regula, mores, sexus, hostis, puer, officialis,
Delitiosus, inops, aeger, senexque, sodalis
Janitor, adstrictus, dubius, causae, levis ictus
Debilis, absolvi, sine Summa Sede merentur.

(1) *Suarez cit.*

(*) *Vide S. Ligorium lib. VII. c. 1. D. V. n. 85.*

tenentes tunc non opus esse dispensatione, et in Episcopo agnoscunt facultatem tantum interpretandi. Ita Sanchez (1). Alii verò dicunt recurrendum ad Pontificem maximum si periclitetur valor alicujus Sacramenti. Ita Benedict. XIV. (2).

Postremo quod vota et juramenta spectat: a Christo Apostolis concessam potestatem solvendi illa, patet ex verbis ejus (3) : *quaecumque solveritis super terram soluta erunt in coelis*. Vel ergo proxime per Summos Pontifices vel etiamsi dicatur immediate a Christo in Episcopos jus derivare, semper jure tollunt vincula quae bono fidelium obesse possunt, et ordinaria jurisdictione tollunt. Ast reservata habentur vota Summo Pontifici: 1.° castitatis perpetuae, 2.° votum ingredi ordinem religiosum stricte dictum, 3.° votum peregrinationis ad S. Sepulchrum J. C., ad limina Apostolorum, et ad S. Jacobum in Campostella (4) (a).

(a) Haec tamen vota quia legant ordinariam Episcoporum jurisdictionem strictae sunt interpretationis. Hinc non intelligantur reservata nisi sint : 1.° certa, proindeque sive dubium juris sit de valore ex. gr. votis castitatis, sive facti; sive dubium sit positivum, sive negativum Episcopus dispensat. Ita inter alios Suarez (*), 2.° *perfecta* non dolo aut vi extorta; non cum imperfecta ratione, uti est frequenter in impuberibus; non ex nimia inconsideratione quae sufficeret ad tollendum plenum consensum, 3.° *absoluta:* etsi disputetur utrum votum sub conditione emissum, impleta conditione, haberi debeat tamquam

(1) *De Matrim. lib. VIII. Disp. VII. n.*° 18.
(2) *De Synodo l. IX. c. II. n.*° 4.
(3) *Matt. XXII.* 18.
(4) *Clemens VI. extravag. com. etsi Dominici V. de Poenitentiis et remiss.*

(*) *De Votis lib. VI. c.* 26.

Quantum ad juramentum in quo interest alicujus terti, quaestio difficilis quam remittimus S. Ligorio qui eam solvit (1) doctrinamque tantum D. Thomae (2) exscribi hic juvat.

« Quandoque vero aliquid sub juramento promit-
» titur de quo dubium est utrum sit licitum vel il-
» licitum proficuum vel nocivum; et in hoc potest
» quilibet Episcopus dispensare. Quando vero sub ju-
» ramento promittitur aliquid quod est manifeste bo-
» num et utile; et in tali juramento non videtur
» habere locum dispensatio vel commutatio, nisi ali-
» quid melius occurrat ad communem utilitatem fruen-
» dum, quod maxime pertinet ad Papam, qui ha-
» bet curam universalis Ecclesiae. »

Opportune demum observandum hoc in argumento quod juxta DD. etiam, qui docent Episcopos non jure proprio sed concessione expressa vel tacita Papae dispensare in legibus Ecclesiae, ad jurisdictionem ordinariam non delegatam referendam esse illam facultatem; sive enim juris est divini, sive ex concessione Ecclesiae, pertinet semper vi muneris et dignitatis ad Episcopos. Potest inde eadem facultas aliis communicari; quod probatur etiam propter similitudinem materiae, ait enim Textus (3): *His quibus ex officio in certis casibus competit absolvere, eos qui pro violenta manum injectione incidunt in canonem, licet aliis committere hujusmodi absolutionem.*

---

absolutum, pars affirmativa tamen tenenda videtur, 4.° *directa;* non implicita.

(1) *Lib. III. Tract.* 2. *Dub. VII. n.°* 192.

(2) 2. 2. *q.* 89 *n.°* 9.

(3) *Cap. His quibus* 20. *de officio judicis ord.*

Art. V. « Quaecumque in dioecesi ad Dei cul-
» tum pertinent, ab ordinario diligenter curari ae-
» quum est, atque iis ut oportet provideri. Concil. Trident. (1).

Et 1.° cum omnium excellentissima cultus, species, sit Sacrificii opus, quod offerre debet Episcopus proprius Sacerdos suae dioecesis, recte concludit S. Ignatius cuique (2) *non licet sine Episcopo neque offerre, neque sacrificium immolare, neque Missas celebrare* (a).

(a) Olim Praesbyteris id non licuit nisi absente, vel aegrotante Episcopo. Praesenti disciplina S. Tridentina Synodus docet (*) *mandans ne clericus peregrinus sine literis commendatitiis ad divina celebranda et sacramenta ministranda admittatur.* Hinc satis ostendit ad Episcopum pertinere eorum probationem. Iterum vero (**) ait « Singuli in suis dioecesibus interdicant ne cui » vago et ignoto Sacerdoti Missas celebrare liceat. » Id etiam » pro firmo tenendum est, ait Benedictus XIV. (***) « quod li- » ceat non oporteat Episcopum sollicitum esse de regularibus, » qui in propriis Ecclesiis Missas celebrare intrant, quum ejus » rei cura reservata sit eorum superioribus regularibus; si » quis tamen secularis Sacerdos in Ecclesiis regularium Mis- » sam celebrare velit, hic etiam debet literas ex proprio Epi- » scopo obtentas exhibere Episcopo in cujus dioecesi sacrum fa- » cere vult. » Ipseque Pontifex laudat providas cautelas quas S. Carolus Borromeus in concilio provinciali I, anni 1665, excogitavit, quas juvat heic exscribere. « Parochus, in cujus » paroecia Sacerdos alienigena domicilium fixit, si id per dioe- » cesim contingat, intra octo ad summum dies, illius adven-

(1) *Sess. XXI. c. 8. de reform.*

(2) *Epist. ad Smyrnaeos.*

(*) *Sess. XXIII. c. 8. de reform.*

(**) *Sess. XXII. decr. et de observandis in Missa.*

(***) *Bulla Quam grave n. 12.*

Ipse ergo Episcopus tenetur pro grege suo sacrificia missarum offerre pro populo suo, scilicet fructum medium applicare pro eo, uti pluries declaravit S. Congregatio Concilii. Dominicis autem diebus; festisque solemnibus interesse divinis in choro, nisi eum infirmitas domi detinuerit Trid. decrevit (a) (1).

1.° Episcopi debent pascere administratione Sacramentorum oves suas (b). Sed quoniam « in aedifi-

» tum nuntiare debet vicario foraneo, qui rem ad Episcopum » deferat. Si autem in civitate, Parochus ipse de omnibus » certiorem faciat Episcopum qui sibi litteras *discessus* ab hu- » jusmodi Sacerdote exhiberi mandet easque inspiciat, totumque » eorum tenorem sedulo expendat. Si enim ordinarius subdito » sibi Sacerdoti licentiam abessendi ad certum tempus definitum » indulserit, facultas celebrandi Missam non ultra tempus illud » concedenda decernitur. » Patet hinc praeter literas ordinationis offerri debere etiam illas commendatitias.

(a) Quando autem specialius incumbit Episcopis ex Synodo Mediolanensi IV. sub S. Carolo Borromeo apparet cujus verba recitat Van-Espen (*) *Missae sacrificium frequentius celebrare studeant: Dominicis vero festisque diebus, ne id praestare omittant. Hoc vero ipsum facere curunt crebrius id Ecclesiis, quam in Oratoriis privatis.* Tum vero: *praetera Missae sacrificium facere studeant illis diebus, quibus ecclesiastica beneficia conferent et generalia clericorum, qui initiandi sunt et confessariorum examina habebunt, ceterasque denique graviores consultationes et deliberationes inibunt.* Illud demum notandum in altari in quó Episcopus Missam cantavit, non posse alterum eodem die, nisi ex permissu ipsius celebrare (**).

(b) Quoad Christiani nonnisi tempore Paschali et Pentecostes baptizabantur, ipse solus baptismum solemnem impertivit, sicque vere Pater fidelium fuit, quos spiritualiter generaverat. Ipse solus poenitentiam et absolutionem dispensavit primis Ecclesiae

(1) *Sess. XXIII. in decr. de ref. cap.* 1.

(*) *Juris Eccl. Part. I. tit. XVI. cap. IX. n.* 4.

(**) *Can. fin. dist.* 2. *de consecrat. vide etiam Barbosa alleg.* 24.

» cio spirituali, ait D. Thomas (1), sunt quasi ma-
» nuales operarii qui particulariter insistunt anima-
» rum curae puta Sacramenta ministrando, aut ali-
» quod hujusmodi agendo, sed quasi principales ar-
» tifices sunt Episcopi, qui imperant, et disponunt
» qualiter praedicti suum officium exequi debeant;
» propter quod et Episcopi, idest superintendentes
» dicuntur. . . . . Unde Apostolus de se dicit (2)
» *non misit me Christus baptizare, sed evangelizare*,
» quamvis baptizare sit opus maxime conferens sa-
» luti animarum. . . . . In aliquo tamen casu ne-
» cessitate imminente, deberent Episcopi . . . par-
» ticulariter intendere saluti animarum (a).

3.° Episcoporum officium est *oratio. Considerate fratres viros ex vobis . . . . quos constituamus super hoc opus* (ministrare mensis). *Nos autem orationi et ministerio verbi instantes erimus* dixit Apostolus (3). Hoc vero munus est eis tum pro semetipso tum pro grege. *Non cessamus pro vobis orantes et postulantes* idem Apostolus subdit (4). Immo alios quoque ad orandum inducere debent et pu-

---

temporibus. Sed de his redibit sermo in tractatu de Sacramentis ubi explicanda manent quae ad rem pertinet.

(a) Necessitas haec colligitur magis ex necessaria de residentia Episcoporum de qua alibi. Ceterum vel grassante peste, deficientibus tamen Parochis, ac necessariis Sacerdotibus, non tantum ad confirmationem, (utpote quae necessitatis non est) quantum ad baptismum et poenitentiam administrandam, Episcopum teneri adfirmavit Benedictus XIV (*).

(1) *Quaest. Quodlibeticae* 1. *art.* 7.
(2) *Corinth.* 1. 17.
(3) *Act. VI.* 3.
(4) *Coloss.* 1. 9.

(*) *De Synod. diocc. lib. XVI. c.* 19. *n.* 6.

blice in Ecclesia preces praeire, atque indicere. Ita Bened. XIV. docet (1) « Quemadmodum preces ad Deum » pro principibus effundere valde consentaneum est, » ita convenit ut precum ipsarum formulae sint ex » illis quas Ecclesia usu recepit maxime si preces » ejusmodi in celebratione Missarum adhibendae sint » Praeterea ad ecclesiasticam auctoritatem unice spe- » ctat preces illas statuere atque indicere, cum nulli » seculari potestati fas sit decernere ut publicae pre- » ces fiant, sive ad persolvendos Deo gratias pro ac- » ceptu beneficio sive ad ejus opem in gravi aliqua » necessitate implorandum. Orationum formulas ergo » concipere, libros eo spectantes evulgare, receptos re- » purgare, orandi formulas minus pietati congruas abo- » lere sunt Episcopi ; etsi horum nonnulla reservarunt » consecutae Apostolicae constitutiones Romano Pon- » tifici (a). »

4.° Ut exponatur SS. Sacramentum, Episcopi licentia opus est. Idem Summus Pontifex Bened. XIV. ait (2) « pium usum exponendi venerabile Sacra- » mentum, dummodo id de licentia Ordinarii, publi- » camque ob causam aliquam fiat.

5.° Imagines, reliquiae SS. aut similia non possunt exponi nisi probante Episcopo ex Trid. (3) Congregationes pias seu Confraternitates institui non possunt nisi praevio consensu Ordinarii, ac probari ab eodem debent statuta illorum, quae quidem subiecta manent

---

(a) Vide quae dicta sunt tom. 1. cap. III. part. 2. de congregationibus Cardinalium et praesertim concl. IV.

(1) *Encyclica Quemadmodum preces ann.* 1744. *ad omnes Episcopos Missa.*

(2) *Bullar. t. II. p.* 218.

(3) *Sess. XXV. de invocat. Sanct.*

moderationi et correctioni ejusdem ex Clementis VIII. literis Apost. (1) (a).

De Oratoriis privatis Curia Romana ex Tridentini decreto (2) circa missam colligit Episcopos non posse illa permittere in sua dioecesi, sed reservatum esse id Summo Pontifici (3). Verum 1.° in Oratoriis erectis in domibus regularium vel alterius communitatis Episcopus potest dare licentiam celebrandi puta: in Oratoriis Hospitalium, Seminariorum, et Conservatoriorum ut praxis habet; haec enim domus non dicuntur privatae (b). Atque in his quicumque audientes Missam satisfaciunt, ac omni die etiam ex solemnioribus a quocumque Sacerdote possunt Missae celebrari (4), 2.° in Oratoriis erectis in palatiis E-

---

(a) Inter acta pro esecutione ultimi concordati P. IV. p. 123 haec habentur « I Padri Spirituali delle Congregazioni debbo» bono essere approvati dagli Ordinarii in conformità delle re» gole generali delle Congregazioni proposte dalla Consulta dei » Reali dominii al di qua del Faro e sovranamente sanzionate » in data de' 22 novembre 1826. » Più parte VII. pag. 142. » Tutto quello che nelle Congreghe riguarda materia morali ap» partiene esclusivamente all' Ordinario, senza che i consigli » di Ospizio possono prendervi ingerenza alcuna. »

Inter regulas autem sancitas pro locis piis laicalibus die 20 maji 1820. dicitur art. 141. prescribitur interventus deputati ecclesiastici in decurionato ab Ordinario loci electo ut vigilet pro operibus religionis.

(b) Fagnanus (*) refert S. Congregationem pluries declarasse praedicate loca non comprehendi in prohibitione Concilii quia sunt Oratoria fixa ad divinum cultum.

(1) *Quaecumque ann.* 1604.

(2) *Sess. XXII.*

(3) *Vide Bened. XIV. Bull.* 48. *n.* 11.

(4) *Sacr. Cong. Rit. an.* 1661. *apud Murat. in Ind. n.°* 392.

(*) *In c. In his de Priv. p.* 23.

piscoporum; possunt omnes celebrare, ac Missae satisfacere ut declaravit S. Cong. Concili ann. 1640 (1): nec enim censetur, etiam privata domus Episcopi. Quod et intelligendum de domo rustica quam Episcopus haberet extra dioecesim, adhuc sine licentia Ordinarii, et adhuc absente ipso Episcopo; hoc videtur admitti ab eadem declaratione S. C. ubi dictum fuit; interessente sacrificio Missae in privato Episcopi sacello satisfacere praecepto ecclesiastico tam in dioecesi, quam extra, 3.° Episcopi possunt celebrare et celebrare facere in domibus, ubi reperiunrur, extra domum propriae habitationis; quamvis enim haec facultas decreto Clementis XI. ipsi ablata fuit, restituit tamen eisdem Innocentius XIII. Bulla *Apostolici ministerii* die 3 maji 1723. Hoc privilegium cum sit personale, Episcopo absente non potest celebrari in talibus domibus, 3.° dispensat Episcopus ut celebretur in Oratorio domus privatae in casu necessitatis (a); vel alio casu particulari ob justam causam, docet S. Ligorius (2) non obstante supradicto Tridentini decreto, quod intelligendum ait cum cummuni DD. de licentia perpetuo celebrandi per modum habitus, non per modum actus. Et addit, merito DD. sentire quod non semel aut bis possunt

---

(a) Necessitatis casus sunt: 1.° si Ecclesia sit diruta, 2.° si quis Sacerdos longam peregat peregrinationem per loca deserta, vel infidelium, 3.° quando Ecclesia non est capax populi 4.° si exercitus inveniatur in castris aut multitudo navigatium in littore maris. Et in iis casibus quilibet Sacerdos potest celebrare extra Ecclesiam in altari portatili. Quod si Episcopus sit praesens decet ut ab ipso obtineatur licentia. Aut si casus necessitatis dubius foret, Episcopus bene dispensare valet.

(1) *Apud Dian. p.* 6. *t.* 8. *n.°* 40.

(2) *Lib. VI. Tract. III. Dub. IV. n.°* 359.

hanc dispensationem Episcopi dare, sed indefinite puta: durante infirmitate vel alia accidentali causa.

Alia quae a potestate ordinis manant uti benedictiones sacrarum virginum, altarium, Ecclesiae consecratio, interpretabimus cum de Sacramento Ordinis agemus: sicut et alia quae ob convenientiam materiarum alibi opportunius reservamus.

Clerici.

Art. VI. Quamquam omnium fidelium cura Episcopis sit, et peculari ratione pauperum (a) orphanorum, viduarum et peregrinorum, ex Tridentino (1) omnium maxime tamen debent curare clericos, praesertim beneficiatos; in clericis enim qui etiam vinculo obedientiae devinciuntur eis, jurisdictionem specialem habent (b). Hinc in servitio Ecclesiae cui in ordinatione fuit adscriptus clericus, discedere nequit sine licentia Episcopi ordinantis; et si discedat cum ejus venia, alteri Episcopo pariter manet subjectus.

Praeterea clerico praesertim alicui ufficio adscripto puta, Parocho, Canonico etc. ex Benedicto XIV. (2)

(a) Unde ipsa Ecclesiae bona patrimonium pauperum sunt et pauperes *matriculari* dicebantur quia in *matricula* singularum ecclesiarum episcopalium descripti erant; nam pauperum cura in primitiva Ecclesia praecipua fuit Episcoporum, et sibi commendatam habuere causam miserorum, viduarum, et orphanorum quam saepe magistratibus, et principibus commendarunt (*).

(b) Vide cit. Brevem ubi observationes ad rem necessariae pro Episcopis notantur.

(1) *Sess. XXIII. in decret. de reformat. c.* 1.

(2) *Brevi Ex quo ad Card. Quirinum.*

(*) *Constit. Apostol. l.* 2. *c.* 4. 1. *q.*

qui consilium suum aperit ingrediendi religionem, cuique Episcopus deneget permissio, hujusmodi dissensus illum non adstringet; debet immo (1) « pro » eo tempore quo inter ingressum in religionem, » et professionem solemnem intercedit quoad be» neficia curata, idipsum agere quod alias prae» stare consuevit, quum Parochus aliquo impedi» mento detinetur, ac animarum cura exerceat: » quoad beneficia choralia, relictis tironi religioso, » qui choro esse nequit, ipsius beneficii fructibus, » de distributionibus ita statuet ut jura praescri» bunt. . . . Quinimo si quis forte religionem in» gressurus, aut tempore novitiatus beneficium di» mitteret . . . . . nihilomiuus omnia in suspenso » remanere deberent, neque posset Episcopus ad be» neficii sic dimissi collationem devenire; nisi post » factam a dimittente professionem . . . . .

Insuper Augustinus ad Eudoxium scripsit (2) *si quam operam vestram mater Ecclesia desideraverit, nec elatione avida suscipiatis, nec blandiente desidia respuatis, nec vestrum otium necessitatibus Ecclesiae praeponatis cui parturienti si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inveniretis:* patet ex his quid clerici sit, cum Episcopus ad subveniendum necessitati spirituali fidelium stante praesertim penuria eum obliget ad functiones pastorales. Salvo tamen casu ex D. Thoma quo in se aliquid sentiat quis, ut sibi non liceat hoc munus accipere. Potest etiam Episcopus clericus ad processionem compellere, illos tamen qui beneficium,

(1) *In c. Beneficium* 4. *de regularib. in* 6.
(2) *Ep.* 48.

vel officium in Ecclesia obtinent (1) dummodo non existunt extra urbem. Absente vero Episcopo Vicarii generales tantum de consensu capituli jus habet imperandi processiones; quas vero facere regulares injussu Episcopi solum intra Ecclesiam possunt.

Demum quoad munus conferendi ab Episcopo jurisdictionem jam dissertum fuit, cum de ea tractatum instituimus (2). Item de delegata jurisdictione (3) (a). Paucis tamen heic observandum quod sacris etiam ministeriis jurisdictionem non requirentibus utpote exercitium ordinis sunt, Episcopi adprobatio etiam requiritur; ita tamen ut clerici qui ad ipsam dioecesim pertinent censeantur vi ordinationis ab Episcopo ad-

---

(a) Hic tantum notabimus Episcopum posse sine forma contentiosa eas revocare gratias quae ab ejus arbitrio pendent puta, delegationes ad praedicandum ad confessiones audiendas etc. Similiter cum de iis agitur quibus rationem revocationis non tenetur afferre, cum ejus conscientiae relicta sint. Praeterea etiam extra judicialiter decernit Episcopus vel ejus Vicarius poenam suspensionis temporalis ab ordine vel officio in quoslibet clericos, imo in eos qui titulo immobili gaudent. Sic enim Concilium Tridentinum cavit (*) « Ei cui ascensus ad sacros ordi-
» nes a suo praelato ex quaecumque causa, etiam ob crimen
» occultum, quomodolibet etiam *extra judicialiter* fuerit inter-
» dictus, aut qui a suis ordinibus, seu gradibus, vel dignita-
» tibus ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prae-
» lati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo,
» aut ad priores ordines gradus et dignitates, sive honores re-
» stitutio suffragetur. » Vide Fagnanum in cap. *Ad aures*, de temp. ordin. n.° 6. et Benedic. XIV. de Synodo lib. XII. cap. 8.

(1) *Barbosa de officio et potestate Episcopi p.* 3. *alleg.* 78.
(2) *Vide cap. VI. pag.* 105. *praesertim concl. VI. pag.* 143.
(3) *C. XII. pag.* 204. *et seqq.*

probati: salvo semper eidem jure vel in perpetuum pro gravitate culpae suspendendi ab exercitio ordinis, vel privandi illos (a).

Extraneis vero generatim quaslibet functiones sacras exercere non possunt vel ad illas exercendas admittuntur nisi de consensu saltem praesumpto Episcopi. Ita namque de ipsis Episcopis extraneis decernit Trid. (1). « Nulli Episcopo liceat cujusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subjectas . . . Si secus fuerit factum ab exercitio pontificalium sint ipso jure suspensi. » Inde Barbosa concludit, Episcopum extraneum nec posse cum baculo et mitra missam celebrare, absque licentia Ordinarii, benedicere calices etc. imo juxta plurimos nec populo benedicere solemniter utendo verbis: *Sit nomen* etc. Idem Barbosa censet nullam incurrere poenam si transiens per alienam dioecesim a personis devotis rogatus illas benedicat sine solemnitate.

Visitatio.

Art. VII. *Qui Pastor*, ait Christus (2), *est ovium . . . et oves vocem ejus audiunt, et proprias vocat nominatim, et reducit eas . . . . et ante eas vadit, et oves illum sequuntur.* Nec docens tantum, sed faciens, munus hoc Episcoporum urgere visus est cum civi-

---

(a) Cetera quae hoc argumentum spectant, vide concl. IV. cap. 1. pag. 11. de majoritate et obedientia clericorum, et concl. XV. pag. 85. de causis fori ecclesiastici.

(1) *Sess. VI. c. V.*

(2) *Joann. X. 2. et seqq.*

tates et castella Judeae, ac Samariae circuibat (1) sicut et Apostoli suo exemplo peragrabant civitates et vicos, ut medici aegrotos convenirent, aptaque morbis adhiberetur medicina. Hinc inducta est visitatio quam Episcopus debet obire; nam munus ejus pastorale ad totam dioecesim pertinet, adeo ut primaevae aetatis Episcopi toti in ipso fuere.

Verum cum in visitandis dioecesibus tardiores facti sint, conciliorum canonibus fuit constitutum, ut singulis annis visitationibus vacarent, et per Tridentinum saltem infra biennium, si nimis amplae sint dioeceses; ac per seipsos, vel, si legitime impediti fuerint, per Vicarium generalem, aut alium visitatorem *lustrarent* (2).

Ne autem materialis intelligeretur tantum visitatio, hujus finem S. Tridentinum ipsum Concilium expressit (3) « visitationum autem omnium istarum » praecipue sit scopus, sanam orthodoxamque doctri- » nam, expulsis haeresibus, inducere, bonos mo- » res tueri, pravos corrigere, populum cohortatio- » nibus et admonitionibus ad religionem, pacem, » innocentiamque accendere, cetera, prout locus, » tempus, et occasio feret, ex visitantium pruden- » tia ad fidelium fructum constituere ». Inde visitationis nomine intelligunt Canonistae tum attentam considerationem et descriptionem rerum prout sunt, praesertim cum defectibus, tum diligentem inquisitionem de personarum moribus et excessibus, tum ordinationes quae requiruntur ad tollendos abusus et

(1) *Luc. X.*
(2) *Sess. XXIV. c. 3.*
(3) *Sess. XXIV. c. 3. de reform.*

defectus, excessus corrigendos et urgendas uniuscujusque obligationes.

Omnia ergo quae Divinum spectant cultum sive in personis, sive in locis, sive in rebus inquirere debet Episcopus. Unde ex eodem Tridentino (1) quaecumque Ecclesiae, quomodolibet exemptae, Abbatiae, Prioratus, Praeposituræ, beneficia secularia, aut regularia, modo sint parochialia (2), qualitercumque commendata, Hospitalia, Collegia quaelibet, ac Confraternitates laicorum, *non tamen quae sub Regum immediata protectione sunt*, Episcoporum, tamquam Apostolicae Sedis delegatorum, subjacent visitationi (a), ob quam jus habent expetendi ut sibi exhibeantur fabricarum rationes, statuendi tum circa templorum apparatum, tum circa abusus tollendos etc.

Verum quia visitatio consideratur ut paterna et pastoralis inquisitio non judicialis est, sed a DD. censetur fieri per modum fori poenitentialis, et quidquid ad eam pertinet, Episcopus agere debet sine strepitu judicii. « Visitans, dixit Inn. IV. (3), quaerat de vita et conversatione ministrantium, ac caeteris quae ad officium ipsum spectant absque coactione, et *exactione juramenti* ad ipsorum emendationem per salubria monita, nunc levia, nunc aspera diligenter intendens ». Proindeque Episco-

(a) Quae dicuntur sub immediata Regum protectione; et quae post Tridentinum statuta reperiuntur ad rem ex Concordatis, sequenti Mantissa afferemus.

(1) *Sess. VII. in Decret. de reform. cap. VIII. tum Sess. XXI. c. VII. et Sess. XXII. c. VIII.*

(2) *Trid. cit. Sess. XXIV. c. 3. de reform.*

(3) *Cap. Romana 1. de Censib. in 6.*

pos non posse ferre sententias in visitatione, nec decernere poenas ordinarias, quae sunt in vindictam delicti, saepe respondit Sacr. Cong. Conc. (1): neque ulla appellatio suspendit vim eorum quae mandata, aut decreta sunt ab illis (2) etsi appellatio in devolutivo ut dicitur possit dari, quae scilicet decretum ad Superiorem judicem deferat, postquam exitum habuit. Quod si solemnis judicii ritus servare placuerit, per appellationem vis aeditae sententiae suspenditur (3).

Cuncta demum quae sunt gesta ac in visitatione reperta Congregationi Concilii significanda sunt iisdem prorsus rationibus, quae necessariam visitationem ad limina probant, jam antea expositis (4).

De procuratione Episcopis in visitatione debita, cum jura utilia et honorifica eorumdem mox interpretabimur dicemus.

MANTISSA

De temporali administratione Ecclesiarum.

A primordiis Ecclesiae administrationem rerum suarum temporalium penes Episcopos fuisse constat; illae enim in commune possidebantur, et quarto abhinc seculo a Conc. Antiocheno scimus quod *cum presbyterorum et diaconorum conscientia ipsi* (Episcopi) *per-*

---

(1) *Vide Fagnan. in cap. Dilectus de rescript. n.° 45 et 46.*
(2) *Conc. Trid. sess. XXIV. c. 10. de reform.*
(3) *Vide Fagnan. in Concil. Trid. sess. XIII. c. de reformat. n.° 7.*
(4) *Instructio de hac re proponitur a Bened. XIV. in append. tom. 1. ejus Bullarii n.° 1. pag. 370. edit. Rom. 1754.*

tractare debebant (1). Secul. V. Bonif. I. decrevit (2) *Omne quod Domino consecratur*, *sive fuerit homo*, *sive animal*, *sive ager Sanctum Domino erit*, *et ad jus pertinebit Sacerdotum.* Eodem seculo memorantur primo a Chalcedonense Concilio, *oeconomi* ex ipsis clericis delecti; Episcopis enim ad vitandam quamcumque in fide dispensationis suspicionem, administris utendum esse, et praesertim Archidiacono et Oeconomo, ut tamen *secundum sententiam proprii Episcopi dispensent* (3). Sub idem fere tempus Ecclesiae bona coeperunt in quatuor partes distribui Episcopo, clero, pauperibus, et Ecclesiae reparandis, administratio inde non modicum immutata fuit: et facta institutione beneficiorum ipsis beneficiariis nimirum Episcopis, Archidiaconis, Parochis etc. attributum est bona tituli sui administrare (a). Sacris canonibus leges responderunt, et Justinianus (4) ait « oeco-

---

(a) Fuit ideo quum Praelatis tum clericis ipsis libera, et plena redituum administratio cum facultate substentandi semetipsos et pauperes, et cum onere sarctas tectas habendi Ecclesias. Tum aevo Innocentii III. constitutum expresse, ut portiones pauperum Ecclesiarumque a portionibus Episcopi cujusque et cleri ne sejungerentur; relicta his ipsis cura elemosinarum expensarumque fabricae (*). Ad providendum templorum conservationi, reparationi, et ornamentis *fabricae* institutae sunt. Nomen *Fabrica* in veteribus monumentis pro aedificio publico, speciatim pro basilica sumitur. Sic canon *de Fabrica* 24 *de Consecratione.*

(1) *Can. Episcopus* 23. *c. XII. q.* 1.

(2) *Can. nulli liceat c.* 12. *q.* 2.

(3) *Cap. Mos est c. XII. q.* 1. *ex S. Greg. epist. ad Augustinum.*

(4) *Novell.* 123. *cap.* 23.

(*) *Vide Thomass. t.* 3. *l.* 2. *c.* 23.

» nomos, et xenodocos, nosomocos, pheotrophos, et » aliorum venerabilium *locorum gubernatores*, et alios » omnes clericos jubemus pro creditis sibi guberna- » tionibus apud proprium *Episcopum*, cui subjacent, » conveniri, et *rationem* suae gubernationis facere. » Tum notionem cum jure amovendi inutiles rectores, aliosque idoneos creandi, *locorum beatissimis Episcopis* tantum attribuit (a). Inde et Oeconomorum usus primum exolescere coeperunt: quod quidem nec eodem tempore neque eadem prorsus ratione obtinere coepit.

Seculo IX. ab Eugenio II. et Leone IV. statutum fuit in Romanis Synodis ann. 826 e 873 ad Episcopum pertinere, ut omnia a fundatoribus praescripta in utilitates locorum piorum ordinentur.

Circa seculum XIII. quibusdam laicis nonnulla ab ipsis Episcopis tribuuntur munia ad conservandas Ecclesiae fabricas eorumque jura persequenda. Inde ortum duxerunt *Matricularii* seculares scilicet, qui munia externa Ecclesiarum adimplerent eisdem ornandis inservirent, campanas pulsarent etc. His paulatim et fabricae administratio temporalis in Ecclesiis parochialibus commissa fuit, et praecipue cum passim per Europam institui ceperunt municipia seu communitates et in oppidis et in vicis ruralibus; tunc enim coeperunt ab incolis ipsi eligi magistratus, qui negotia locorum gererent, alii qui Ecclesias curarent, itemque alii qui hospitiis xenodochiis etc. providerent; ita tamen ut pro regionum diversitate diversas prope formas induerunt eae administratio-

(a) Ex ea portione redituum quae in pauperes erat impertienda, fundari coeperunt publica hospitia Xenodochia etc.

nes et magis minusque juribus Ecclesiae favorabiles, prout magis minus Dinastae eam honore prosecuti fuerunt. Quatuor decretis Tridentina Synodus incumbit ut episcopalis auctoritas restitueretur, I.° (1) urget Viennensem constitutionem seculi XIV. servari adamussim, qua praeter alia statuitur nonnisi providis, idoneis, probisque viris gubernationem esse committendam eorumdem locorum piorum, juraturis instar tutorum de obeunda fideliter administratione, rationem reddituris Ordinario, eorumque deputatis quotannis (2), II.° Episcopis facultatem dat speciatim visitandi quaevis loca pia quamvis exempta, exceptis quae sub immediata Regum protectione sunt (3) uti diximus, III.° adstringit administratores etiam laicos quotannis reddere Ordinario suo rationes, abrogatis quae adversantur consuetudinibus et privilegiis: nisi aliter in fundatione cautum sit (4), IV.° denuo innovans Viennensem canonem de implendis cunctis hospitalium oneribus, et recta obeunda administratione; addit, Ordinarium loci cum duobus Canonicis posse, ubi defecerint personae inibi admittendae juxta legem fundationis, in aliud pium opus convertere fructus eorumdem: in administratores autem qua clericos, qua laicos, suo in officio delinquentes Ordinarium ipsum animadvertere, post monitionem, censuris ecclesiasticis, et muneris destitutione; administrationem vero ultra triennium esse nemini concedendam, aliud nisi fundator statuerit.

---

(1) *Sess.* 7. *de reform. in cap. curent Ordinarii* 15.
(2) *In Clement. quia contingit* 2. *de religiosis domibus.*
(3) *Sess.* 22. *de reform. in cap. Episcopi* 8.
(4) *Ibid. in sequenti cap. administratores* 9.

Variae hac de re in nostro Regno inter utramque potestatem dissensiones, nec levis momenti quaerelae circa Extaurites (1) (a).

Omnia composuit lex concordati ann. 1741. difiniens, cap. 5. art. 1. « A riserva delle Chiese » e luoghi pii, che sono sotto l' *immediata regia* » *protezione*, sia perchè sono di regia fondazio- » ne e dotazione, o perchè *in limine fundationis* » sono state messe sotto la immediata protezione re- » gia, si potranno da Vescovi, ed altri Ordinarii » de' luoghi visitare *quoad spiritualia tantum* tutte » le chiese, cappelle, staurite, confraternite, ed » altri simili luoghi pii laicali amministrati, o go- » vernati da *laici*, ancorchè per qualunque altro ti- » tolo diverso dagli espressi di sopra, sieno sotto » la regia protezione.

II. » Oltre a ciò si potrà da' medesimi Vescovi, » ed Ordinarii destinar persona che co' Razionali, » o siano Deputati, che saranno eletti da chi spet- » ta, secondo il solito intervenga alla *revisione dei* » *conti*, che ciascun' anno impreteribilmente si do- » vranno rendere dagli amministratori de' suddetti » luoghi pii non sottoposti all' immediata regia pro- » tezione, come si è detto di sopra: con questo » bensì, che la detta persona destinata dal Vesco- » vo, o sia Ordinario debba intervenirci *omnino* » *gratis*, e senza interesse del luogo pio.

III. » I luoghi pii che sono amministrati, e go- » vernati da *sole persone ecclesiastiche*, debbono so-

(a) Nomine Extauritarum, nostri generatim Ecclesias Capellas, Oratoria Confratrum, Hospitalia, loca quaelibet pia ab laicis administratoribus gubernata nuncupant.

(1) *Vide B. Chioccarello t.* 15. *archivii.*

» lamente visitarsi dagli Ordinarii tanto *nello spiri-*
» *le*, quanto *nel temporale* purchè non siano sotto-
» posti all'immediata regia protezione nella manie-
» ra spiegata di sopra (a).

(a) Rebus ita compositis novae germinarunt lites super qualitatibus locorum vel laicis vel ecclesiasticis, et de mediata, aut de immediata protectione regia: hinc adhuc dubia fuit episcopalis jurisdictio: et quoad primum, alii partes Episcoporum tenentes non laicalem dicebant locum *cum oratorio* extructum et haec fuit Alexandri III. sententia (*). Alii *religiosum et sacrum* existimabant illum qui cum Episcopi auctoritate fuisset etiam sine oratorio aedificatus, ex decreto Urbani III. (**). Inde contendebant omnia ferme loca pia utcumque a laicis administrata recidere in ditionem Episcoporum; probantes ecclesiasticam dignitatem ex benedictione Episcopi aut dedicatione Ecclesiae iisdem annexa, aut ex ara sacra pro celebrandis mysteriis ibi erecta aut ex assensu Episcopi super statutis et regulis confratrum; praeter alia argumenta ex visitationibus deducta ex cathedratici aut synodatici solutionibus etc.

Ex adverso alii posthabito episcopalis assensu et oratorii respectu, quemlibet locum quantumvis religiosum, cujus administrationem laici gererent, laicalem indistincte putarunt.

Ast lex Concordatorum *laicalia* appellans generatim cuncta ab laicis administrata loca pia, quinimmo et Ecclesias ipsas capellasque speciatim in ea ipsa *laicalium* classe connumerat; et ecclesiastica vicissim quae ab ecclesiasticis tantum administrantur et reguntur (***). Mixta vero loca quae laici una cum ecclesiasticis administrant silentio in Concordatis praeterita, ex regio rescripto die 2. maii 1742. praevia Tribunalis Mixti consultatione, loci laicalis conditione sequi dictum fuit.

Quem autem immediatae protectionis Regiae characterem esse idem Concordatum utriusque potestatis consensu definivit, ac de limitibus illius lis decisa fuit (****): nimirum Regis protectionem,

(*) *In c. 1. de Eccles. aedific.*
(**) *Ex decret. epistol. ad Episcopum Hriminensem in c. licet ad ea 4. de religios.*
(***) *Vide c. 5. n. 1. tum n. 6. et alt. Concordati* 1741.
(****) *C. 5. n. 1. et n. 6. et ult. ibidem.*

Occupatione militari adsentationum ac perturbationum Galliarum effectus, et in administrationis ecclesiasticae offensionem ceciderunt. Ast pace reddita, pactis ultimo conventis ann. 1818. art. XVII. cautum sic fuit: « Mons frumentarius nuncupatus, Neapoli » erectus sive regia procuratio spoliorum, et redi- » tuum Mensarum Episcopalium, Abbatiarum, alio- » rumque beneficiorum vacantium supprimitur.

» Vix nova dioecesium circumscriptione peracta » in qualibet earum constituuntur administrationes » dioecesanae, quarum unaquequae constabit duobus » Canonicis a capitulo seu Metropolitano seu Cathe- » drali tertio quoque anno per suffragiorum plurali- » tatem eligendis ac renovandis, et a Regio Procu- » ratore, quem Majestas Sua nominabit.

» Cuilibet congregationi seu administrationi dioe- » cesanae praesidebit Episcopus aut ejus Vicarius Ge- » neralis, Sede vero vacante Vicarius Capitularis (a).

Art. XX. » Archiepiscopi et Episcopi in exerci- » tio eorum pastoralis ministerii prorsus liberi erunt » secundum sacros canones (b).

---

immediatam ex duobus tantum titulis oriri, vel *ex regia fundatione, ac dotatione;* vel ex subditi fundatoris voluntate *in limine fundationis* expressa et rite accepta: mediatam vero ex aliis quibuscumque titulis.

(a) Alti Commissarii causa perducendi ad effectum ultimum concordatum regulas dederunt quoad personas componentes administrationem ipsam, res, ac regimen ejus, quae videre erit inter collectionem actorum eorumdem.

(b) Regio rescripto die septima decembris ann. 1832. cautum fuit:

Art. 1. « Nel corso del 1833 saranno rinnovati tutti gli stati » discussi de' luoghi pii laicali, sia che questi vengono ammi- » nistrati dalle commissioni comunali, sia che si trovino go- » vernati da persone ecclesiastiche.

CONCLUSIO OCTAVA

Quibusdam in causis Episcopo agere liceat tamquam Sedis Apostolicae Delegato exponitur.

Quoniam omnia Ecclesiae ministeria, et ecclesiastica officia in adjutorium Episcoporum instituta sunt,

---

Art. 2. » In ogni stato discusso sarà portato un' articolo se-
» parato per le spese del culto. Questo articolo sarà fissato dal
» Consiglio degli ospizii di accordo coll' Ordinario diocesano.
Art. 3. » Si comprenderanno in questo articolo tutt' i legati
» pii di Messe, ed anniversarii; le festività, le novene, e le
» altre pratiche di pietà, e religione, o prescritte nelle fon-
» dazioni, o stabilite per antica consuetudine, le spese di ce-
» re, di olio per le lampadi, e di tutt' altro che possa servi-
» re all' esercizio delle sacre funzioni; gli stipendii dovuti al
» Clero per celebrazioni di feste, di processioni, e di qua-
» lunque altro servizio divino; la manutenzione annuale degli
» arredi sacri, e de' locali addetti per le cappelle.
Art. 4. « I fondi destinati per covrire le spese suddette ri-
» marranno a disposizione dell' Ordinario Diocesano. I cassieri
» in vista dell' ordinativo del Prelato, o della persona, ch' e-
» gli potrebbe destinare sul luogo a quest' oggetto, dovranno
» eseguirne i pagamenti.
Art. 5. « Niun' esito di questa specie potrà essere ammesso
» nel conto de' cassieri, se non sarà documentato coll' ordina-
» tivo del Vescovo, e col ricevo della parte prendente.
Art. 6. » Se nel corso dell' esercizio si verificasse il bisogno
» di doversi supplire qualche altra somma per un oggetto di
» spesa variabile, l' Ordinario ne farà la richiesta al Consiglio
» degli Ospizii, onde provocarne la superiore autorizzazione a
» norma de' regolamenti. Lo stesso avrà luogo ne' casi in cui
» trattasi di ristaurazione delle Chiese pericolanti.
Art. 7. » Nella relazione dell' articolo dello stato discusso
» indicato negli articoli 1. e 2. l' Ordinario diocesano esamine-
» rà, se può esservi luogo alla riduzione de' legati pii o per
» la inesistenza de' fondi gravati, o per la insufficienza della
» rendita; avendosi in considerazione, che debbon rimanere intat-

atque ipsum Episcopum in iis quae regimen Ecclesiae et curam populi concernunt tamquam superiorem inspicere tenentur ; hinc etiam in exemptos saltem

---

» ti i ratizzi, che si trovano stabiliti con sovrana autorità sul-
» le rendite ordinarie per le spese amministrative, e per la do-
» tazioni de' nuovi ospedali, ed ospizii di beneficenza. Ove pe-
» rò qualche particolare luogo pio fosse troppo gravato per si-
» mili ratizzi, potrà l'Ordinario con suo ragionato rapporto
» rassegnare le sue osservazioni al nostro Ministro degli affari
» interni per emettere le necessarie disposizioni, onde propor-
» zionarli alle circostanze, ed alle risorse del pio luogo per la
» parte, che riguarda l'adempimento delle opere ecclesiastiche.

Art. 8. « Qualora l'Ordinario diocesano riconosca ragione-
» vole la riduzione delle messe, e legati pii, dee rimanere a
» sua cura di provvedervi secondo le regole canoniche.

Art. 9. » Per tutt' i luoghi pii che per fondazione sono ad-
» detti a limosine si formeranno i nuovi stati discussi di accordo
» coll'Ordinario, e sarà in essi stabilita la somma annuale da
» distribuirsi, il tempo, e il modo della distribuzione, tenen-
» do presente la fondazione.

Art. 10. » I fondi delle limosine, che si portano negli stati
» discussi di ogni altro luogo pio, non per fondazione, ma per
» consuetudine, e per economia dell'amministrazione, verranno
» distribuiti dietro gli attestati de' parrocchi a norma dell' arti-
» colo delle istruzioni de' 20 maggio 1820.

Art. 11. » Non sarà ammesso nel conto de' cassieri verun
» pagamento di limosine, indicate ne' due precedenti articoli,
» se non esibiranno unitamente al ricevo l' attestato del par-
» roco sulla vera indigenza delle persone.

Art. 12. » I Vescovi porteranno tutta la vigilanza, acciò i
» parrochi non rilascino certificati d'indigenza, se non nei veri
» casi di bisogni riconosciuti. Nel certificato esprimeranno an-
» cora il loro avviso sulla somma che si potrebbe accordare.

Die 19. januarii ann. 1833. a Regis Secretis, et a sanctionibus interiorum negotiorum consiliis praecepta edita sunt a piis locis exequenda in operibus cultus, quae sequentibus continentur articulis.

Art. 1. « In ogni comune vi sarà un deputato ecclesiastico

jure delegato jurisdictionem obtinent Episcopi in casibus plurimis et quidem de jure Tridentini quorum praecipui sunt 1.° quoad regulares exemptos extra mo-

---

» eletto dal Vescovo, il quale di concerto cogli amministratori » de' luoghi pii redigerà l' articolo dello stato discusso prescritto dal Real decreto; e sarà incaricato ad invigilare l'esecuzione delle opere, e spese che saranno fissate. Il progetto degli stati discussi sarà sottoscritto dagli amministratori, e dal » deputato. Ne' luoghi di residenza degli Ordinarii possono essi » direttamente occuparsene, se così stimano.

Art. 2. « Per ogni luogo pio sarà separatamente fatto uno » stato discusso. In esso sarà dichiarata l'epoca della scadenza » delle rendite appartenenti a' legati. La fissazione degli esiti » della specie di cui si tratta, non potrà mai eccedere il valsente della rendita onnossia a questi pesi; ponendosi a calcolo i pesi regi e ratizzi nel modo stabilito nell' artic. 7 del » del Real decreto, oltre gli altri pesi, che con titolo si trovassero gravitare sulla rendita. Verificandosi l' inesigibilità, » la minorazione, o perdita di un articolo di rendita, non potranno i cassieri essere chiamati a fare impronto. In tali casi » gli Ordinarii stabiliranno quale opera di culto possa esser sospesa, cassata, o minorata.

Art. 3. » Qualora nella formazione di nuovi stati discussi » sorgessero dubbii, o dispareri tra gli amministratori, e i deputati, dovranno proporli al Consiglio degli ospizii con rapporto motivato, onde risolversi ciò che conviene coll' Ordinario.

Art. 4. » Tutte le opere di culto, che nell' esame dei stati » discussi non si troveranno garentite dalle fondazioni, dalle » tabelle, o dagli atti così detti di S. Visita, ma che si sono » per consuetudine praticate debbono reputarsi come variabili. » Saranno esse comprese in un articolo separato, e potranno » essere aumentate o diminuite a seconda delle finanze de' stabilimenti.

Art. 5. » Dal momento che gli stati discussi nuovi si porranno in esecuzione, gli amministratori esercenti non restano sciolti dalla loro responsabilità per l' adempimento delle » opere di culto; ma debbono con zelo concorrervi co' deputati.

nasterium, aut residentiam degentes; visitant enim eos corrigunt et puniunt: qui vero intra claustra degunt et delinquunt extra et notorie, rogatu Episcopi a praeposito suo merito plectendi sunt poenis, et Episcopus certior eorum quae gesta sunt faciendus est, secus integrum erit ei in delinquentem animadvertere, 2.° quoad apostatas et ejectos a religionibus, 3.° quoad praedicationem verbi Divini in eorum Ecclesiis curatis, 4.° quoad reparationem Ecclesiarum Patriarchalium, 5.° quoad celebrationem Missae extra Ecclesias non faciendam, 6.° quoad or-

---

Art. 6. » Sarà obbligo degli amministratori, otto giorni dopo » la scadenza di qualunque rendita di un legato, di porre le » somme nette a disposizione de' deputati con regolare mandato » sul cassiere. Su di tale mandato i Vescovi o deputati spediranno ai cassieri gli ordinativi, secondo i diversi oggetti di » pagamento, restando vietata ogni inversione senza l'espressa » superiore approvazione.

Art. 7. » Nel termine di ogni esercizio, il mandato tratto » dagli amministratori valerà a favore de' cassieri per l'ammontare effettivo degli ordinativi spediti, e quietanzati, come è prescritto coll' articolo 5 del Real decreto.

Art. 8. » I deputati non potranno rendersi parti prendenti, » a riserva soltanto di quelle somme che sono destinate per celebrazione di Messe, anniversarii ec. per l'ammontare corrispondente agli adempimenti, ch' essi certificheranno di avere eseguiti.

Art. 9. » L'acquisto degli arredi sacri si disporrà sulle richieste de' deputati, osservandosi le medesime norme finora » tenute. I deputati istessi proporranno le domande per le riparazioni delle Chiese. Essi sono autorizzati ad assistere alle » perizie, e alle subaste, che saranno disposte secondo i regolamenti generali, ed invigilare alla esecuzione de' lavori.

Art. 10. « Le commissioni co' deputati formeranno un esatto » inventario di tutti gli arredi sacri di proprietà delle cappelle; e sarà in ogni anno rinnovato. Ove l'amministrazione » non abbia un cappellano all'uopo destinato, gli arredi sacri

dinationem et praevium examen ordinandorum, nisi quoad hoc speciali privilegio sint muniti, 7.° quoad approbationem in ordine ad confessiones secularium audiendas, 8.° quoad censuras in Ecclesiis publicandas si ita petat Episcopus, 9.° quoad observationem festorum dioecesis, 10. quoad promulgationem indulgentiarum non faciendam sine consensu Ordinarii, 11.° quoad clausuram, et guberninm monialium, quae non sunt sub Praelatis ordinis etc. (1). De jure autem antiquo, 12.° in causis haeresum (2), 13.° quoad Sacramenta Eucharistiae, et Extremae unctionis non administranda extra extremam necessitatem fidelibus sine licentia Parochi (3), 14.° in petitione chrismatis, consecratione Ecclesiarum et omnibus quae sunt jurisdictionis episcopalis (4), 15.° quoad confessarios monialium, et quoad electionem

---

» saranno con verbali consegnati a' deputati, nè dovranno es-
» sere adoperati che per i soli usi di competenza del pio luogo.

Art. 11. » Le amministrazioni di quei stabilimenti a di cui
» carico si praticano limosine nel senso espresso dall' art. 10.
» del Real decreto, agiranno per questa parte indipendente-
» mente colle vigenti norme, salve soltanto le condizioni espres-
» se nel detto articolo, e nei seguenti. Esse baderanno, che
» una porzione delle somme ammesse per limosine sia riser-
» vata pe' tempi di maggior bisogno delle popolazioni, onde
» cessi lo sconcio di esaurirsi gli articoli ne' primi giorni del-
» l' anno, togliendosi le risorse nelle successive urgenze. Ogni
» limosina che sorpassa la somma di carlini dieci, dovrà es-
» sere convalidata coll' approvazione del Consiglio

Art. 12. « Le disposizioni contenute nelle presenti istruzioni
» sono applicabili ancora alle confraternite possidenti. »

(1) *Sess.* 4. 5. 6. 7. 22. 32. 24. *de ref.*

(2) *C.* 9. §. *fin. de haeret.*

(3) *Clement.* 1. *de privileg.*

(4) *Cap.* 19. *de praescript.*

Abatissae, cui per se vel per alium potest praeesse cum superioribus regularium (a).

CONCLUSIO NONA

Census Ecclesiastici natura distincta, quos Episcopi imponere possunt declaratur.

Census (b) specifice ac canonice sumptus, est pensio annua, quae ex proventibus ecclesiasticis ab Ecclesiis, Monasteriis, et aliis locis piis solvitur Superioribus, Prelatis, Patrono, vel alteri personae, ac in recognitionem subjectionis, vel ex alia justa causa, debetur. Unde collige quod ex praestatione facta annua census non semper subjectio Episcopo, intelligitur. Dividitur in antiquum, qui vel statim ab initio, et tempore fundationis, vel ipso jure impositus est, tamquam onus reale, cui cathedraticum refertur; vel novum qui primum ex post facto ab homine fuit impositus. Ambi subdividuntur in perpetuum, et temporalem.

(a) Vide Barbosam de officio et potestate Episcopi all. 105. a n.° 14. ubi ad quinquagintaduos usque casus reperies quos ad rem refert.

(b) Generice sumptus est praestatio annua, auctoritate publica subditis imposita pro necessitate, aut publica utilitate. Huic refertur *Tributum* quod subditis imponitur ratione bonorum immobilium. *Collecta* quae imponitur pro quantitate patrimonii. *Accisia* seu *Gabella* quae datur ratione rerum venditarum. *Vectigal* quod solvitur ratione mercium in Provinciam illatarum. *Pedagia* pro securitate transitus etc. Ad tributum juste imponendum requiritur potestas, justa causa, necessitas aut utilitas publica ac certa; et ut sit proportionatum causae et facultatibus subditorum.

Antiquum imponere potest Summus Pontifex: Episcopus vel qui habet jurisdictionem quasi-episcopalem in limine fundationis, dotationis, aut consecrationis (1); item quando aliquas Ecclesias concedit piis locis cum consensu capitularium (2), vel quando aliquam Ecclesiam a jurisdictione sua eximit (3). Patronus in limine fundationis, sed cum consensu Episcopi potest sibi reservare censum annuum (4).

Censum novum perpetuum imponere, vel antiquum augere regulariter Episcopus non potest saltem in suae vel capituli mensae utilitatem. Nam censum temporalem et in commodum alterius ex justa causa potest imponere (a).

CONCLUSIO DECIMA

Census praecipui qui debentur Episcopis expenduntur.

Episcoporum potestas non solum in lege jurisdictionis, sed dioecesanae fundatur; intra quas hanc

---

(a) Causae sunt 1.° si unus ex duobus litigantibus de beneficio cedere velit, reservata sibi pensione, 2.° si beneficiatus jam decrepitus vel aegrotus renuntiet beneficia, reservata sibi pensione loco alimentorum, 3.° pro substentatione pauperum scholarium, vel aliorum indigentium, 4.° pro necessitate Ecclesiae cathedralis ad ejus reparationem, aut ad solvenda debita pro Episcopatu contracta, 5.° pro erigendo Seminario juxta Trid. sess. XXIII. c. 18. De ref. De pensionibus in tractatu à beneficiis.

(1) *C. 7. juncta Glossa V. census.*

(2) *C. 9, de his quae dicunt a Praelat.*

(3) *C. 6. de Relig. dom. et c. 21. h. t.*

(4) *C. 23. de jur. patron.*

adsignant DD. differentiam, nimirum ad primam referunt omnia quae ex parte Episcopi consistunt in dando et faciendo actus sive ordinis, sive jurisdictionis, quos jam praecipuos recensuimus: ad legem dioecesanam vero quae ex parte Episcopi in recipiendo consistunt, pertinent puta; exigere *cathedraticum sive synodaticum; subsidium charitativum; quartam decimationem*, *quartam mortuariorum*, *seu portionem canonicam*, *procurationes* in visitatione dioecesis (a), quas expendere heic juvat.

Est autem *procuratio* prout hic sumitur praestatio eorum quae Episcopo aliisque Praelatis actualem visitationem obeuntibus cum notario, et decente comitatu sunt necessaria ad victum et habitationem visitatoris, ab iis quos visitat praestanda. Hinc collige 1.° visitantibus deberi procurationes ab omnibus Ecclesiis non modo parochialibus, sed et a monasteriis (1) quae et quando visitantur (2) (b); cum Chri-

---

(a) Abbas (*) distinguit unam ab altera lege, eo quod ea dicuntur spectare ad legem dioecesanam, a quibus in jure reperiuntur exempta Monasteria; alia ad legem jurisdictionalem pertinere.

(b) Exceptis Oratoriis privatis (**) et grangiis monachorum quippe quae non visitantur (***), Ecclesiis pauperibus destitutis reditibus ad eas solvendas, Hospitalibus et locis piis pro pauperibus et infirmis deputatis (****), nec non illis quibus speciale privilegium est vel consuetudo (*****) vel praescriptio sed immemorabilis (******) dummodo sit generalis in illo loco, vel Provin-

(1) *C. Sopitae* 14. *ex. de censib.*

(2) *Trid. sess. XXVI. c.* 3. *de reform.*

(*) *In c. Dilectus de offic. jud. Ord.*

(**) *C. fin. de cens. et procurat.*

(***) *C. ult. eod. in* 6.

(****) C. 11. *de rescript. in* 6. *Clem. quia contigit de Relig. dom.*

(*****) *Trid. loc. cit.*

(******) C. 17. *de praescript.*

stus ipse dixerit (1): *Dignus est enim operarius mercede sua*, quo tempore discipulos suos ad praedicandum mittebat. Ipseque labor qui impenditur ab Episcopo in visitatione congruum reddit, ut ille seminans spiritualia, temporalia metat, cum ex Apostolo (2) nemo cogatur suis stipendiis militare. Hinc etsi habeat unde vivat Episcopus, juste illas exigit, quamvis non fidelitatis et subjectionis signo, sed causa alimentorum necessariorum praebeantur (a).

2.° Ne graves illae Ecclesiis evaderent, Tridentinum statuit ut Episcopi (3) *modesto contenti equitatu, famulatuque, studeant quam celerrime, debita tamen cum diligentia, visitationem absolvere*; tum ut praeter id quod jure debetur, *nec pecuniam, nec mu-*

---

cia (*); alias enim servari debet antiqua juris dispositio, prohibens quamcunque praescriptionem etiam immemorialem adversus procurationes (**).

(a) A vero errare patet illos qui procurationum originem inde accersendam dicunt, quod Episcopi temporali dominio adaucti, illud sibi subjectionis et fidelitatis signum adserere voluerunt, ne secularibus dominis inferiores viderentur. Non enim quia et procurationes solvebantur a vassallis feudorum, dictae proin *feudales*, et a subditis regiis ducibus et ministris, *civiles* quas numerat Boehmerus (***); nec ob id quod in monumentis saeculorum medii aevi *circatae*, *mansiones paratae* audierunt iisdem vocabulis, ac civilis juris, ideo tenendum quod asserunt; nam tanto antiquior jus procurationum quod defendimus, quantum ipsa visitatio, tam diversa origo, quantum diversa ratio earum. Nec demum novum, ut civilis juris vocabula in Ecclesiae politiam transmearent.

(1) *Luc. X.* 7.

(2) *Ad Corinth. c.* 9.

(3) *Sess. XXIV. c. III.*

(*) *Fagn. in c. Venerabili docens.*

(**) *In cap. cum instantia de cens. c. accedens de praescript.*

(***) *Juris Eccl. lib. IV. tit.* 39. §. 38.

nus, *quodcumque sit*, *etiam qualitercumque offeratur*, *accipiant* (a) . . . *exceptis tamen victualibus*, *quae sibi*, *ac suis frugaliter*, *moderateque pro temporis tantum necessitate*, *et non ultra erunt ministranda* (b); data praeterea optione iis qui visitantur, *si malint solvere id*, *quod erat ab ipsis antea solvi*. *certa pecunia taxata*, *consuetum*; *an vero*, *praedicta victualia subministrare*; ut denique *in iis locis*, *seu provinciis*, *ubi consuetudo est*, *ut nec victualia*, *nec pecunia*, *nec quidquam aliud a visitatoribus accipiatur*, *sed omnia gratis fiant*, *ibi id observetur.*

Contra visitationem nunquam potest praescribi, nisi quoad modum puta, ut alius Praelatus visitet; vel praescribendo contra ipsam subjectionem; jure enim naturae subditi visitantur; ergo quamdiu manet subjectio, tandiu jus visitandi manet. Quia tamen ex Trid. cit. loco peti non potest procuratio ubi viget consuetudo non dandi illam, ob id patet praescribi contra procurationem posse, saltem si visitator habeat unde vivat.

Jus etiam *cathedraticum* obtinent Episcopi, sive *synodaticum* (c) quod est census singulis annis Epi-

---

(a) Quod si visitator, vel comites aut famuli occasione visitationis accipiant aliquid etiam ultro oblatum peccant graviter. et debent duplum restituere. Ita Trid. cit. loc.

(b) Inde una debetur procuratio, etiamsi binae aut plures eadem die visitationes instituantur (*). Tum quod in Cathedralis Ecclesiae visitatione, et cleri civitatis, nulla danda sit procuratio, quum facile inde Episcopus ad aedes suas discubitum adire possit (**).

(c) Dictum etiam fuit synodatica, vel synodus quod fortasse

(*) *Can. Felicis III. de cens. exat. et procur. in IV.*

(**) *S. Cong. apud Fagnan. in c. Venerabili Extra de cens.*

scopo solvi consuetus velut tributum in honorem cathedrae episcopalis. Ad solvendum illud obligantur omnes Ecclesiae, et cappellae seculares, item probabiliter illae etiam Monasteriis pleno jure incorporatae, et non specialiter exceptae; non tamen tenentur ipsa Monasteria, aut Ecclesiae regulares, etsi alias a jurisdictione Episcopi non exemptae; nam exemptae universim sunt a lege dioecesana vi cujus Episcopus aliquid exigit (1). Quantum vero, et quomodo solvi debeat cathedraticum, praescindendo a jure communi, dependet a statutis et consuetudine dioecesis. Ita DD. Nec vero Tridentinum jus istud tollit ex quo novas exactiones interdixit, dummodo non in visitatione, sed in Synodo, vel alio tempore solvatur. Ita censuit S. Congreg. Concilii apud Bened. XIV. (2).

Subsidium caritativum in paupertatis Episcopi levamen, inter jura episcopalia recenseri solet. Est enim exactio extraordinaria propter manifestam et rationabilem causam cum caritate a subditis moderate postulata; ut colligitur ex Alexandro III. in Concil. Lateranensi III. ann. 1179. qui illud ita exposcendum concessit. Debetur autem ab Ecclesiis et clericis beneficiatis reditus beneficiales ultra congruam sustentationem habentibus, quia hoc subsidium est

---

in synodo exigeretur; quandoque etiam Paschale; eo quod synodus in quo pendebatur ut plurimum post Pascha habebatur. Ad duos aureos coarctata fuit ex Concil. Bracarensi II. (*). Quod Honorius tertius confirmavit (**).

(1) *Cap.* 1. *de stat. Monach.*

(2) *De Synodo Dioec. lib. V. c. VI. n.°* 5.

(*) *Can.* 2.

(**) *In c. Conquerente XVI. Extra de offic. jud. Ord.*

onus mixtum, clericorum personas obligans intuitu fructuum quos percipiunt (1). Quin et a regularibus beneficia vel Ecclesias seculares obtinentibus (2) debetur. Attamen sicut a cathedratico, ita ab hoc subsidio exempta sunt monasteria ipsa, etiam a jurisdictione Episcopi alias non exempta; nam omnia eximuntur indistinte a tota lege dioecesana, vi cujus tales fiunt exactiones. Ita fere omnes DD.

Ex cit. tamen Concil. Lateran. *pro multis necessitatibus quae aliquoties superveniunt, ut si manifesta ac rationalis causa extiterit, cum caritate moderatum ab eis valeant auxilium postulare* (a).

De *decimis*. Hae ante divisionem Parochiarum ad Episcopum pertinebant. Ea vero sequuta, quarta iisdem adserta est, sed loco suo de illis disseremus.

Insuper de quarta funeraria alibi etiam disputandum.

Utilia demum alia erant jura, et praesertim *sigilli* quod solet expeti pro appositione sigilli Episcopalis in iis literis, quae a curia expediuntur Episcopali, non tantum ad notarii emolumentum, sed etiam ut auctoritatis Episcopalis attributum. Conc. Trid. (3) in quibusdam sustulit; nimirum circa literas testimoniales vel dimissoriales in ordinibus, salvo notarii salario,

---

(a) Taxa Innocenti XI. ann. 1670. cautum fuit: « Il sussidio caritativo in quelle diocesi, nelle quali sia solito esigersi, e non altrimente, si esiga solamente per una volta nel primo ingresso del Vescovo secondo la tassa solita antica di anni 40 indietro, sicchè non si attenda il solito più moderno da detto tempo in giù, nè si possa più esigere sotto qualsivoglia pretesto, anche di volontario donativo. »

(1) *C.* 6. §. *prohibemus de cens. et c.* 15. *de offic. ord.*

(2) *Cit. c.* 16.

(3) *Sess. XXI. c.* 1.

si nullum aliud habeat. In his tamen securi degunt Episcopi taxam antea dictam sustinentes Innocentii XI. ad rem in lucem profertam, et per circulares literas a Sacra Congreg. Concilii inhaerendo mandatis Sanctitatis suae, ad quoscumque locorum Ordinarios transmissas, ut eas in Cancellaria, in loco omnibus patenti retineri providerent, easdem adamussim observarent, ac faciant observari (a).

(a) Taxae ejusdem exemplum regio rescripto 26. decembr. 1791. comprobatum fuit. Hanc pro Curiis et Ordinariis hisce numeris exscriptam habes :

Art. 1. Che nè il Vescovo o altro Prelato, nè il suo vica» rio generale o foraneo, cancelliere, ed uffiziale qual si vo» glia, congiunti, familiari o servitori possono esigere o rice» vere emolumento, o cos' alcuna sotto qual si voglia colore o » pretesto di atti per la giustificazione de' requisiti, ovvero di » tovaglia, forbici, pettine, ed altro dagli Ordinandi, nè sotto » titolo di regalo o mancia, ancorchè spontaneamente si offe» risse, e volesse darsi; ma soltanto l' Ordinante possa rice» vere l' oblazione della candela, a libero arbitrio dell' ordi» nato circa la qualità del peso.

2. » Che il cancelliere per le lettere testimoniali della col» lazione dell' ordine già dato, ovvero per le lettere dimisso» riali per la collazione da farsene da altro Vescovo possa ri» cevere solamente la decima parte di uno scudo Romano, o » sia un Giulio, il quale per sicura norma secondo l' equiva» lente della moneta di regno, non debba oltrepassare le gra» na tredici, esclusi da tale esazione que' religiosi che sono veri » questuanti, ai quali è interdetto l' uso del denaro.

3. » Che il cancelliere medesimo nella collazione del sud» diaconato per gli atti che si debbano fare per la giustifica» zione della verità, e sufficienza del patrimonio, o del be» neficio, a titolo del quale si dovrà taluno promuovere, possa » soltanto esigere quell' emolumento che sia proporzionato alla » mera fatica per la scrittura, e carta senzacchè il Vescovo o » vicario, o altro uffiziale nè direttamente, nè indirettamente » ne possano partecipare. Il quale emolumento non debba mai

CONCLUSIO DECIMAPRIMA

Jura Episcoporum honorifica variaeque praerogativae eorum distinguuntur.

Jura honorifica competunt his qui in dignitate

» eccedere uno scudo, o sia secondo la sicura ed ordinaria
» norma, i carlini tredici, ed esigendo la fatica una minor
» mercede, debbasi esigere solamente quel meno, senzacchè
» per gli altri ordini, o prima tonsura si esigà cos' alcuna,
» anche sotto pretesto di registratura di brevi e dispense, e
» di altre scritture o di presentata, o di qualunque altra giu-
» stificazione e sollennità, o rimozione d' impedimento.

4. » Che se le suddette lettere testimoniali ovvero dimis-
» soriali contengano più ordini, non debba esigersi altra mer-
» cede, che la suddetta di carlini tredici, la quale non possa
» moltiplicarsi a ragione di ciascun ordine. Non sia però te-
» nuto il cancelliere a fare una sola scrittura per più ordini,
» quando questi *servatis servandis*, venissero a conferirsi in di-
» versi tempi, ed in diverse ordinazioni; ma, volendo, pos-
» sa farle separatamente, non già rispetto a quegli ordini che
» si conferissero in un istesso giorno, come i Minori, ne' quali
» dovrà farsi una sola scrittura, e nelle lettere dimissoriali che
» si diano per la promozione a più ordini, parimenti non si
» possono moltiplicare scritture.

5. » Che dal cancelliere non si possa esigere cosa alcuna
» per lo rogito della collazione degli ordini, o sia per l' atto
» di esservi taluno ammesso, o per l' accesso al luogo dell' or-
» dinazione, anche col pretesto di mancia, e di regalo.

6. » Che nella collazione di beneficii residenziali di na-
» tura ecclesiastica non possa il Vescovo, o altro ordinario
» Collatore, il vicario, il cancelliere, o qualsivoglia altro uf-
» fiziale, i loro parenti, familiari, o servitori, esigere o ri-
» cevere emolumento alcuno, o altra cosa sotto qualsivoglia
» colore o pretesto, anche di mancia, o volontario donativo;
» ma soltanto il cancelliere per le lettere della collazione, com-
» presa carta sigillo ed ogni altra cosa, possa esigere la mer-
» cede proporzionata alla scrittura, e materie, non eccedente

sunt constituti, ut impleatur illud Apostoli (1): *cui*

» però la suddetta somma di carlini tredici, senza esigere al-
» tro, e particolarmente per l'approvazione, e preelezione nel
» concorso.

7. » Che in quanto al possesso il Prelato, e suo vicario » o altro uffiziale non possa esigere cos'alcuna, e'l cancelliere » se sarà dentro la città, possa per il rogito, o sia atto del » possesso ed ogni altro che occorra, esigere i Giulii tre, o » sia secondo il detto equivalente in moneta di regno, grana » trentanove. Nei borghi poi Giulii quattro, ossiano grana cin- » quantadue, e se in altro luogo, possa esigere la stessa som- » ma al giorno, e le spese di vitto, e viatico. Quante volte » però nel luogo del beneficio siavi alcun regio notaio, si deb- » ba la curia assolutamente di colui valere per l'atto del pos- « sesso, senza esservi necessità del suo cancelliere.

8. Che ne' suddetti benefizii residenziali di qualità eccle- » siastica non possa l'Ordinario o per le lettere testimoniali del- » l'approvazione e preelezione nel concorso, o per le attesta- » zioni sopra la vita, costume, idoneità dei concorrenti, esi- » gere e ricevere mercede ed emolumento alcuno in danaio, o » in altre cose, sotto qualsivoglia pretesto o colore, anche di » spontaneo donativo.

9. » Che per l'esecuzione di Bolle, che si lascian correre » dalla Dataria, mercè la precedente Reale commendatizia, ed » il successivo Regio *Exequatur*, non possono i Vescovi o al- » tri Prelati Ordinarii dei luoghi, ed i di loro vicarii, cancel- » liere, o altri uffiziali, pretendere di doverne essere per ne- » cessità esecutori per il possesso, ma sia in arbitrio de'Prov- » visti l'eleggersene l'esecutore, e'l notaio, ma se il Provvi- » sto elegga l'ordinario uffiziale, e'l suo cancelliere, o vera- » mente se fossero indirizzate all'Ordinario, ovvero al suo vi- » cario; nell'uno e nell'altro caso, purchè si tratti di mera » esecuzione, non debbasi esigere e ricevere emolumento al- » cuno, ma sia lecito al solo cancelliere per la copia e regi- » stro di dette bolle ed altri atti, ricevere la mercede propor- » zionata alla fatica per la scrittura, ma non mai eccedente » la suddetta somma di carlini tredici.

10. » Che accadendo contraddizione di modo che conven-

(1) *Rom. cap.* 13.

honorem honorem (a). Plerumque consistunt in loco digniori in choro, in congregationibus, processioni-

---

» ga far processo in cause mere ecclesiastiche spirituali la mer-
» cede del cancelliere si possa estendere a carlini ventisei, e
» non più, senzachè il Vescovo o suo vicario o altro uffiziale,
» possa esigere, e ricevere emolumento alcuno, mentre in tali
» cause, a norma de' Sagri Canoni, non ostante qualsivoglia
» abusiva consuetudine in contrario, il giudizio si debba inter-
» porre *gratis*, senzacchè circa l' esistenza di patronati, o per
» la controversia di pertinenza tra compatroni, o presentati
» ne' beneficii di qualità ecclesiastica, possano le curie mede-
» sime ingerirvisi.

11. » Che rispetto ai matrimonii, così per l' esecuzione
» delle dispense ottenute, precedente sempre il Real permesso a
» poter ricorrere, ed il successivo Regio *Exequatur*, come per
» la giustificazione dello stato libero, o che non vi sia cano-
» nico impedimento, ed anche per la dispensa alle pubblica-
» zioni, o per la licenza di potersi contrarre in casa, o in al-
» tro luogo, o in tempo insolito e proibito, o che si possa
» contrarre in presenza di altri, che del parroco, precedente
» però sempre il consenso di costui, e per ogni altro atto che
» occorresse fare; l' Ordinario e 'l suo vicario, ed ogni altro
» uffiziale, o ministro o familiare, non possa anche col pre-
» testo di mancia, e di volontario donativo esigere e ricevere
» emolumento alcuno, nè in danaro, nè in altre cose; ma
» solamente il cancelliere possa esigere la mercede proporzio-
» nata alla fatica della scrittura, cioè nell' esecuzione delle di-
» spense grana trentanove in moneta di regno corrispondente a
» quella di tre Giulii, permessa nella tassa Innocenziana; e
» per li testimoni sopra lo stato libero, e che non vi sia im-
» pedimento, un Giulio per testimone, purchè in tutto, e per
» tutti gli atti occorrenti non si eccede la somma di carlini
» tredici.

12. » Sovranamente dichiarandosi che in que' luoghi, ove
» il solito sia minore della presente tariffa, debba assoluta-
» mente osservarsi il solito. »

(a) Honor a quo honorifica dicuntur jura, est cultus quidam seu reverentia, quae ob beneficentiam, vel auctoritatem singularem quibusdam ab Ecclesia exhibetur externis actibus.

bus, aliisque publicis conventibus; vestium distinctione (a) etc. Insuper in praerogativis et privilegiis quorum praecipua sunt: I.° ex Bonif. VIII. *ut* (1) *altare possint habere viaticum, et in eo celebrare, ac facere celebrari ubicumque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire divina* (b). II.° *Interdicti tempore januis clausis, excommunicatis et interdictis exclusis, voce submissa divina celebrare possunt* (2). III.° Nullam incurrunt sententiam censurae *nisi in ipsis de Episcopis expressa mentio habeatur* (3). IV.° Providum et discretum sibi extra suas dioeceses eligere possunt confessarium praeter Superioris ejus licentiam, idest ab Ordinario loci non approbatum (4). Caetera sparsim pro convenientia materiarum notabimus.

(a) Vide Trid. sess. XXV. c. V. de reform. Insuper caerimoniale Episcoporum. Ceterum norunt omnes quae sint ornamenta eorum dignitati propria, et signa potius jurisdictionis quam ordinis nempe baculus pastoralis, mitra, crux etc.

(b) Cum aliqui hac licentia abuterentur, declaravit Clemens IX. non ideo licere Episcopis passim, *extra domum propriae habitationis*, in domibus laicis etiam in propria dioecesi, erigere altare. Sed ut postea explicavit Innocent. XII. possunt eo uti privilegio « in *domibus*, etiam laicis in quibus occasione visitationis, vel itineris hospitio recipiuntur, vel moram faciunt, non secus ac in propria domo » Bened. XIV. id explicat etiam de Episcopis in aliena dioecesi itinerantibus. Bullar. t. III. n.° 48.

(1) *In cap. Quoniam ult. de privileg. in* 6.

(2) *Innocent. IV. in concil. Lugd. c. quia periculosum* 4. *de sentent. excomm. in* 6.

(3) *Ex eod. Bonif. VIII in c. licet vobis XI. de privileg. in* 6.

(4) *Greg. IX. in c. ne pro dilectione de poenitentia et remissione.*

De privilegiis autem illorum qui domestici Praelati sunt Papae, solioque Pontificio assistentes, videre est Greg. XV. constit. *circumspecta* 32. anni 1622. t. 3. Bullarii.

Jure atque usu Regni hujus, Episcoporum aliqui titulo honorario Regiorum a latere consiliariorum etiam decorati sunt. Nunc etiam honoribus militaribus observantur Episcopi omnes; nec immerito unumquemque enim illorum ut Apostolus docet (1) *irreprehensibilem, esse oportet . . . ornatum . . . justum . . . sanctum* etc. quibus tamen S. Bernardus ait: *Honorificabis autem* (ministerium) *non cultu vestium, non aequorum fastu, non amplis aedificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis.*

MANTISSA PRIMA

De Praelatis inferioribus.

Praelati inferiores dicti quia sunt infra Episcopum, et nomine Ordinarii aliquando veniunt, vel seculares sunt vel regulares, et à Benedicto XIV. in tres species distinguntur. Prima est eorum qui certo praesunt generi personarum existentium intra septa alicujus Ecclesiae, monasterii, seu conventus ab Episcopi subjectione subtracti. Ejusmodi sunt superiores regulares, et nonnulli praelati seculares, qui una cum ecclesia ejusque ecclesiae clericis et administris; quibus praesunt immediate romano Pontifici subjiciuntur. Secunda species est praelatorum, habentium jurisdictionem activam in clerum, et populum in certo loco, qui ta-

(1) *Ad Timot.* 3. *et Tit.* 1.

men locus est intra Episcopi dioecesin, a qua undique circumscribitur. Tertia species est illorum, qui jurisdictionem activam habent in clerum et populum alicujus loci seu oppidi, aut plurium locorum, et oppidorum, quae omnino evulsa et separata sunt a cujuslibet Episcopi dioecesi, unde *quasi dioecesin* constituere dicuntur; ubi praelatus, iis exceptis, quae sunt ordinis episcopalis, omnia exercet, quae ceteroquin ad episcopalem jurisdictionem pertinent. Hi tantum vere et proprie dicuntur *nullius*; et vere annumerantur locorum ordinariis (a).

Omnium potestas vel ex privilegiis Papae, vel ex praescriptione immemorabili oritur (1). Ceterum Abbates regulares suis subditis regularibus pro jure suo primam tonsuram et minores ordines conferunt, dummodo sint in sacerdotio et solemnem obtinuerint ab Episcopo benedictionem.

Excedunt vero Praelati inferiores: I. si uniant ecclesias sibi subjectas sine consensu Episcopi (2): II. si cognoscant causas matrimoniales, nisi sint exempti plenissimo jure, et habeant jurisdictionem quasi-episcopalem (3): III. si concedant indulgentias, nisi hoc habeant ex speciali privilegio aut consuetudine legitime praescripta (4): IV. si imponant poenitentias publicas et solemnes (5): V. si Praelati regulares contra formam a jure, et constitutionibus Pontificiis prae-

(a) Vide Benedictus const. 76. apostolicae servitutis T. I. Bull. const. 33. Inter multa T. II. Bullar.

(1) *Confer Bened. XIV. const. Apostolica*, *et laud. const. Inter multa.*

(2) *C.* 8. *de excessib. praelat.*

(3) *C.* 12. *eod.*

(4) *Cit. c.* 12.

(5) *Cit. c.* 12. *et can.* 64. *dist.* 50.

scriptam aedificent monasteria : VI. si eligant examinatores ad parochiales ecclesias per solemne examen conferendas (a) (1): VII. si litteras dimissoriales subditis secularibus darent pro ordinibus suscipiendis.

MANTISSA ALTERA

De Chorepiscopis.

Cum haec dignitas in Ecclesia omnino defecerit, juvat tantum de his historiam adnotare. Igitur Chorepiscopi dicebantur ii quorum auxilio in regimine ruralium Ecclesiarum, et oppidorum dioeceseos Episcopi urbium utebantur; ut nunc fere Parochi faciunt. Quo certo plane tempore emerserint, non convenit inter eruditos, etsi plane sit, hos in Oriente primum, postea in Occidente et praesertim in Galliis institutos esse. Num vero Episcopi suapte natura fuerint, an Praesbyteri, adhuc sub lite manet quaestio inter illos qui adfirmant, uti sunt Binghamus, et Tournely; et eos qui negant, ut Thomassinus, Natalis Alexander aliique, quorum sententia verisimilior videtur. Bellarminus autem alteri controversiae respondens quae occurrit, utramque solvit dicens (2), fuisse Chorepiscopos qui vere Episcopalem consecrationem acceperunt, sed Chorepiscopi dicebantur, quod non haberent propriam Ecclesiam, sed in alia dioecesi ministrabant, quales sunt

---

(a) Vicinior Episcopus in quasi dioecesi quae nullius revera est, et Episcopus dioecesanus in ecclesia exempta parochias confert servata lege concursus a Trid. constituta.

(1) *Vide Bened. XIV. de S. D.* l. 2. *c.* 12.

(2) *Concil. Neocaes. c. XIII.*

Episcopi quidam titulares, qui et suffraganei dici solent. Alios vero Chorepiscopos fuisse, qui nihil aliud, nisi Presbyteri essent, sed, uti dictum est in pagis et villis seu etiam oppidulis Episcopum aliquo modo repraesentarent. Hinc respondi potest argumentis quibus ex canonibus colligi videtur Chorepiscopos cum venia Episcopi ordines contulisse Diaconibus et Presbyteris, ut nec inferri possit eos vere Episcopos fuisse.

Erat vero potestas eorum minor aut amplior in Presbyteros et Clericos rurales praesertim si charactere Episcopali ornarentur; etsi a voluntate Episcoporum pendebat. Praecipuum illorum officium erat sibi commissae regionis curam habere, clericis ibi existentibus praeesse, et ad Episcopum ea referre quae ad suam ordinariam et principalem curam pertinebant. Ordines minores conferebant (1). In civitate coram Episcopo et Presbyteris urbanis invitati, sacra celebrabant mysteria (2), quod aliis Presbyteris denegabatur. Sedebant in conciliis generalibus, et suffragia ferebant (3). Dabant literas pacificas (a) etc.

(a) Antiquissimi usus sunt literae *formatae*, *communicatoriae* seu *pacificae* quae olim non clericis tantum, sed aliis quoque fidelibus alio discessuris in signum catholicae communionis dabantur. *Formatas* dictae ex certa forma, qua erant exaratae; ex hodierno usu hae censentur *testimoniales*, quatenus etiam hoc addunt, ordinatum nullo canonico impedimento ordinis exercendi affici et ad clericos pertinebant. *Commendatarie* quatenus significant, quo loco officiove sit, qui eas exhibet, et omnibus, ad quos pervenerit sit commendandus. *Dimissoriae*, vero sunt quas Episcopus suis subditis dat, ut alieno Episcopo ordinentur, vel etiam ut liberi a beneficio quod obtinebant, ali-

(1) *Concil. Nicaen. in subscriptionib.*

(2) *Cap. XVII. de clericis L.* 1.

(3) *Concil. Antioch. c. X. ann.* 341.

Sed cum intra potestatis suae fines se non continerent, et in Occidente, praesertim in Gallia omnia Episcopalia officia attentarent, bonam mentem induerunt Episcopi et velut ex compacto a creandis Chorepiscopis cessarunt. Quod in Occidente primum ferme X. seculo factum est. In Oriente diutius, ast aetate Balsamonis omnino desierant.

CAPUT XI.

DE COADJUTORIBUS.

CONCLUSIO PRIMA

Quis coadjutor sit, quibus, et a quo constituendus declaratur.

Clericus in beneficiis canonice institutus si contingat incidere in morbum incurabilem, vel amentiam, aut ob senium, vel mutilationem etc. reddi inhabilem ad sua ministeria obeunda, eundem non posse a beneficio amoveri jus dicit, cum afflicto afflictio addenda non sit (1): imo oppositum inhumanum et injustum visum est (2). Interim dandus est ei Coad-

bi intitulari, ac servire possint. Insuper Concil. Laodicen. seculi IV. can. 41. ait « Non oportere ministrum, vel etiam » laicum sine canonicis literis, idest *formatis* aliquo profi- » cisci. »

(1) *C.* 1. *seqq. de clerico aegrotante vel debilitato.*

(2) *Can.* 1. *et* 3. 7. *q.* 1.

jutor (1), vel in spiritualibus tantum, vel in temporalibus, vel in utrisque prout inhabilitas ejus exigit. Est autem Coadjutoria facultas alicui concessa adjuvandi beneficiatum, Praelatum etc. inhabilem in suis ministeriis (a).

Duplex vero est, temporalis quandiu scilicet vitae usura fruitur coadjutus, vel quamdiu durat inhabilitas ejus; et fere conicidit cum administratore, ac a Vicario in beneficiis inferioribus curatis quasi non differt; aut perpetua quae mortuo succedit, seu cum jure successionis (b). Utraque Episcopis et Praelatis exemptis nonnisi a Pontifice danda est: perpetua ex Trident. (2); temporalis quia ex Bonifacio VIII. censetur inter causas majores Sedi Apostolicae reservata (3). Excipitur tamen nisi aliud necessitas exigat Ecclesiae, et ob distantiam Pontifex facile adiri

(a) Causae ob quas Coadjutor dari potest ex Trid. cit. sess. XXI. c. 4. sunt 1.° Ob senium. 2.° Ob gravem infirmitatem perpetuam, et incurabilem. 3.° Ob mutilationem propter quam officium sacerdotale omnino non, vel saltem non nisi cum notabili deformitate exerceri potest. 4.° Ob defectum sufficientis doctrinae in Parocho vel Curato. 5.° Ob auctum populi numerum, ita ut ille solus non amplius sufficiat. 6.° Negligenti in suo officio, aut suspecto de dilapidatione bonorum Ecclesiae recte Coadjutor datur.

(b) *Cum in beneficiis*, ita Trid. *ecclesiasticis ea quae haereditariae successionis immaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa, et patrum decretis contraria . . . . coadjutoriae cum futura successione nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur. Excipit tamen Ecclesias Cathedrales et Monasteria ex urgente necessitate, aut evidenti utilitate; ita ut Coadjutor non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a Sanctissimo Romano Pontifice sit co-*

(1) *C.* 3. *cod.*

(2) *Sess. XXV. c.* 7. *de reform. et can.* 17. *c.* 7. *q.* 1.

(3) *C. un. cit. tit. in* 6.

nequeat; tunc enim Episcopus una cum consilio et consensu majoris partis Capituli potest unum, vel duos Coadjutores assumere. Quod si vero Episcopus sit incapax assumendi puta, ob amentiam etc., tunc hoc potest Capitulum solum, ita tamen ut duae partes consentiant, et dein omnes facti circumstantias, quam cito fieri potest, ad Sedem Apostolicam referant. Sic pariter si vel Episcopus, vel Capitulum nolit, res ad Pontificem referenda est (a) (1). Si vero Coadjutor dandus sit temporalis inferioribus Praelatis aliisque beneficiatis si hi exempti non sint, ille dari non potest ab Episcopis, vel aliis eorumdem Superioribus ex Trid. (2).

---

gnita, et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae a jure et decretis hujus Synodi in Episcopis et Praelatis requiruntur: alias concessiones super his factae subreptitiae esse censentur. Necessitatem afferre potest senium, morbus, amentia, gravia negotia ob quae Coadjutus perpetuo residere absque gravi damno non potest; nam etsi remedium afferri possit coadjutoria sine jure succedendi; aequum tamen est ut qui dignus censetur gubernandi dioeceseos vivente ejus Praelato, etiam post ejus obitum aliis praeferatur. Utilitas vero evidens censetur, si quando vacante sede timeantur turbae, et damna Ecclesiae imminentia quae per coadjutorem ipso jure succedentem praecaveri posse videantur.

(a) Regulariter consensus Coadjuti etiam requiritur ad assumendum Coadjutorem, quia Coadjuti vel maxime interest Coadjutoria, et hinc invito dari non debet, nisi laboret defectu, vel morbo incurabili; tunc enim capitulum non quidem per se cogere ipsum potest, bene tamen statum Ecclesiae fideliter referre ad Pontificem, ut is, si ita visum fuerit, compellat ad Coadjutorem admittendum vel temporalem vel perpetuum.

(1) *Cit. cap. un.*

(2) *Sess. XXI. c. 6. de reform.*

CONCLUSIO SECUNDA

Jura et officia Coadjutoris, undeque hic sustentari debeat, expenduntur.

Coadjutorem quod attinet per assumptionem Capituli, nullum jus acquirit; assumptio enim innititur gratiae Pontificis, sicut postulatio. Si vero per Pontificem adprobetur cum jure successionis, tunc acquirit jus ad beneficium, ita ut si Beneficiatus prior decedat ab eo, Coadjutor habet jus in re sine novo facto, aut approbatione nova. Insuper si Coadjutor habet administrationem, tunc ei debetur sustentatio congrua ex bonis Ecclesiae cujus Praelato datus est, si sufficiat ad moderatam utriusque sustentationem (1). Si reditus pro utroque non sufficiant, ex iis debet ali Coadjutus, qui retinet titulum, et possessionem Praelaturae vel beneficii (2); Coadjutori autem providendum ex residuo, si quod detur, et aliud additamentum puta, ex collato alio beneficio, aut pensione, eidem procurandum ex Trid. (3).

Officium Coadjutoris generaliter ad administrationem constitutum est idem ac Coadjuti, nisi vel literis coadjutoriae limitatum sit illi expresse, vel a jure (a). Debet vero residere in loco beneficii, in

(a) Sic non potest alienare res immobiles Ecclesiae (*): conferre beneficia sine consensu Coadjuti (**): conficere negotia ardua (***). Ceterum potestas Coadjutoris dependet a voluntate

(1) *C.* 3. *eod. tit.*

(2) *C.* 1. *et* 5. *eod.*

(3) *Cit. sess. XXI. c.* 4. *et* 6. *de reform.*

(*) *C. unic. cit.*

(**) *C. ult. de offic. Vicar. in* 6.

(***) *C.* 81. *de R. J. in* 6.

quo assumptus est Coadjutor, atque rationem suae administrationis reddere Coadjuto, vel si ille non sit capax, capitulo, aut superiori, vel successori (1). Quando munere Praelati fungitur eadem praerogativa ei debetur in Ecclesia quae competit Coadjuto, ita tamen ut hic praeferatur semper suo Coadjutori. Relate ad extraneos distinguendum est inter functiones: in his enim aliquando spectatur qualitas personalis, ceu aetas ordinationis, aliquando ipsa dignitas.

CAPUT XII.

DE CAPPELLANO MAJORI.

CONCLUSIO PRIMA

Cappellani majoris natura, ejusque potestas aperitur.

Cappellanus major est totius aulae regiae unicus Episcopus; et quocumque in loco Rex versatur, ab eo Sacramenta petere solet, ait Petrus Galandio quem

dantis, vel assumentis Coadjutorem; totum enim id poterit, ad quod assumptus est. Hinc ut sciatur quid possit, inspici debent facultates in litteris Coadjutoriae expressae, vel si dubium est, considerari debet ex qua sit datus causa: nam si datus est ob utilitatem tantum Ecclesiae puta, quia unus per se solum non potuit omnia peragere, tunc solum potest illa quae Coadjutus concedit, si autem datus est propter impedimentum Coadjuti, potestas dependet a constitutione Pontificis, qualitate impedimenti, et voluntate Coadjuti.

(1) *Cit. cap. un.*

laudat (1) Bened. XIV. (a). Habet suum territorium separatum, habet et subditos in quos suam exercet ordinariam jurisdictionem, quamvis extra territorium puta, Capellanos militum et arcium licet non clausarum, triremium et navium, aliosque omnes ecclesiasticos, qui Regi extra palatium et aulam ubicumque commoranti inserviunt; nam Ordinarius probe dicitur, qui vel jure suo, vel Principis beneficio jurisdictionem exercet universam sive in adsignato territorio, sive in quoddam personarum genus (2).

De hac jurisdictione quae diversa fuit pro diversis temporibus (b) in hoc Regno Bened. XIV. votis

(a) Capellanus Major primum dictus fuit Praelatus cleri palatini, seculo abhinc XIII. a Bonifacio VIII. et ita deinceps etiam a Regibus ipsis, quem Cartophylax a Graecis dicebatur et Protopapa, idest primus Presbyter. In Gallia, Abbas palatini Oratorii. Inde Capellanus, Archicapellanus, et Palatii Custos. Posteriori aevo Protocapellanus, et Magister Regalis Capellae.

Hoc in Regno Longobardi Principes Abbatem, et clerum palatinum IX seculo habuere. Inde Oratorii clerique palatini exemptiones, et praerogativae videntur ante Innocentium III. usu invaluisse. Nortmanni Principes S. Petri capellam Longobardorum Salerni Principum coluerunt, praebendisque ditarunt. Dein ejusdem Capellae regius patronatus ex donatione Ferdinandi catholici, et Caroli V. ad Pignatellios Montiscalvi duces Mormilium successores pertransiit. Svevi, Andegavenses, Aragonii Reges Magistrum Capellanum Aulicae Capellae et Clero suo praetulerunt. In Castro novo Neapolitano Reges Andegavenses, in Palatio Austriaci, tum in altis arcibus, et castris Regia Oratoria cum Regiis Capellanis fundarunt.

(b) Omnes Regiis Capellis et Oratoriis inservientes clericos Praelatus Aulicus, seu Regius Capellanus major sibi subjectos habuit ex vetustis privilegiis. Xystus IV. et successores Ponti-

(1) *In Epist. ad Cardinalem delle Lanze tom.* 2. *Bull. constit.* 36.

(2) *Vide Fagnanum in c. post cessionem* 7. *de probat. numer.* 12.

annuens Regis Caroli III. pro concordia inter Episcopos hujus Regni et Capellanum majorem retinenda, Constitutionem edidit ann. 1741. *Convenit.* Idem Pontifex literis motu proprio datis quarto idus novembris ejusdem anni alias addidit ampliores facultates eidem Cappellano majori; qui ad occupationem hujus Regni militarem usque, jam longe lateque fines auctoritatis suae profertas habebat (a). Exinde magnus eleemosynarius dictus exercuit jurisdictionem suam in Capellas palatinas, atque in clericos his inservientes exemptos ab illa suorum Ordinariorum.

In Regni restauratione felici reditu Ferdinandi I. Regis, pactis conventis inter eundem et Pium VII. ann. 1818. art. XXVI. sic cautum fuit « Curia Cappellani majoris, ejusque jurisdictio iis continebitur » limitibus, qui in Constitutione fel. rec. Benedi-

---

fices plenam in Regios Capellanos quasi episcopalem jurisdictionem Capellano majori speciatim mandarunt. Post Caroli V. obitum expirasse indultam a Leone X. jurisdictionem Capellano majori dubitabant. Clemens VIII. eam quamdiu Philippus II. regesque successores moram heic traherent, concessit. Proreges inde a S. Congreg. Episc. et Reg. senis mensibus, obtinuere literas Capellano majori consueta jura prorogantes, post decennium intermissas, et neglectas omnino. S. Congr. Concilii ann. 1733. Archiepiscopo Thessalonicensi Capellano majori nunciavit quaerelas in eum de abusu facultatum Capellani majoris delatas. Is autem reposuit consuetudinem immemorabilem, et intempestivas nulloque jure praeterea suffultas quaerelas.

(a) Regiae Universitatis erat Praefectus, et in scholares et quoslibet intra studiorum scholarumque illius septa delinquentes animadvertebat, cum voto sui consultoris laici. Previo Regis jussu ternos idoneos viros consuevit proponere, quoties de promovendis Episcopis agebatur ad Ecclesias cathedrales regiae nominationis, vel praesentandis ad vacantia beneficia regii patronatus, vel conferendis illis regiae collationis, et ex illis unum Rex deligere solitus erat. Curia ejusdem quasi Tribunal erat in causis aliquibus etc.

» cti XIV. cujus initium *convenit*, et sequenti ejus-
» dem Pontificis *Motu proprio* super eadem re prae-
» scribuntur » (a).

Sensum ejusdem constit. *Convenit* collegit sicque redegit Gagliardi (1) « Regiae Capellae palatii Neapolitani » omnia Ecclesiae publicae jura praeterquam Asyli » indulsit, et capellis castrorum omnibus totius Regni » Sacra Olea, regiisque triremibus, et navibus Extremae unctionis oleum. 2.° Ordinariam Capellano majori jurisdictionem (exceptis tantum causis haeresis, ceterisque Summo Pontifici speciatim » reservatis) super omnes capellanos, clericos, et » scholares, quos Rex ipse ejusque successores in » perpetuum, vel Proreges, vel Capellanus major » delegerit pro servitio tam capellae aulicae, quam » hospitalium, militum, et classicorum, castrorum » seu arcium, exercituum, triremium, et navium, » eo pacto ut omnes capellani, clerici, et scholares » quum Regalis Capellae, tum castrorum urbis Neapolitanae, ejusque adiacentium, connumeratis etiam » honorariis, centum numerum non excedant: nisi » quis alius speciali Regis dumtaxat rescripto addatur; in singulis autem totius Regni castris, et arcibus duos, vel ad summum tres, in exercitibus vero, triremibus, aliisque lignis maritimis re-

(a) Quoniam pro Regnis diversis diversa Apostolica Brevia edita sunt caute perpendendum num fuerint alicui Regi personaliter concessa; vel limitata pro aliquo Regno; nequeunt enim extendi puta, si in Brevi facta sit mentio de militibus in praesidio, non extenditur ad milites in bello et e contra; nam in hujusmodi materia stricta est interpetratio facienda; et revera ita Sacr. Congreg. Episcop. pluries pro diversis causis declaravit. Vide Lucium Ferrarium verbo *Capellanus Militum*.

(1) *Inst. lib.* 1. *Tit. XXIII.* §. *XIX.*

» gi actu inservientibus, itemque in hospitalibus
» militum, et classiariorum, eos tantum qui et actu
» inserviunt et ab Rege stipendia percipiunt. 3.° Ut
» Capellanus ipse major, si quando Episcopus non
» erit, mitram, baculum, aliaque pontificalia insi-
» gnia adhibere, populumque benedicere cum indul-
» gentia possit cum nonnullis limitationibus. 4.° Di-
» vina quoque officia, et sacrificia vel privatim, vel
» solemniter cum regiis Capellanis, et Clericis co-
» ram Rege, Reginaque, aut Prorege celebrare in
» quibuslibet Ecclesiis, et Evangelii concionatorem
» accersire. 5.° Scholares, Clericosque decem Capel-
» lae Regalis, et quatuor Ecclesiae Parochialis S.
» Sebastiani in Castronovo sitae ad primam tonsu-
» ram, omnesque ordines promovere, si Episcopus
» ipse sit; sin minus, vel si ordinationes habere no-
» lit, ad quemlibet Episcopum, qui titularis non
» sit, ordinandos dimittere: eosque ab excommu-
» nicatione ob violentas manus in alios clericos inie-
» ctas, et ab irregularitate ob Divina Sacrificia inde
» celebrata absolvere, ac dispensare. 6.° Curam anima-
» rum Regum, Regiorumque familiarium ubilibet re-
» giis impensis viventium, et omnium qui vel in Pala-
» tio Regis, et viridario, et armamentario, seu interiori
» portus loco, castrisve clausis Neapolitanae urbis, et
» locorum adiacentium commorantur, tamquam re-
» ctor, et proprius eorum Parochus, iisve per alios
» etiam Sacramenta Parochialia ministrare, matri-
» moniis per eosdem celebrandis solemniter interes-
» se; diei festi observationem ex urgenti causa re-
» laxare, et omnimodam in eos jurisdictionem or-
» dinariam perinde exercere, atque in suis dioecesi-
» bus Episcopi faciunt: exceptis tantum, is nisi erit
» Episcopus, episcopalis ordinis functionibus, quas in

» aulica tantum Capella, et Parochiali Ecclesia Castri
» novi, aut coram Rege, vel Prorege ubilibet, dum
» Capellanus maior sit episcopali dignitate auctus,
» eum obire posse cautum est. 7.° Solemnem regiis
» triremibus et navibus et vexillis benedictionem
» impertiri. 8.° Ut militares Capellani militibus in
» statione vel arce non clausa manentibus post osten-
» sas locorum Ordinariis vel Parochis patentes Ca-
» pellani majoris litteras possint parochialia munera
» obire, et Sacramenta conferre, quoties Parochi lo-
» corum ad id vocati adesse recusent: matrimonia
» vero militum coram ipsis locorum Parochis cum
» interventu eorundem Capellanorum celebrentur. Sed
» militibus tam Regiis propriis quàm auxiliaribus,
» dum in expeditione contra hostes sint, ubique lo-
» corum Capellani omnia parochialia Sacramenta mi-
» nistrent, eosque absolvant a quibuslibet reservatis
» criminibus haeresis quoque, et apostasiae, et ci-
» bos esurialibus diebus vetitos permittant, praeter-
» quam carnes in hebdomada sancta, cunctisque to-
» tius anni diebus veneris et sabbati. »

Inde *Motu proprio* posterioribus literis novembris ejusdem anni 1741. incipientibus *cum alias* addidit alias facultates; quas ab eodem Gagliardo exscribimus scilicet « commutandi, relaxandi, et dispen-
» sandi quod ad vota, juramenta, censuras et irre-
» gularitates; plenarias peccatorum indulgentias fe-
» stis diebus, et in articulo mortis largiendi; celebran-
» di missas bis etiam uno die in casu necessitatis, una
» et ante auroram, et post meridiem hora, in quovis
» loco etiam extra ecclesiam, et super ara sine reli-
» quiis, sub dio quoque, et sub terra; benedicendi
» paramenta, reconciliandi Ecclesias, et Oratoria quo-
» modolibet polluta. »

CAPUT XIII.

DE VICARIIS.

CONCLUSIO PRIMA

Vicarii generalis natura, et potestate distincta, ejus origo, et requisita cessatio declarantur.

Vicarius in genere dicitur qui vices alterius legitime gerit. Et quoniam jura indulgent cuique dignitate praedito Vicarium habere, plures horum species introductae repriuntur. Bonifacius IX. loquitur (1) de eo quem generalem dicimus quia ejus potestas in universam diocesim fertur; et Vicarius Episcopi dicitur, Vicarius *jurisdictionis* ejus quia in jurisdictione contentiosa et in spiritualibus administrandis vices ejus gerit (a). Hinc Vicarius generalis dicitur ille cui

---

(a) Variis vocabulis dictus est Vicarius generalis nimirum *missus* (*), *suffectus* (**), *substitutus* (***), *Ordinarius* (****), *officialis* (*****). Hoc vocabulum solet in Gallia praesertim aliisque Ultramontanis regionibus distingui a Vicario, et hic quae sunt voluntariae jurisdictionis complectitur, officialis quae sunt jurisdictionis contentiosae. Sed sub ipso institutionis Vicariorum tempore nullum fuit hoc discrimen. Utrumque enim mu-

(1) *Lib.* 6. *Decret.*

(*) *C. accepisti* 1. *de frigidis.*
(**) *Cap. fin. de suppl. negl. prael.*
(***) *Clement.* 1. *et* 2. *de haereticis.*
(****) *Gloss. in C. Rom. de appell. in* 6.
(*****) *Bonif. VIII. in c. Licet* 2. *de Offic. Vicar. in* 6.

generaliter commissa est administratio tum in spiritualibus, tum in temporalibus, vel saltem in spiritualibus (a). Dignitas Vicariorum generalium sub eodem Pontifice penes Archidiaconos erat, verum horum potestate circa medium seculi XIII. et postea imminuta, inde extincta, ad Vicarios ab Episcopis constitutos transit.

Igitur Episcopi suam qua contentiosam qua voluntariam mandare jurisdictionem consueverunt suo Vicario generali, qui vi officii sui, aut mandati

nus, sive in spiritualibus, sive in temporalibus administrandis, unus idemque administrabat; fortasse quod jurisdictio contentiosa a voluntaria nedum adcurate discernebatur (*). Quam eandem praxim Episcopi Italiae semper tenuere, idemque servatur stilus a Rom. Curia: nec Tridentinum ipsum Vicarium ab Officiali distinguere videtur (**). In Regno pleraeque forensium literarum inscriptiones praeferebant triplicem titulum locumtenentis, officialis, et Vicarii generalis: tametsi in hac Archiepiscopali Curia erat locumtenens duplex, alter ad civilia, ad criminalia judicanda alter praesidens seiunctim a Vicario generali. Nonnullique Episcoporum Auditorem causarum praeter Vicarium habebant cui eam conferebant jurisdictionem, quantam voluerint. Salvo semper Episcopis jure peritis et idoneis per se jus reddere, Vicario non deputato; nisi necessitas urgeat.

(a) Hinc nulla horum mentio in decretalibus. Atque id quidem facilius contigisse videtur, ex quo Innocentius III. in Concil. Lateranensi IV. ann. 1215. graviter Episcopos hortatus fuit (***) ut quoniam propter occupationes multiplices vel invaletudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias amplioribus praesertim dioecesibus regendis satis esse non solent, viros idoneos in *Coadjutores* et cooperatores (****), sibi adsumerent. Quare nihil magis probabile fuit, quam ut necessario huic instituto mox Antistites omnes obsecundarent.

(*) *Thomass. de V. et N. D. p.* 1. *lib.* 11. *c.* 8.
(**) *Sess. XXVI. c.* 16. *de reform.*
(***) *C. inter caetera* 13. *ex. de offi. ord.*
(****) *Cap. cit.*

generalis, per commissionem officii ipsius generaliter sibi factam (1) potest expedire omnia, quae potest Episcopus uti Episcopus praeter ea quae sunt ordinis aut ab ea dependent (a) iis etiam exceptis quae speciale mandatum requirunt; *cum in generali concessione nequaquam illa veniunt, quae non esset quis verosimiliter in specie concessurus* (2): nec potest quod Episcopo specialiter est concessum tamquam delegato Sedis Apostolicae, aut devolutum aliunde; aut quae ob rei gravitatem arbitrio viri prudentis reservantur ipsi Episcopo (b).

Generali proin mandato non compraehenduntur praesertim I.° causae criminales, quia recensentur inter causas majores, quae nunquam commissae dicuntur, nisi exprimatur (3); verum non ita si de delicto ageretur civiliter non criminaliter, vel non gravi, aut leviter puniendo; si non inquiret nisi ut reus se corrigat, aut scandala vitentur, aut ad Episcopum referat (4). II.° Causas vero matrimoniales ex communi DD. sententia cognoscit Vicarius. Imo ex Trid. colligi videtur (5); eo quod hanc potestatem adimit tantum

(a) Nam praeterquam quod haec nonnisi Episcopis possint mandari, licet Vicarius sit simul Episcopus, eximuntur ab ejus potestate. Reconciliare tamen potest etiam non Episcopus Ecclesias, et benedicere paramenta, quia non sunt ordinis episcopalis, cum mandato speciali.

(b) Quae Episcopo sine particula taxativa Synodus Trid. mandat, vel Ordinario loci, ab iis gerendis Vicarius minime excluditur (*).

(1) *C.* 2. *de offic. Archid. etc. in* 6.

(2) *C. fin. eod. in* 6.

(3) *C. licet de off. Vic.*

(4) *Trid. Sess. XXIV. c.* 20. *de reform.*

(5) *Cit. loc.*

(*) *Genuen. in praxi Car. Arch. c.* 1.

Episcopo inferioribus, proinde nunquam Vicario, qui facit unum et idem tribunal cum Episcopo, ejusque repraesentat personam. Etsi spectanda in hac re sit cujusque loci et dioecesis consuetudo, uti aliqui inter DD. volunt. III.° Causae arduae item non comprehenduntur scilicet, dioecesim visitare, congregare Synodum (1), alienare res ecclesiarum, onerare pensionibus, collectis, vel subsidio caritativo clericos aut beneficia, dare coadjutorem Parocho, Vicarium perpetuum constituere in Parochia (2), procedere contra Canonicos etiamsi exemptos, interesse electioni Praelatorum, convocare capitulum Canonicorum, in eo interesse, aut ferre suffragium (3) etc. IV.° Causae beneficiales, uti conferre vel auferre beneficia (4) unire, et ea dividere, assensum impertiri erigendis, recipere resignationes, dare consensum in reservationem juris patronatus (a): non ita tamen instituere praesentatos (5). IV.° Actus jurisdictionis et gratiae liberalis nimirum, absolvere in casibus Episcopo reservatis, aut absolvendi ab iis facultatem largiri; vel Papae, a quibus tamen Episcopus ut delegatus ejus absolvit, ita tamen ut hanc facultatem etiam Vicariis quoad omnia subdelegare possit, excepta absolutione a crimine haeresis (6): verum approbare confessarios ex sententia communi DD. con-

(a) Vide quae diximus pag. 143. de Vicario generali concl. VI. de ordinariis collatoribus beneficiorum. Cap. VII. part. 1.

(1) *Vide Barbosam de offic. Episc. alleg.* 53. *n.°* 73. *et alleg.* 54. *n.°* 151.

(2) *Vide Barbosa de offic. Episc. cit. loc.*

(3) *Tr. Sess. XXV. de refor. c. VI.*

(4) *C. cum in generali* 3. *de offic. Vicar. in* 6.

(5) *C. ex frequentibus III. ext. de institut. Fagnanus n.* 4. *et seq.*

(6) *Tr. Sess. XXIV. c.* 6. *de refor.*

tra Sotum (1) vi generalis mandati potest; facultas enim est, quae Ordinario conceditur, sub cujus nomine etiam Vicarius venit. Alieno potest permittere Episcopo, ut pontificalia exerceat, concedere indulgentias, dare dimissorias si Episcopus agat in remotis (a), item dispensare in votis, juramentis, impedimentis canonicis, statutis, legibus dioecesanis, observationibus festorum, in irregularitate, si in his casibus necessitas sit dispensandi, vel consuetudo, aut lex, uti etiam in denunciationibus faciendis ante matrimonium: quidquid dicant alii, potest demum commutare vota etc. V.° Non participat facultatibus quas a S. Sede recipit Episcopus, nisi id exprimat indultum. VI.° Nec Provicarium substituere generalem potest etsi unam vel alteram causam ad breve tempus possit alteri totam delegare ex justa causa (b). VII.° Metropolitani Vicarius demum non potest praesente Archiepiscopo Suffraganeos suspendere interdicere, excommunicare ob gradus reverentiam: secus si ultra duorum dierum iter absit Archiepiscopus (2): tametsi comminare praesente etiam Archiepiscopo censuras potest, non infligere (3).

(a) Quandonam in remotis agens dicendus est Episcopus, controvertitur. Alii absentes Episcopos dicunt qui non sunt in eadem provincia. Ad duas dietas alii extra dioecesim absentiam faciunt. Glossa in c. quum nullus 3. de temp. ord. in 6. arbitrio Judicis remittit quod Benedicto XIV. placere videtur; nam a magna etiam difficultate, quam ordinandi ad conveniendum Episcopum ferre deberent, hujus absentiam putant metiendam.

(b) Lege Fagnanum in cap. quoniam n.° 19 et seqq. de officio Delegati: ibi casus reperies plurimos a potestate Vicarii sine speciali mandato exceptos.

(1) *In* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *et* 14.

(2) *In c. Romana* 1. *de offic. ord. in* 6.

(3) *Card. Petra t.* 1. *ad const. Leonis IX. n.°* 79.

In dubio tamen an indigeat mandato speciali, debet in negotiis arduis ad Episcopum recurrere si sit praesens. Quod si dubitatur an mandatum habeat speciale istis de rebus exceptis, antequam eae ab ipso gerantur, ostendat oportet (1): post eas gestas datum praesumitur in dubio, nisi pars defecisse illud mostraverit. Item colligi par est quod Vicariatus etsi non beneficium sit, sed munus sive officium, huic tamen adnexam esse dignitatem, quae uti ex dictis non est nisi honor cum jurisdictione, aut administratione aliqua: unde ipsis Vicariis Apostolicae delegationes committuntur ex Concilii Viennensis decreto (2) (a).

Num vero Vicarii jurisdictio ordinaria sit dicenda vel delegata, non una est omnium sententia. Qui negant his gravantur momentis, nimirum jurisdictionem Vicarii non esse ex mera commissione uti delegatii, sed uti dictum fuit vi officii, quod est ipsius Episcopi, atque ipsum repraesentat, ac personam ejus: censetur inde juxta communem interpetrationem eadem et una jurisdictio utriusque, unum tribunal, auditorium unum (3), ita ut non datur appellatio proprie dicta a Vicario ad Episcopum, cum illa non ad aequalem deferatur, sed ab inferiori ad superiorem (b).

(a) Honorificae sunt etiam Vicariorum praerogativae; nam primum in omni consessu Ecclesiastico semper teneant locum, utpote Episcopum repraesentantes, praecedentque quamcumque dignitatem ecclesiasticam. Uno excepto casu quo Vicarius cum sit Canonicus choro vel Capitulo interest.

(b) Intellige de judiciaria appellatione, nam sicut potest Episcopus extra judiciales actus proprios pro libitu emendare, ita reformare actus Vicariorum.

(1) *Gordian. in* l. *non ignorat* 9. *C. de his qui accus. non possunt.*

(2) *Clem.* 2. *de rescript.*

(3) *C. Romana et c.* 2. *de consuet. in* 6.

II.° Non prohibetur Episcopus, quominus ampliorem illi, aut contractiorem jurisdictionem concedat; et nullum, vel unum, aut si ampla est dioecesis, duos etiam sibi constituere Vicarios. III.° Ad lubitum potest Episcopi removeri ab officio, proindeque voluntarius est non ordinarius. IV.° Si ab hostibus forsan sit captus Episcopus, Vicarii jurisdictio expirat, sicut et morte naturali, illo namque statu uti civiliter mortuus habetur Episcopus. Extinguitur etiam potestas Vicarii, extincta quolibet alio casu potestate principali, unde temporalis oritur non ordinaria secundum aliquos DD. His addunt. V.° Non posse dari ab Episcopo ordinariam jurisdictionem (1); nec dominium vel possessio ejusdem rei esse potest apud duos in solidum (2). Qui e contra affirmant, non solum auctoritate moventur plurium DD. quos plena manu congerit Barbosa (3), sed et argumenta quae idem explicat nos summatim hic perstringimus scilicet. Juri dicundo qui praesunt ratione officii, tituli, magistratus, dignitatis, cujus jura et praerogativae a lege communi agnoscuntur, jurisdictione censentur ordinaria praeditis (4) sive a lege eam concedi dicamus, sive ab ipso Episcopo ex consensu et permissu legis eadem communicari dicatur; et revera etiam ipsae leges Romanae permittebant proconsuli deputare legatum. Quod talis sit jurisdictio Vicariorum patet ex toto titulo *de officio Vicarii* ergo etc. II.° Jurisdictio Vicarii gene-

(1) *Gloss. in cap. 2. in V. statu contur. ne Praelati cujus duas etc.*

(2) *C. si ut certo §. si duobus ff. commodari.*

(3) *De potestate Episc. part. III. alleg. 34. n.° 26. et ad tit. de offic. Vicar. in 6.*

(4) *L. 5. ff. de jurisd. et l. more ibique Glossa in v. suo jure et l. quia ff. de jurisd. omnium.*

ralis est eadem cum jurisdictione Episcopi, et ideo negatur appellatio a Vicario generali ad Episcopum (1), sed hujus jurisdictio est Ordinaria, ergo et Vicarii. Nec ideo penes duos dicenda esset jurisdictio, ut inde colligere fas erit non ordinariam illam Vicarii; quia ejusdem rei possessio et dominium penes duos esse non potest uti notant adversarii (2); nam penes Episcopum et Vicarium reperitur, sed diverso modo: principaliter nimirum penes Episcopum, accessorie et dependenter penes Vicarium: sicut fundus idem possideri potest ab uno naturaliter, ab altero civiliter.

Quae autem sibi contraria videntur momenta DD. praecipue Soti et Goffredi in diversum abeuntium sic explodunt nimirum: opus non esse ut perpetua sit jurisdictio quae ordinaria dicitur, aliter nec illa Legati Pontificis esset ordinaria, quae nec perpetua est: et si daretur quod perpetua deberet esse, hoc pro iis tantum certum esset, quibus principaliter, non accessorie competit. Demum nec Vicario generali denegandam ordinariam jurisdictionem ajunt quia Episcopus ei illam conferret dum non possit; non enim jurisdictio Vicario competit ex concessione Episcopi, qui illum nominat, sed ratione officii et legis: sicut etiam nec officit ei, quod vices gerat Episcopi; nam legatus Papae vices gerit ejus, et jurisdictionem ordinariam habet. Imo nec simplex legatus qui ex simplici commissione est talis, dici potest Vicarius. Sunt denique alii qui mediam inter utrosque tenent viam, et Vicariorum potestatem stricto dicendi modo volunt delegatam, rationibus gravati illorum qui stant pro delegata; aliquo vero sensu dici posse ordinariam

(1) *C.* 2. *de consuetud. in* 6. *c.* 3. *de appellat. in* 6.
(2) *L.* 3. §. 5. *ff. de acquir. poss. l.* 5. §. 15. *ff. comm.*

simul affirmant ex argumentis expositis eorum qui talem eam propugnant.

Vicarii potestas non solum cessat per mortem, renuntiationem, depositionem, aut translationem Episcopi cujus est Vicarius, etiam quoad causas coeptas (1), sed et per propriam renuntiationem expressam vel tacitam. Praeterea per revocationem ab ipso constituente factam: debet tamen ipsa revocatio legitime denuntiari Vicario. Demum num suspenditur ejus jurisdictio toto tempore quo Episcopus est excommunicatus, suspensus, etc. quaestio inter DD. attamen habitualiter illam retinere, exercere non posse ajunt aliqui, jurisdictione interea devoluta ad capitulum.

Restat ut de his dicatur qui eligi in Vicarios possunt. Vicarius generalis clericus I.° sit oportet (2), quem ex concilio Detursano in Hispania ann. 1419 in sacris constitutum usu esse scimus; alibi charactere sacerdotali necessario praeditum elegerunt, ne clericus inferior judex existeret sacerdotum. Hodie prima tantum tonsura opus habet, ne laicus in Ecclesia judicet. Convenit autem ut sit secularis, nisi gravis esset causa, ut ex regularibus clericis eligeretur. Ast ex his mendicantes removentur omnino (3); sicut ex illis Parochi et poenitentiarius, ob id etiam nimirum, quia processus judiciales non bene concordant cum foro interno (4). Ceterum non repugnat quod Vicarius simplici canonicatu in eadem Ecclesia potitur. II.° Annum agens vigintiquinque saltem ingressum (5).

(1) *In* 4. *dist.* 18. *q.* 4. *et* 14.
(2) *Ex can.* 22. *c.* 16. *q.* 7.
(3) *Clem.* 1. §. *ad Prioratus de regularib.*
(4) *Concil. Mediol. V.* 1579. *apud Thomass. de V. et N. D. E.* 1. *lib.* 1. *c.* 7.
(5) *Trid. sess.* 24. *c.* 12. *de reform.*

III.° In Theologia vel Jure canonico doctor, aut licentiatus, vel saltem alias rerum et jurium peritus (1).
IV.° Qui natales in eadem urbe episcopali, aut dioecesi non sit sortitus, vel consanguineitate cum Episcopo non conjugatur, ut scilicet omnino gratiae aut odii vacet suspicione (2) dummodo aliter, vel utilitas, vel necessitas Ecclesiae non requirat.

CONCLUSIO SECUNDA

Vicarii capitularis origo natura et facultas distinguitur.

Sede vacante (a) primaevum jus reviviscit et splendet continuo cujusque capituli, quo succedit per sese Episcopo, non alieno mandato, aut delegatione (b); universi enim cleri erat officium, ut non

---

(a) Sedes referri potest ad Ecclesias cathedrales, collegiatas, et regulares. Vacat autem *vere*, vel *ficte* seu interpretative prout Praelatus mortuus est, vel exauctoratus, vel excommunicatus etc. Vacare proinde sedem significat viduari Praelato et carere proprio defensore (*). Cessat autem *ficta* vacatio cessante impedimento Praelati, aut quando per apostolicam sedem quidpiam pro ea ordinatum fuerit. *Vera* cessat per confirmationem novi Praelati, et in illis Ecclesiis, quarum provisio fit in curia apostolica: quoad administrationem capituli tunc cessat, quando confirmatus literas apostolicas capitulo in originali exhibuerit (**).

(b) Datur rubrica decretalium: *Ne sede vacante aliquid innovetur*, haec tamen aliis conciliatur regulis (***) et praesertim Trident. (****) quibus dum jurisdictio et administratio re-

(1) *Cit. sess. c.* 16.
(2) *Ex Mediolanensi cit. apud Thomass.*

(*) *Cap. fin. Ne sede vacante etc.*
(**) *Extrav.* 1. *de elect. inter comm.*
(***) *Cit. sess.*
(****) *Sacr. Cong. apud Bened. XIV. cit. loc.*

solum consiliis et opera suum coadjuvaret Episcopum juxta juris axioma : *nihil agat Episcopus inconsulto presbyterio;* sed viduatam etiam regeret Ecclesiam. Oevo recentiori ad capitulum cathedrale jure devolvitur episcopalis jurisdictio atque Ecclesiae administratio: et quidem « non ex aliquo privilegio il» lius est, ait Cardinalis de Luca, aut delegatione, sed » ex ratione juris non decrescendi; quia Ecclesia cathe» dralis efformatur conjunctim ab Episcopo et capi» tulo. » Quod ut melius vacans Ecclesia administretur (nam segnius administrant commissa negotia plures. Trid. sic statuit (1) « Capitulum sede vacante... officia» lem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episco» pi constituere, vel existentem confirmare omnino te» neatur (a) qui saltem in Jure canonico sit doctor, » vel licentiatus vel alias, quantum fieri potuit ido-

rum, et jurium sede vacante ad capitulum devolvitur, exceptio tamen ex illis deducitur, ut quantum nimirum necesse sit exerceatur, equidem administratio ab alienis quodammodo fit, quia Ecclesia suo caret defensore. Hinc intelligitur statum ejus, nec mutare, nec detrimentum incurrere. Verbo: ut possit aliquid capitulum ; aliquid non possit. Capitulum vero ipso jure decretalium per sese plerumque, per Vicarium raro, atque ad libitum administrare consuevit viduatam Ecclesiam ad Tridentinum usque.

(a) Spatium octo dierum non *praecise* a tempore mortis Episcopi sed a die notitiae mortis ejusdem computandum, quod continget ubi extra locum residentiae decesserit ille. Verum re integra, canonicis eligere negligentibus, hoc temporis spatio potest mora purgari, et rata haberi electio, quam iidem ipsi postea concluserint. Ast si qua de causa Ecclesiae alicui Vicarius apostolicus datus fuerit; tum e vivis sublato Episcopo, non Vicarius capitularis eligatur, sed observantiae causa erga S. Sedem ad electionem usque futuri Episcopi, munere porro illo fungatur idem Vicarius apostolicus.

(1) *Sess. XXIV. c. 16. de reform.*

» neus : si secus factum fuerit, ad metropolitanum » deputatio hujusmodi devolvatur. Et si Ecclesia ipsa » metropolitana fuerit aut exempta, capitulumque ut » praefertur, negligens fuerit ; tunc antiquior Epi- » scopus ex suffraganeis, in metropolitana, et pro- » pinquior Episcopus in exempta Oeconomum et Vi- » carium possit constituere (a). » Hic vero electus omni vacantis Ecclesiae tempore, et sine ulla limitatione vindicet administrationem ipsius, et quae revocari non possit ab eo nisi ex causa a S. Congregatione adprobanda (1) (b).

Quamvis autem Vicarius capitularis Episcopo succedat ita ut administret et exerceat quae ad ordinariam ejus potestatem et officium pertinent (c) multa

---

(a) Tridentini Patres statuerunt unum aut duos oeconomos capitulum pro cura rerum temporalium Ecclesiae etiam constituere, qui mensam procurent episcopalem. Sed Vicarius et oeconomus regiminis et procurationis suae Episcopo poscenti rationem reddent.

Adhaec si vacans Ecclesia capitulo careret, idem tenendum quod ex Trid. dictum est de negligente capitulo in eligendo Vicario capitulari.

(b) Non vetantur canonici postremum Episcopi defuncti Vicarium eligere, vel ubi doctores in capitulo desunt, extraneum constituere, nisi aliquem de gremio quoad fieri potest, idoneum eligere maluerint.

(c) Decretales Pontificum sumunt et declarant per se, nomine *ordinarii* venire aeque capitulum Ecclesiae vacantis ac ipsum Episcopum sede plena (*). Item (**) capitulum sede vacante in spiritualibus et temporalibus administrare dicitur. Potest inde functiones pontificales alteri demandare (***).

(1) *Bened. XIV. de Syn. Dioec. lib. II. c.* 9. *Tum Fagn. in cap. his quae XI. extra de majoris obed.*

(*) *Sess. XXIV. c. cit.*

(**) *Extravag. un. Joann. XXII. de praeb.*

(***) *C. Si Episcopus* 3. *et c. Ecclesiae cathedr.* 4. *de suppl. negl. praeb. in* 6.

(****) *C. quam nullus* 3. *de temp. ord. in* 6.

tamen sunt quae per illum agi interea non possunt
1.° Ea quae Episcopo specialiter sunt reservata nisi tamen commune ipsum esset Episcopo et capitulo: ut beneficia conferre ad solius Episcopi collationem spectantia (1) (a); licet praesentationes admittere et instituere non vetetur (2). Nec dare potest dimissorias intra annum a die vacationis sub poena interdicti, si subditi dioecesani non sint arctati ratione beneficii recepti, vel recipiendi, ex Concil. Trident (3) (b). Specialiter etiam reservata censentur Episcopo, quae sunt jurisdictionis voluntariae, ut indulgentiarum concessio: quippe vacantis Ecclesiae Vicarius est necessarius, non voluntarius administra-

---

(a) Beneficia quorum collatio ad capitulum una cum Episcopo pertinet ob *adcrescendi*, ut ajunt, vel non *decrescendi* jus recte illud confert ubi in mensibus Ordinarii vacaverit Cap. un. ne *Sede vacante* in 6. Adhaec in parochiali vacante Vicarium cum congrua fructuum portione adsignare, donec de Rectore, aut Parocho providentur; immo per publicum edictum *concursum* instituere, atque ad praescriptum Trid. magis idoneum eligere, litterasque *testimoniales* peracti concursus ad Rom. Curiam pro collatione parochialis Ecclesiae transmittere (*).

(b) In regno Neap. et ex concord. 1741 (**) Vicarius capitularis non dimittit ad ordines nisi ex consensu capituli secretis suffragiis expresso, et laicos clericali tonsura initiandos, qui beneficio, vel capellania arctentur, et clericos ad beneficium, quod actu certum ordinem requirat, praesentatos, dummodo eosdem Episcopus defunctus ab ordinibus non rejecerit. Alios demum non arctatos neque post annum ad ordines dimittit, nisi expressa Sacrae Congreg. Concilii venia nominatim impetrata.

(1) *C. Si ad Episcop. unic. ne Sede vac. etc. in VI.*

(2) *Fagnan. in c. his quae XI. extr. de major. et obed.*

(3) *Sess. VII. c.* 10. *et sess. XXII. c.* 10. *de ref.*

(*) *Sacr. Congreg. apud Fagnan. in c. illa II. Extr. ne Sed. Vac. n.* 17.

(**) *C. N. n.* 9.

tor (1). Statuta demum condere quae etiam statum Ecclesiae vel dioeceseos mutent, aut futuro Praelato praejudicium inferant (2). II.° Ea, per quae status alienare (3), bona mensae episcopalis ad illam capituli transferre, aut litem super Ecclesiae bonis inchoare, aut inchoatam prosequi (4). Equidem Ecclesia vacans pupillo comparatur (a). Sicut et jura Episcopi in judicium deducere, etiam defensionis caussa (5). III.° Quae Episcopo jure tantum extraordinario nimirum jurisdictione in exemptos etc.; aut ratione dignitatis pontificalis competunt; aut quae characterem requirunt episcopalem scilicet ordinum collatio etc. licet haec vicinioribus Episcopis possit demandare; aut in usu privilegiorum quae ob pontificalem dignitatem illi concessa sunt, puta, usus altaris portatilis, celebratio divinorum tempore interdicti, libera electio confessarii etc. (b).

(a) Ipsa rubrica, *Ne sede vacante aliquid innovetur*, est generalis, vimque canonis habet quamlibet mutationem status prioris et quodvis praelati praejudicium prohibentis. Excipe tamen quae servanda servari non possunt, dummodo eorum pretium conservetur (*) aut si, diu vacante Ecclesia, grave immineat periculum, eo quod alienatio protrahatur (**).

(b) Hoc in regno, exactio jurium curiae relicta reperitur dispositioni Vicarii capitularis sive ad ipsam curiam sartam tectam servandam, sive ad usus quos religio, pietas, caritas ei suggeret. Vide actus pro executione concordati ultimi part. II. pag. 147.

(1) *Glossa in Clement. multorum c. I. de haeret. verb. Capituli.*

(2) *Idem cit. c. his in* 59.

(3) *C.* 1. *Ne sede etc.*

(4) *Cit. loc.*

(5) *Fagnan. in cit. cap. Novit.*

(*) *Fagnan. in C. novit. l. extr. ne sed. vac. n.* 32.

(**) *C. episcopali unic. de major. et obed. in* 6.

CONCLUSIO TERTIA

De foraneis; in divinis seu Parochis natis; et apostolicis Vicariis pauca traduntur.

Vicarius foraneus (a) dicitur ille, qui in certa parte dioecesis, vel in oppidis per Episcopum constituitur, ut ibi jurisdictionem quandam exerceat (1). Est ergo horum potestas mandata atque loco circumscripta, ac plerumque ad causas pertinet peculiares. Propter locorum vero distantiam tribunal habent ab Episcopo discretum; ideoque ab iis ad Episcopum recte provocatur. Episcopus tenetur in dioecesi Vicarios foraneos constituere (2). Ast hi nullam habent praecedentiam in choro in processionibus, et aliis actibus supra Parochos et Presbyteros ipsis antiquiores; quamvis tamen eis obediant oportet omnes curati, et alii clerici, cujuscumque sint dignitatis, alias per Episco-

---

Ast ex iisdem part. III, pag. 71. Vicariis capitularibus majorum dioecesium stipendium datur ducatorum regni viginti; aliis quindecim ab administratione solvendum dioecesana. Majores dioeceses indicatae sunt, Neapolitana, Capuana, Aversana, Casertana, Nolana, Abellinensis, Nucerina Paganorum, Sipontina seu Manfredoniensis, Trojana, Barensis, Tranensis, Lyciensis, Tarentina, Salernitana, Caputaquensis, Cosentinensis, Miletensis, Rheginensis, Melphiensis, Teatina, Aquilana.

(a) Foraneus quia foris extra locum in quo sedes episcopalis reperitur, Episcopi vices agit juxta traditam sibi potestatem. Ejus memorat Innocentius IV. in concil. Lugdunensi (*) et Clemens V. in Viennensi (**).

(1) *Cap. Romana* 1. *de offic. ordin. in* 6.

(2) *Sacra Congreg. Episcop. in Trojana* 27. *martii* 1598. *et* 10. *martii* 1667.

(*) *C.* 1. *de offic. ordin. in* 6.

(**) *Clem.* 2. *de rescript.*

pum puniri possunt (a). Antiquissimi demum sunt; nam origo ipsorum bene ad Chorepiscopos refertur, et eo munere fungebantur etiam Archipresbyteri et Decani rurales. De Archidiaconis autem concil. Londinense ann. 1237 decrevit ut « in suorum decanatuum conventibus sacerdotes maxime in his studeant erudire, docentes eos, qualiter circa baptismum, poenitentiam, eucharistiam et matrimonium debeant se habere. » Vide Thomassinum part. 1. lib. 2. cap. 7. n. 1. (1). Verum translata Archidiaconi potestate ad Vicarium generalem, instituti videntur Vicarii foranei.

Vicarius in divinis sive parochialis est, qui in iis quae ad forum internum seu conscientiae pertinent, vices alterius supplet. Subdividitur iterum in perpetuum qui scilicet a sua vicaria extra casus a jure expressos non potest amoveri; et temporalem qui ad tempus constituitur, et ad nutum amovibilis. Vicarii perpetui nominatio aut praesentatio in Ecclesiis parochialibus, praelaturae aut beneficio electivo unitis regulariter ad rectorem pertinet principalem; nec opus est consensu patroni, nisi hoc sibi specialiter reservavit, unione enim facta saltem ejus consensu, vel ratihabitione, censetur amisisse jus praesentandi. Institutio autem pertinet ad Episcopum qui prius praesentatum examinare debet, an sit idoneus, etsi talis Ecclesia unita sit monasterio exempto. Vicarius hic habet verum beneficium proprie dictum (3) ita ut pro

(a) Legi potest concil. Mediolanens. 1. part. 2. tit. de Vicariis foraneis ubi multa quae hos spectant est reperire.
(1) *Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib.* 3. *c.* 3. *n.* 5.
(2) *Can.* 2. *tom.* 16. *col.* 1401. *collect. Labbaei.*
(3) *C.* 27. *de rescript.*

libitu et absque causa in jure expressa amoveri nequeat (1) quia est intitulatus, seu titulum in beneficio, et jus habet.

Vicarius perpetuus ordinarie constitui solet in beneficiis parochialibus aut si hujusmodi parochia uniatur collegio, monasterio, locis piis ita ut rector principalis curam ipsemet exercere non possit, vel non deceat ut exerceat per se; aut quando parochia reditibus abundans habet valde numerosum et distantem populum; tunc enim erigitur filialis, ut vocant, sed principali, seu matrici subjecta ita, ut in ipsa Vicarius a rectore principali, qui appellatur Parochus principalis et in habitu tantum cum Episcopi approbatione ponendus sit. Ast se immiscere non potest in cura animarum vivente, et invito Vicario (a); ut adeo, quidquid statutum reperitur in jure de Parocho, etiam de perpetuo Vicario intelligatur (2).

Vicarius temporalis seu amovibilis est ille qui auctoritate legitimi superioris pro peragendo ecclesiastico servitio in locum alterius ad tempus, seu voluntatem constituentis sufficitur. Qui etsi beneficiatus proprie non sit, habet tamen jurisdictionem Ordinariam Parochi, licet subordinatam, et in hoc distinguitur a cooperatore. Caussae ob quas constitui potest sunt 1.° quando beneficium curatum vacat per obitum curati, vel renuntiationem, aut privationem, donec de novo provideatur Parocho, 2.° quando le-

(a) Pertinet tamen ad rectorem principalem exercitium juris parochialis quoad forum contentiosum puta, in defendenda Ecclesia, vindicatione etc. teneturque ad reparationem fabricae, saltem si majorem fructuum partem percipit.

(1) *C. 3. de off. Vicar.*

(2) *Clem. un. de offic. Vicar.*

gitimus Parochus per se ipsum administrare non potest puta, ob defectum legitimae aetatis, infirmitatis vel ob negotia, aut justam absentiam ex. gr. studiorum causa, 3.° si principalis rector ex dispensatione duo beneficia curata obtinet, 4.° quando Parochus religionem ingressus versatur in novitiatu, 5.° si incrementum ecclesiae ex substitutione Vicarii speretur.

Verum constituitur ex praedictis causis 1.° ab Episcopo ob curam generalem quam habet in sua dioecesi, 2.° in casu vacaturae respectu vicariae perpetuae potest Vicarium temporalem constituere rector priincipalis, ita tamen ut illum approbet, et examinet Episcopus, 3.° justa causa ad duas vel tres hebdomadas sibi Sacerdotem, ab Episcopo tamen approbatum constituere potest Parochus cum consensu autem Ordinarii ad duos, vel tres menses; quod ipsum potest Vicarius perpetuus. E contra Vicarius temporalis non potest sibi substituere Vicarium auctoritate propria, ita ut ei committat totam curam, sed tamen potest assumere cooperatorem, eique unam, alteramve partem jurisdictionis committere, si solus non sufficiat (1).

Insuper Parochi quia in foro conscientiae jurisdictionem habent ordinariam cooperatores adsciscere, iisdemque jurisdictionem in eodem foro ad universitatem causarum delegare possunt, si ab Episcopo approbati sint, etiam ad absolvendum ab excommunicatione non reservata. Ex quo simul patet, quod jurisdictio cooperatoris sit delegata, et per consequens cooperator non potest alteri subdelegare potestatem, assistendi matrimonio, vel alios actus jurisdictionis

(1) *C.* 4. *de offic. Vicar.*

parochialis exercendi; et nec in casu quidem particulari.

Congrua assignanda est Vicario temporali, et taxanda arbitrio Episcopi ex fructibus parochiae ex concil. Trid. (1) quam Garcias (2), Barbosa (3) aliique docent juxta qualitatem personae, beneficii et loci, ac temporis decernendam.

Vicarii nati potestatem beneficiis eorum perpetuo conjunxit lex, a qua pendet illa, et non arbitrio Episcoporum. Horum Vicarii nati erant Archidiaconus, et Archipresbyter; Parochorum vero possunt dici Vicarii perpetui illi de quibus nunc dictum fuit.

Demum Vicarii Apostolici a Papa mittuntur cum Brevi, vel a Sacra Congregatione Episcoporum et regularium ex aliqua legitima causa cum literis ejusdem, et cum facultate administrandi totam jurisdictionem episcopalem, aliquibus tamen exceptis casibus; qui certe sede vel plena, vel vacante mittuntur.

(1) *Sess. XXIV. de reform. c.* 18.
(2) *De benef. p.* 9. *c.* 2. *n.* 15.
(3) *De off. et potest. Episcop. p.* 5. *alleg.* 60.

CAPUT XIII.

DE CANONICIS AC DIGNITATIBUS, PERSONATIBUS ET OFFICIIS.

CONCLUSIO PRIMA

De origine et specibus Canonicorum, ac de eorum capitulo disseritur.

Canonici primum dicti a *canone* sive *matricula*, h. e. albo seu catalogo in quem censebantur. Omnibus commune fuit nomen hoc clericis, qui stipendiorum Ecclesiae primis seculis participes erant. Tum quibus arctiori quadam regula ecclesiastica adstricti erant quae vitam communem potissimum praecipiebat (a); eo quod secundum canonem vitam ducerent.

(a) Cum a communi vita quae in prima Hierosolymorum Ecclesia sub Apostolis ab omnibus fidelibus agebatur recessissent laici, soli clerici deinceps eam coluerunt. Saevientibus tamen persecutionibus et defervescente religionis zelo, clerici seorsim habitare coeperunt et vitae communio in eo posita fuit ut ex bonis Ecclesiae certas sibi quisque portiones sive sportulas in dies aut menses singulos acciperent. Unde fratres sportulantes dicuntur a S. Cypriano (*). Pace Ecclesiae reddita coeperunt Episcopi in suis cathedralibus Ecclesiis clericos secum retinere quibus et habitatio et mensa caeteraque communia erant. Et primus in Oriente Basilius communem clericorum vitam exoletam restituit. Inde in Occidente ab Eusebio Vercellensi allatam plerique

(*) *Epist.* 23. *et* 24.

Dissoluta communitate vitae, praecipui quidam clerici, ecclesiis adscripti auctoritate ecclesiastica in unum corpus redacti ut haberent *canoniam* seu jus stalli

---

Episcopi excepere. Ipseque Augustinus vixit vitam communem cum clericis suis; at hi praeter evangelium nullam aliam regulam habebant (*). Labente tempore cum vita clericorum communis intermitteretur, sanctorum virorum opera diversis in locis subinde instaurata est. Et in Gallia Crodogangus Episcopus Metensis clericos nullis nuncupatis votis in coenobium coactos sub certa regula adunavit. Quod vitae genus avide admiserunt Ecclesiae cathedrales et parochiales, et Carolus M. et Ludovicus Pius promoverunt. Synodus vera Aquisgranensis ann. 815. ad institutionem vitae canonicalis, regulam edidit pleniorem. Inde collapsa monastica disciplina, in ipsis claustris communis clericorum vita instituta est. Foeminae quoque canonicam admiserunt vitam, et novum genus velatarum virginum invaluit. At hoc non diu stetit. Canonici enim bonis aucti in summa seculi X. confusione vitam communem relinquere coeperunt desidia Episcoporum et sua ipsorum cupiditate. In seculum autem reversi vitiis seipsos conspurcarunt. Interim non defuere viri bono Ecclesiae nati, qui lapsam canonicam vitam instaurandam suscepere. Seculo XI. in Italia Petrus Damianus, in Gallia Ivo Carnotensis, Echertus Eoracensis in Anglia tantum opus adgressi sunt, votis insuper monasticis Canonicos adstringentes, in quo a Canonicis Aquisgranensibus distinguebantur, quibus patrimonio non renunciare suo permissum erat. Hujusmodi Canonici sub regulâ S. Augustini inclaruerunt. Quum vero non omnes communem illam ac pene monasticam vitam amplecterentur, duplex Canonicorum genus ab hac aetate distingui coepit; atque alii Canonici *regulares* qui in episcopiis, collegiatis, vel monasteriis abdicato rerum omnium dominio sub Episcopo praeposito, vel Abbate vitam ducebant: alii *seculares* appellati; non quod more seculi sed quod in seculo degentes a regularibus distinguebantur, qui scilicet perpetuis ecclesiasticis praebendis donati, seorsim vivunt canonico instituto adhaerentes, quatenus vita secularis patitur. Ceterum seculares Canonici sensim invaluerunt adeo, ut apud omnes fere cathedrales ecclesias obtinuerint.

(*) *Thomass. part. 1. lib. 3. c. 1.*

et participationem divinorum inter suos, ac *praebendam*, seu jus percipiendi proventus ecclesiasticos ex communi massa praebendos, *Canonici* dicti sunt; horum vero coetus nominari subinde coepit *Capitulum*. Reditus inde ecclesiastici qui primum Episcopo et Canonicis communes erant, in duas deinde partes sunt tributi, ita scilicet ut alii mensam Episcopi, alii relictis coenobiis, mensam canonicam sive capitularem constituerent (a). Quin imo ipsa capitularis mensa totidem in praebendas (b) tributa fuit, quot erant Canonici. Cum autem collegia Canonicorum cathedralium ab omnibus aliis distinguantur, hinc discrimen invaluit inter capitula cathedralia quae majoris Ecclesiae,

(a) Capitulum stante vita communi erat caput regulae, quod in Canonicorum conventu quotidie legi solebat. Post dissociatam vitam communem illorum, ipsum Canonicorum collegium, eorumque conventus capitulum fuit nuncupatum nimirum collegium Canonicorum qui sacro ordine insigniti praebenda et jure suffragii in ecclesia cathedrali vel collegiata gaudent. Universim est communitas personarum ecclesiasticarum sub et cum aliquo capite, puta, decano etc. et habens commune sigillum et saepe etiam commune aerarium ac synodum auctoritate ecclesiastica institutam (*). Porro ad capitulum primo instituendum saltem tres requiruntur (**). Duo sufficiunt ad institutum (***) imo ipsius jura etiam in uno perseverant (****).

(b) Quotidiana alimenta quae militibus et magistratibus praebebantur *praebenda* neutro genere appellata ex Cujacio (*****). Eadem voce apud ecclesiasticos illa reditum pars designata, quae cibariorum loco, substentationi Canonicorum inserviebat (******).

(*) *C. Dilecta* 14. *de excessib. praelat. etc. Tertio* 5. *de prob. c.* 48. *Significavit* 4. *de appellat.*
(**) *L. Nuntius* 85. *D. de V. S.*
(***) *C.* 1. *de elect.*
(****) *L.* 7. *in fin. D. Quod cujusque universitatis.*
(*****) *Observat. lib. II. c.* 22.
(******) *C. minorib. VIII. Extr. de praebend.*

et Ecclesiarum collegiatarum, inferiorum nimirum Ecclesiarum, quibus etiam mensa capitularis in partes divisa in jure fuit, et sub nomine praebendarum.

Canonici igitur vel cathedralis ecclesiae, vel collegiatae. Verum sicut non omnes ejusdem ecclesiae clerici sunt Canonici, ita non omnes Canonici constituunt capitulum. Quod *clausum* dicitur, cum restrictum reperitur ad certum ac determinatum capitularium numerum ut ex. gr. non ultra XIV. aut XXX. Alias non clausum nominatur (a). Haec de origine et speciebus Canonicorum. Quae autem illos spectant sequentibus conclusionibus aperiuntur.

CONCLUSIO SECUNDA

De his quae fiunt a Praelato sine consensu capituli deque his quae fiunt a majori parte ejusdem (b).

Alii e clericis in monasteriis sub Abbate, alii in parochialibus sive collegiatis sub Praeposito, alii demum in cathedralibus sub ipso Episcopo antiquitus canonicam vitam egerunt. Hac tamen abjecta pristinae disciplinae consuetudine, Canonici cathedralium comparatum ante jus clericorum sibi retinuerunt, ita ut capitulum cathedrale senatus ecclesiae censeretur, et eorum concilio ecclesiastica negotia tractarentur. Verum quamvis unum corpus constituant sub Episco-

(a) Major enim aut minor esse potest numerus capitularium cum quivis illorum quamprimum debitas qualitates habet, nempe; aetatem, ordines, residentiam; mox ad capitulum adspirare potest.

(b) Sunt hi tituli X. et XI. lib. III. Decretal. quibus de juribus Canonicorum cathedralium maxime, et collegiatarum ac regularium DD. tractant.

po Canonici, et ille caput sit eorumdem, quos membra ejus dicit Alexander III. (1): Sanctissima haec unitas non diu stetit, usu enim inductum fuit, ut plura sibi adrogarent Episcopi, quae sine capituli agerent consensu: contra vero Canonici haud pauca sibi reservarent in quibus ab Episcopo non penderent.

Consensus capituli requiritur in iis causis, in quibus illum consuetudo, vel ipsum jus requirit. Universim: requiritur consensus capituli, si agitur de praejudicio ecclesiae, successorum, vel ipsius capituli (2). In specie requiritur 1.° ad alienationem rerum ecclesiasticarum immobilium, aut mobilium pretiosarum. 2.° Ad praesentationem, vel collationem beneficiorum ecclesiasticorum, quorum praesentatio, vel collatio pertinet ad solum Episcopum, ita tamen, ut illa conferat cum consensu capituli. Et quidem in primo casu requiritur consensus capituli expressus; in secundo sufficit tacitus (3). 3.° Ad unionem ecclesiae vel beneficii vacantis, uti, et ad constitutionem pensionis, aut certae portionis fructuum in alia Ecclesia (4). 4.° Si contra aliquem, vel aliquos de capitulo procedendum sit ad poenam commissi delicti, et Ecclesia cathedralis, vel collegiata ab ordinaria Episcopi potestate exempta sit ex Trid. (5). 5.° Quando Praelatus per contractum mutui, vel etiam conventionem obligare vult suam Ecclesiam; haec enim, nisi major pars capituli consenserit, obligari nequit (6). 6.° Quando versatur commodum et emo-

(1) *Cap. IV de his quae fiunt ab Episc.*
(2) *C. 4. et 5. de iis quae fiant a Prel. etc.*
(3) *C. 6. eod.*
(4) *C. 3. et 9. eod.*
(5) *Sess. 25. c. 6. de reform.*
(6) *C. 4. de fidejuss.*

lumentum ipsius capituli puta, si agatur de augendo vel supprimendo numero Canonicorum (1).

Consilium vero capituli tenetur regulariter Praelatus adhibere (a) 1.° ad Synodum dioecesanam celebrandam, in eaque judices et examinatores creare: et in condendis statutis (2), 2.° in destitutione, et institutione clericorum (3), 3.° in corrigendis et puniendis clericorum defectibus (4), 4.° in rerum ecclesiasticarum administratione extra alienationem, 5.° in dando consensu ad alienationem rerum pertinentium ad Ecclesiam aliquam inferiorem, 6.° in erigendo novo monasterio etc., 7.° in aliis negotiis majoris momentis (b).

(a) Discrimen si requiratur consensus, aut consilium tantum est hoc nimirum, quod si requiratur consensus, hic non tantum requiritur, sed insuper Episcopus etiam hunc tenetur sequi; si vero requiratur consilium tantum, tunc hoc tenetur quidem a capitulo exquirere, regulariter vero non tenetur necessario sequi. Ita DD. Supposito autem quod requiritur consensus, hic probari debet, nempe quod adhibitus fuerit, per instrumentum, aut per testes, vel si aliter probari non possit, per juramentum capitularium, quia non tam in re propria, quam in re Ecclesiae vel communitatis attestantur et ipsi optime sciunt.

(b) An actus hujusmodi, sine consensu vel consilio capituli gesti, sint tantum illiciti, vel etiam invalidi, pendet ex eo, an jus requirat tamquam conditionem *sine qua non*, vel addat clausulam irritantem, vel non. Quod vero Episcopus consilium capituli sequi non tenetur, nec ob id frustra requirit; nam debet exquirere consilium, ut saltem longe prudentius procedat. Nec tandem abs re ducimus addere hic in quibus Praelatus agit sine consensu capituli nimirum: 1.° Si id suadet juxta et rationabilis causa. 2.° Si capitulares sint absentes ex. gr. tempore belli, pestis etc. et negotium differri haud potest. 3.° Si nego-

(1) *C.* 8. *de Const. c.* 33. *de praebend. in* 9.
(2) *C.* 5. *eod.*
(3) *C.* 4. *eod.*
(4) *C.* 5. *cit.*

Requisita, ut legitime agat capitulum declarantur (a).

Legitime agit capitulum, quando ab habente potestatem convocandi, qui solet esse ordinarie Episcopus, vel Praelatus, aut etiam decanus etc. singuli qui habent jus suffragii, et in loco praesentes sunt, ac possunt et volunt interesse, convocantur, imo in quibusdam casibus etiam absentes (b). Ad valorem tamen actus sufficit, modo duae tertiae partes sint vocatae, quia in his jam subsistit capitulum. Si tamen vel unus non sit vocatus, potest agere de contemptu, et impetrare abrogationem actus (c). Quod si vero non potuerint vocari, vel non comparent omnes rite vocati, et ne media pars quidem, si tamen instet finis termini pro actu concessi, tunc procedunt

---

tia exigui sint momenti. 4.° In causis notoriis, in quibus per se jam constat, quid sit agendum. 5.° In iis in quibus Episcopus agit ex potestate extraordinaria delegationis, vel devolutionis. 6.° Non indiget ad ea quae consuetudo legitima permittit Episcopo ut faciat absque consilio capituli. Hoc colligitur ex c. 6. eod. tit. Et est communis DD.

(a) Capitulum dicitur communitas quaevis personarum ecclesiasticarum sub, et cum aliquo capite ex. gr. praeposito, habens commune sigillum, et saepe etiam commune aerarium etc.

(b) Uti 1.° cum facienda est electio Praelati (*), 2.° quando recipiendus aliquis est in Canonicum, aut facienda collatio beneficiorum (**), 3.° quando indicanda est cessatio a divinis, vel in negotiis summe arduis (***), aut quando aliquid decernendum est in peculiare singulorum praejudicium (****) etc.

(c) Vide quae dicta sunt concl. VI. pag. 160.

(*) C. 28. *de elect. et electi etc.*
(**) C. *Cum in Ecclesiis* 33. *de praebend. in* 6.
(***) C. *Quamvis* 8. *de offic. ord. in* 6.
(****) C. 29. *de R. J. in* 6.

presentes, ne jure suo priventur. Requiritur et sufficit dein *regulariter* consensus partis senioris et absolute majoris capitularium presentium et vocandorum (1); nam pars major representat totam communitatem; et quod haec facit ab omnibus fieri censetur (2) (a). Quandoque tamen non sufficit pars etiam absolute major, sed, requiruntur duae tertiae; uti constat ex alibi dictis. Denique quandoque requiritur consensus omnium uti, si res pertinet ad omnes *qua singulos:* tunc enim procedit regula: *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari* (3) (b). Si tamen vel unus tantum judicat ex gravi ratione aliquid opponendum coram Superiore opponat capituli, vel arbitris, et interim suspenditur decretum majoris partis. Per appellationem vero non potest impediri. Si pars major privata sit voce activa propter delictum;

(a) *Regulariter* diximus nam quandoque sufficit pars respective major saltem ex consuetudine, et ubi negotium non est valde arduum. Pars respective major dicitur quando ex. gr. ex duodecim Canonicis conspirant quinque in Titium, et ex altera parte pro Sempronio sint quatuor., et iterum pro Cajo tres; tunc Titius habet respective majora. Pars vero absolute major dicitur, quando ex duodecim Canonicis qui saltem possunt et debent vocari, in unum conspirant septem: et pars absolute major etiam habetur pro saniori, nisi manifeste constet contrarium.

(b) Puta negotiis, quae peculiare praejudicium singulorum continent; ex gr. cum agitur de voce activa ad quam singuli peculiare jus habent. Proindeque non valet compromissum nisi omnes et singuli consentiant uti dictum fuit. Ad reparandam vero Ecclesiam cathedralem ut Canonici redituum partem ab eadem Ecclesiam provenientium conferre deberent, sufficit consensus partis majoris (*).

(1) *C.* 1. 3. *et fin. de his quae fiunt etc. et c.* 48. *de elect.*
(2) *L.* 13. *ff. ad Municipalem.*
(3) *Reg.* 29. *de R. J. in* 6.

(*) *C. fin. de his quae etc.*

minor etiam capitulariter statuit; nam propter delictum alterius suo non privatur jure.

CONCLUSIO QUARTA

Canonicorum peculiaria munia distinguuntur.

Jus canoniae denotat jus stalli, et participationem divinorum inter suos, ac praebendae uti dictum fuit. Hinc praeter officia quae sunt canonicis cum aliis clericis communia, alia ipsis sunt particularia. Haec a Tridentinis Patribus juvat accipere, sic docentibus (1): *praeterea obvenientibus in iisdem cathedralibus, aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas, aut portiones, non licet vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses, ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt* (a):

(a) Honestis ex causis licet canonicis tres menses continuos vel interpolatos annis singulis sine licentia abesse nimirum, 30 dies. Non enim sine causa derelinquere Ecclesiam quovis tempore datur. Non desunt tamen legitimae etiam causae quae ultra definitum tempus abesse sinunt, et pro varietate earum aut fructus praebendae tantum percipiunt; aut distributiones etiam quotidianas. Sunt fructus *praebendae*, seu *anni*, vel *grossi* reditus fixi, qui residentibus dantur annuatim absque respectu ad singulas interessentias seu praesentias in choro, seu officio divino. *Distributiones quotidianae* seu *praesentiae* ab Ivone Carnotensi excogitatae (*), *ut ad quas horas canonicas panis interni refectio non movebat, panis corporei refectio provocaret*, a PP. Tridentini confirmatae fuere (**) quaeque consistunt sive in pecuniis sive in frumento vino etc. (et tunc dicuntur etiam fructus grossi aut victualia) atque sunt: fructus quos statis

(1) *Sess. XXIV. de reform c.* 12.

(*) *Ep. ad Paschal. Papam.*
(**) *Sess. XXIII. c.* 3. *de reform.*

alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus

---

horis addictos, presentes tantum Canonici lucrantur. Praesentibus equidem tantum cedunt, et praesentibus accrescunt quatenus sunt praesentes. Distributiones attamen quas alii ob absentiam amittunt, accrescunt praesentibus dummodo certa summa pro omnibus sit determinata praesentibus. Si vero pro singulis certa est determinata portio, tunc portio absentium pertinet ad fabricam Ecclesiae, vel ad mensam capituli, aut ab Episcopo applicatur loco pio secundum statuta et consuetudinem. Et hac ratione duo conciliantur loca Trid. in speciem contraria scilicet c. 3. sess. 21. et c. 3. sess. 22. de reform. ubi in primo loco dicitur, quod portiones absentium accrescant praesentibus; in secundo applicandas ait fabricae vel alii pio loco.

Sunt autem causae quibus absentes a choro etiam ultra tres menses lucrantur fructus praebendae sive grossos, 1.° si absint Canonici sive cathedralis sive collegiatae duo ab Episcopo assumpti ad se juvandum in suo munere ex. gr. in visitatione diocesis (*), 2.° *christiana caritas* puta, ad componendam pacem, convertendos peccatores etc. *Urgens necessitas* ut nempe mutato aere curetur morbus. *Debita obedientia* nimirum si ecclesiasticus superior avocet ad peragendum negotia pro bono Ecclesiae vel Reipublicae. *Evidens Ecclesiae, vel Reipublicae utilitas*, ut si quis alibi defendat jura suae Ecclesiae vel beneficii, negotium in utilitatem Reipublicae expediat etc., aut alia sit causa quae Episcopo justa videbitur, cum licentia tamen ejusdem vel praelati, 3.° si quis absit Episcopi venia, causa studiorum in aliqua universitate, vel generali studio, modo studeat Theologiae vel juri Canonico (**). Justae causae autem ad lucrandas *distributiones quotidianas* sunt a jure specialiter approbatae nempe tres (***), 1.ª est *infirmitas* gravis vi cujus interesse non licet, etsi orta ex culpa infirmi, dummodo sit praesens in civitate, aut loco ubi est Ecclesia, si tamen talis ante interesse consuevit. Ita communis DD., 2.ª est justa corporis necessitas ex. gr. nimium senium, sumptio medicinae etc. inju-

(*) *C. 7. et 51. de cleric. non resid.*
(**) *C. 12. eod. et c. ult. de magist.*
(***) *C. un. eod. in 6.*

negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia, contra eos juxta sacrorum canonum constitutiones pro-

ste incarceratus etc., 3.ª evidens Ecclesiae utilitas ejus nimirum de cujus distributionibus agitur, non alterius vel particularis, vel generalis Ecclesiae. His adde 1.° *Privilegium* a Pontifice obtentum: sic poenitentiarius durante re Divina audiens confessiones, et obtinens praebendam theologalem, vel magistralem pro toto die quo legit, vel concionem habet in propria Ecclesia (*). Item Canonicus habens incorporatam parochiam pro toto tempore quo exercet curam (**). 2.° *Consuetudinem* primum introductam post Tridentinum; istud enim antegressae ab eodem sunt sublatae (***) sic ex usu invecto lucrantur distributiones licet absentes sint, qui 40 annis inservierunt Ecclesiae interessendo Divinis (****); dummodo post *jubilationis* indultum non ea sit ministrorum paucitas, ut divina officia expleri non possint. Tunc enim privilegium cessabit, et absens vel per fructuum subtractionem revocabitur (*****).

Animadvertendum denique, quod si omnes capituli reditus distributionibus constent, tum integras omnes lucrentur ex jure communi; quippe distributiones quotidianae, praebendorum, et fructuum, earumdem locum habent. Post Tridentinum vero, quo statuitur, ut ubi nullae admodum sunt distributiones, tertia pars fructuum omnium in illas convertantur ab Episcopo, duas tantum partes distributionum vindicabunt, quae fructuum loco sunt, haudquaquam vero tertiam, quae iis, qui intersunt, adcrescit, quaeque naturam primaevam distributionis adhuc retinere creditur (******).

Absentibus studiorum causa, pro servitio Episcopi absentibus equiparantur; ideoque quod jure communi integras omnes distributiones quotidianas perceperunt ex quibus praebenda componitur; ex praescripto Trid. duas tantum tertias partes lucrantur (*******).

(*) *Trid. sess. XXIV. c. 3. et 12. de reform.*
(**) *Trid. sess. XXII. c. 5. de reform.*
(***) *C. 12. cit.*
(****) *Bened. XIV. de S. D. l. III. c. IV. n. 6.*
(*****) *C. quum ad hoc 16. extr. de cleric. non resid.*
(******) *Fagnan. in c. de cetero VII. extr. de cleric. non resid.*
(*******) *Idem cit. loc. n. 22. et 24.*

cedatur. Distributiones, vero, qui statis oris interfuerint, recipiant, reliqui, quavis collatione, aut remissione exclusa, his careant, juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit Consuetudinem (a): *quod S. Synodus in usum revocat non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus. Omnes vero per se et non per substitutos compellantur obire officia* (b); *et Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti, adsistere et inservire, atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, et devote laudare* (c). *Vestitu insuper decenti, tum in Ecclesia, quam extra adsidue utentur; ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis lusibusque abstineant; atque ea morum integritate polleant ut merito Ecclesiae Senatus dici possit* (d).

(a) Non licet ergo Canonicis, sibi invicem, defectus adsistentiae chori, vulgo *punctaturae*, remittere. Quod si remiserint, tenetur Episcopus hujusmodi portiones fabricae Ecclesiae. aut ejus servitio adplicare (*).

(b) Non vetantur capitulares, sese Vicaria opera substituere, modo iis temporibus non fiat, quibus servitio Ecclesiae addicti sunt (**).

(c) Haud fructus faciunt suos Canonici, in foro conscientiae, si praesentes choro intersint, silentes autem non psallent (***).

(d) Addesis quod Missa conventualis singulis diebus in choro per capitula cathedralium, et collegiatarum celebranda est (****) et non pro uno solum, sed pro omnibus simul benefactoribus adplicanda quavis in contrarium, etiam immemorabili consuetudide improbata (*****). Quid vero si secunda et tertia quoque

(*) *Fagnan. in c. licet XXXIII. extr. de praeb. n.* 30.

(**) *Sacra Congreg. apud Fagnanum in c. Quum omnes* 6. *extr. de consl. n.* 28.

(***) *Bened. XIV. de S. D. lib. XI. c. III. n.* 8., *et Bulla praeclara duorum ann.* 1748.

(****) *Cap. quum creatura XI. extr. de celebr. Missar.*

(*****) *Bened. XIV. Bull. quum semper ann.* 1744.

CONCLUSIO QUINTA

In promovendis ad canonicatum quae requiruntur? Quid de honorariis Canonicis, declaratur.

Inter Canonicos cooptare non licet, nisi I.° saltem sit clericus Subdiaconus (a) aut in ea aetate, ut intra annum eo initiari possit. Secus in *capitulo vocem* non habebit (1). II.° Ut idoneus sit, et non minor viginti duo annorum saltem inceptorum (b). III.° Ut canonicatui quo decorandus est, adnexum ordinem habeat, vel intra anni spatium eodem initietur.

Missa accedat? Non praecipitur tum pro benefactoribus adplicatio, sed adplicandi usus commendatur (*). Demum de associatione a Canonicis Episcopo facienda, ubi ille ad Ecclesiam sacris pontificaliter operaturus accedat, monendum quod Canonici, ei obviam ad ejus usque cubiculum procedere debent, ad Ecclesiam deducere, et eo unde discessit iterum prosequi. Confer bullam Clementis XIII. *postquam* ann. 1643. ubi multa in hanc rem cavit.

(a) In tres ordines Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque ita distribui oportuit omnes cujusque cathedralis dignitates, canonicatus, portionesque, ut dimidia saltem pars sint Presbyteri, ceteri vero Diaconi, aut Subdiaconi; nisi plures (**) aut omnes introduxerit consuetudo.

(b) In meris canonicatibus legitima aetas erat jure antiquo 14 annorum; dignitatibus curam annexam animarum habentes 25, reliquae annos 22 completos requirunt. At ubi ex Trid. jam singulis canonicatibus sacer aliquis ordo adnexus fuerit quisque etiam merus canonicatus aetatem requirit annorum ad ordinem suscipiendum proprium. Praeterea omnes dignitates et pars saltem dimidia canonicatum, ut magistris, vel doctoribus, aut in Theologia, et Jure canonico licentiatis dumtaxat conferantur, hortatur, non jubet Tridentinum (***).

(1) *Trid. sess. XXII. c. 4. de reform.*

(*) *Idem de S. D. l. XIII. c. 9. n. 12. et in cit. Bulla.*

(**) *Ex Trid. sess. XXIV. de reform. in c. cum dignitates 12.*

(***) *Cit. loc.*

Secus si culpa sua eo non inaugurabitur; post annum tamen, et *voce in capitulo*, et dimidia parte distributionum privabitur (1). IV.° Canonici cathedralis non solum coram Episcopo, seu ejus officiali, sed etiam in capitulo tenentur publicam hortodoxae fidei professionem facere; secus fructus non faciunt suos, nec illis possessio suffragatur (2). Collegiatae vero Canonicis ad eam jus non obstringit; emittunt tamen ubi vel consuetudo sit, vel statutum eandem praescribat.

Pro coronide juvat deliberare quae honorarios spectent Canonicos, et 1.° Episcopum posse illos creare sed cum consensu capituli, nunquam tamen cum futurae successioni jure. De mandato Papae acceptum honorarium Canonicum in capitulum clausum jure *canoniae* non gaudet, nisi decretum sit *cum plenitudine* juris canonicalis, vel simili equipollenti clausola (3) (a).

CONCLUSIO SEXTA

Dignitates personatus et officia ecclesiastica expenduntur.

Potestas rectoria et publica est penes Episcopum; at quia tam gravis est hujus cura, ut Pastor unus facile omnibus sufficere et invigilare non possit tum ex dispositione canonum, tum sua ordinatione ha-

(a) Hujusmodi Canonici per sese nullis explendis muneribus obstringuntur, nec ullo officio proprio gaudent. Ita augustissimus Rex noster in Ecclesia S. Nicolai Bariensis obtinet Thesaurarii dignitatem. Extat in choro Sedes Regia. Et plerique Neapolitani Reges canonicalibus insignis induti, choro interfuerunt, ac quotidianas distributiones acceperunt.

(1) *Glossa in Clement. ut si cap. II. de aetat. et qual. etc.*

(2) *Ex Trid. sess. XXIV. c. 12. de reform.*

(3) *Barbosa de canon. c. 3. n. 15.*

bet regiminis adjutores, quibus proin *dignitas* aut *personatus*, aut *officium* tribuitur (1) (a). Strictim *dignitas* est: honor cum jurisdictione aliqua, ceu in Cardinalibus, Patriarchis etc. nec non Archidiaconis, Archipresbyteris, Praepositis, aliisque jurisdictionem obtinentibus; et ad subliniora ecclesiasticae hierarchiae officia pertinet. Inferiora officia quae omni carent jurisdictione sunt *personatus*, quibus denotatur praeeminentia, cui nulla adnectitur jurisdictio et administratio, ut plerumque est hodie decanatus. *Officium* denique est mera ecclesiarum cura, et administratio, quae nullam secum fert aut praeeminentiam aut jurisdictionem, ut est Cimeliarchatus, seu officium Canonici Thesaurarii Theologi Poenitentiarii etc. Mores hodierni quoniam Episcopis, Praelatisque inferioribus, locorum ordinariis jurisdictionem fere indulgent; praeterea nemini; *ven-*

(a) Officiorum distinctio progressu temporum inducta fuit. Nam sine officio nullus olim ordo erat: postea ab officiis ordines seiuncti. Siquidem ordo non officium facit clericum. Quoad perseveravit communis vita clericorum, plerumque officia seu mera quidem ministeria erant, et canonicorum merae delegationes, quae nullam propriam habebant jurisdictionem. At excussa vita communi, illae negligentia Episcoporum, et Canonicorum ambitione perpetuae et propriae evaserunt. Ita in capitulis primae dignitates exortae. Inde in novis capitulis, fundatione fuerunt institutae. Variant autem in numero, et ordine dignitatum, Ecclesiarum mores. Quin ipsae Innocentius III. Primicerium Ecclesiae Tullensis modo *personatum*, nunc *dignitatem*, deinde *officium* appellat (*). Idemet vero (**) *personatum* a *dignitate* manifesto distinguit, quemadmodum et Bonifacius VIII. (***). Dein Clemens V. ab *officiis* distinguit beneficia (****).

(1) *Trid. in c. cum dignitates* 12. *sess. XXIV. de reform.*

(*) *In c. cum accessint* 8. *de constitutionib.*

(**) *In c. de multa* 28. *de praebendis.*

(***) *In c. statum* 11. *de rescriptis in* 6.

(****) *In Clement.* 1. *de decimis.*

tosam et inanem dignitatem appellant DD. (1) (a). Igitur quoad gradus, praeeminentias, jura et nomina dignitatis, personati et officii, consuetudinem consulendam variarum Ecclesiarum harumque diversis moribus, ac praecipue ex fundationibus, et numerus dignitatum metienda, et ordo eorum constituendus. In Cathedralibus praecipue dignitates sunt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, Decanatus, Primiceriatus, Cantoratus, Thesaurariatus. Ecclesiae collegiatae plerumque Praepositum habent, vel Primicerium (b).

CONCLUSIO SEPTIMA

De Archidiacono pauca delibantur.

Archidiaconatus prima post episcopalem in cathedrali Ecclesia dignitas dici potest (2): jamdudum amplissima jure communi, hodie vix umbra superest (c).

(a) Canonici simplices, dignitatem non habent etiamsi Ecclesiae sint Cathedralis, quamquam ad eam proxime accedant; proindeque a Sede Apostolica delegati interdum constituuntur (*). Penes corpus universum tamen dignitatem esse omnibus patet. Ita communis DD.

(b) Capituli Neapolitani veluti praerogativa est nullam dignitatem habere. Solus Primicerius, ex Canonicorum tamen indulgentia reliquos antecedit; et Cimiliarcha qui Thesaurario respondet quique ad ordinem pertinet praebendariorum, Praefectus est etiam collegio hebdomadariorum, baculoque utitur argenteo manubrio ornato, in processionibus aliisque functionibus quos soli peragunt Hebdomadarii, cum praerogativa suffragii in comitiis eorum.

(c) Jam ab Apostolorum temporibus in qualibet urbe cui dabatur Episcopus, simul cum illo septem Diaconos constitui mos erat, illisque etsi antiquior Archidiaconus dictus fuit, veluti princeps Diaconorum ex sententia aliquorum DD. (**); certum ta-

(1) *Fagnan. in c. ad haec de praebendis n.* 22.

(2) *C.* 7. *de offic. Archid.*

(*) *C. 11. et 14. de majorit.*

(**) *Azor part.* 2. *inst. moral. l.* 3. *c.* 11. *q.* 1.

Olim in temporalibus rebus, atque exterioribus functionibus, praecipuus erat Episcopi minister, ut illius *oculus* et *ala* dicebatur (1). In specie de jure communi (2) ad eum pertinet curare ut divinum officium rite fiat; habere curam primariam thesauri Ecclesiae; quae intra fines Archidiaconatus sui sunt Ecclesiae, eas visitare; corrigenda loco Episcopi in dioecesi corrigere; promovendos ad sacros ordines, et beneficiis ecclesiasticis praeficiendos examinare, illosque postea ut approbentur sistere Episcopo: huic sacris operanti ministrare; concionem habenti adesse, ordines conferendi instrumenta porrigere, pro clericis testimonium ferre, dies festos indicere et jejunia; jurgia clericorum audire deque iis, aliisque non majoribus causis cognoscere et judicare; solicitudinem paroeciarum habere, eamque loco Episcopi in foro externo exercere etc.

Ejus jurisdictio per universam se explicuit dioecesim, et post secul. X. in ordinariam evasit, adeo ut tamquam proprius judex, eam aliis quoque demandaret et haberetur velut Vicarius generalis Episcopi (3). Tandem circa sec. XII. insolentia, et ava-

men ex Hieronymo (*) atque ex pluribus Ecclesiasticae historiae monumentis, quod intuitu meritorum non aetatis aut antiquitatis solebat ab Episcopo seligi ex Diaconis. Ordine inferiores erant Archipresbyteris, jurisdictione tamen superiores (**) nec ceteroqui (quod usque ad sec. fere IX. obtinuit), ad Presbyteratum unquam provehi consueverant, ne gradu potius minui, quam augeri censerentur. Sed cum obstare videretur non Presbyteros Presbyteris praestare; illis demum imposita est necessitas Presbyteratus.

(1) *Can. Diaconi et seqq. dist.* 93.

(2) *C.* 2. 3. 7. 9. *cit. tit. de offic. Arch.*

(3) *C.* 1. *eod. tit.*

(*) *Epist. LXV. ad Evagrium.*

(**) *C.* 1. *dist.* 25.

ritia in causa fuere ut Episcopi hanc dignitatem sibi invisam diminuere et labefactare studuerint, creandisque Vicariis generalibus locum fecerint; a quibus tamen differre jam illos par est animadvertere : 1.° quia Vicarius generalis est datus tantum ad libitum Episcopi, Archidiaconus erat Vicarius natus, intitulatus et perpetuus, 2.° tribunal ejusdem distinctum erat ab illo Episcopi, contra tribunal Episcopi et Vicarii generalis est idem.

Hodiernis moribus Archidiaconi munus in iis Ecclesiis ubi primam non obtinet dignitatem, eo redactum est, ut Episcopo generalem ordinationem habenti ordinandos ei sistat (a). Qui Episcopo interroganti, si de probitate illorum, sibi ceteroqui non cognita, testimonium daret, non peccaret contra propriam conscientiam. Secus si de indignitate ipsi constiterit (1). Archidiaconus ex Trident. (2) sit magister oportet in Theologia, seu doctor aut licentiatus in jure sacro, ubi fieri potest.

Archipresbyteri quasi primi Presbyteri quibus imperant; in spirituali regimine totius dioecesis vices Episcopi olim sustinebant. Perquam antiqua horum institutio ex Hieronymo (3). Quidquid vero de eo-

(a) Ubi ex legibus, institutis, aut consuetudinibus locorum primam retinet dignitatem, vel praefecturam in choro; in sacris functionibus, et thurificatione ipsum Vicarium praecedit, horas incoandi in choro, et ab eo discendendi signum dat, capitulum convocat et absente Episcopo supplicationes publicas dirigit, librum conclusionem custodit et sigillum, tabularii et depositorum claves; Viaticum aegrotanti Episcopo administrat, salva semper consuetudine longissima vel institutionibus singularum Ecclesiarum.

(1) *Bened. XIV. de S. D. l. V. c. III. n. 4.*

(2) *Tess. XXIV. c. 12. de reform.*

(3) *Epist. ad Rusticum.*

rum electione disputent DD. in Latina Ecclesia etate, in Graeca plerumque meritis praestabant, quique licet jurisdictione minores sint Archidiacono numquam vero ordine Sacerdotali. Hinc proxime post Episcopum Ecclesiae praesunt Archipresbyteri. Jure communi (1) imperant reliquis Presbyteris; et absente Episcopo Missas solemnes celebrant, vel dicendas mandant. Habent curam omnium Sacerdotum, ut in administratione Sacramentorum, et horis canonicis assidui sint, et Episcopi praeceptis obediant, benedictionem dant presbyteralem &c. Aucto deinde christiano populo alter creabatur *ruralis* qui et *decanus* dictus fuit (a); alter *urbanus* qui in iis, quae in urbe erant praeesset. Hujus praerogativae et munia magis ex institutis et usibus Ecclesiarum metienda sunt; qui in eo maxime a *ruralibus* distinguitur, quod hi merum officium habent, et jure delegato; urbanus vero cathedralis Ecclesiae dignitatem habet, et jure ordinario gaudet. Officium Archipresbyteri ruralis seu decani

(a) Decaniae dictae, quod singulae decem titulos complecterentur, usu proin inductum fuit ut singulis decaniis, singuli praeficerentur Presbyteri. Hodie Archipresbyter dicitur decanus quia determinatis regionibus praeest. Notandum tamen hic quod Decani, cum Canonici vitam communem agerent, erant ab his electi, ut eorum curam haberent spiritualem praeter illam quam *praepositus* ageret; huic enim etsi eorumdem etiam cura incumberet sub Praelatis superioribus, negotiis temporalibus tamen intentus cum saepius a coenobio abesset, illam negligenter gerebat. Ambo vero dissociata vita communi vel abrogati fuere vel ubi inter dignitates in cathedralibus recensetur adhuc Decanus, ex institutis et consuetudinibus distingui illum par est. In Ecclesia tamen collegiata ubi decanus est Praelatus, jure habet jurisdictionem ordinariam in Canonicos (*).

(1) *C.* 1. 2. *et* 3. *de offic. Archipr.*

(*) *Glossa ad c. VI. de sent. excomm. in VI.*

jure communi (1) est: tum plebis, tum Presbyterorum, qui per minores titulos habitant inspectionem gerere, et ea quidem quae minora sunt, tam inter plebem, quam Parochos et alios sibi subjectos controversa, sine forma tamen judicii, disponere, ac decernere; sed quae sunt majoris momenti, nec sine cognitione ac forma judiciali fieri possunt, debere remittere ad Episcopum vel Vicarium ejus (a).

Primicerius dicitur qui in aliquo ordine primum obtinet locum ex. gr. inter equites, mensores. In hoc loco inter psallentes in choro eminet, vel clericos in schola (2) unde *praecentor* etiam appellatus. Ejus officium hodie est illorum qui vel *cantores* nominantur vel *scholastici* maxime in cathedralibus (b). In choro, seclusa consuetudine contraria, honorificum gradum et ordinem habet.

Sacristae est, immediatam curam sacri thesauri habere (3). Unde etiam cimeliarchae et thesaurarii nomen habet, et dignitatem censetur obtinere jure decretalium; ob idque eidem cognitio causarum et alia

---

(a) Ex Synodo Provinc. Neap. ann. 1699. tit. 9. ejus est lustrare Parochias sui districtus, festorum dierum cultum tueri; delicta ecclesiasticorum si quae fuerint, Episcopo nota facere. Parochi sui muneris partes num adimpleant inquirere, et si scandala in dioecesi oriantur aut abusus inducuntur, eidem referre.

(b) Adhuc vitam communem gerentes clerici pueri saepe a parentibus Episcopis offerebantur, ut ab his ad clericalem instituerentur vitam, quod quidem per probatissimum ex clericis Episcopus procurabat. Inde cathedralibus et collegiatis hae scholae adnexae, unus e clero earumdem curam gessit, propterea dictus *scholasticus*.

(1) *C.* 6. *eod.*

(2) *C. un. de offic. Primicer.*

(3) *C. un. de offic. Sacristae.*

negotia delegata a Summis Pontificibus fuerunt (1) (a). *Custos* est subordinatus sacristae, et utensilia Ecclesiae, ac rei divinae instrumenta minus praetiosa custodit etc. (2) quamvis de facto idem sit ac custos.

CONCLUSIO OCTAVA

Theologum et Poenitentiarum quae maxime spectant declarantur.

Merum esse officium Theologum et Poenitentiarium suaque natura patet, et ex Sac. Congreg. Concilii in Murana ann. 1699 (b). Utriusque natura, origo et munus colligitur ex Trid. (3) atque ex Lateranensi IV. (4); hoc enim jam sanxerat ut *Metropolitana Ecclesia Theologum . . . habeat qui Sacerdotes et alios in sacra pagina doceat, et in his praesertim informet, quae ad curam animarum spectare noscuntur.* Quod vero Tridentinum probavit, atque praebenda etiam insignivit addens *in Ecclesiis Metropolitanis, vel Cathedralibus, si civitas insignis, vel populosa ac etiam collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius dioecesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla praebenda aut praestimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, pri-*

(a) In Cathedrali Neap. uti dictum fuit Cimeliarcha unus est ex Canonicis praebendatis, et Hebdomadariis etiam praeest.

(b) Lege fundationis, vel peculiari consuetudine aliquibus in locis inter dignitates recensentur.

(1) *C.* 32. *de offic. deleg.*

(2) *C.* 1. *et* 2. *de offic. Custodis.*

(3) *Sess.* 5. *c.* 1. *de reform.*

(4) *C.* 4. *de magistris vide etiam Van-Espen p.* 1. *tit.* 12. *cap.* 5.

mo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta et deputata intelligatur. De poenitentiario similiter, *in omnibus Cathedralibus Ecclesiis ubi id commode fieri poterit, cum unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo instituatur qui magister, vel doctor, aut licentiatus in Theologia, vel Jure Canonico, et annorum quadraginta, seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur: qui dum confessiones, in Ecclesia audiet, interim praesens in choro habeatur.*

Theologalem praebendam laurea theologiae donato et nonnisi previo concursu, conferendam subdidit Benedictus XIII. (1): ob quem examinatores etsi non synodales, licentiati sint oportet saltem in theologica facultate, seculares, vel regulares sint; sicut et officium suppar poenitentiarii concursu etiam conferendum, statuit idem laudatus Pontifex (a).

(a) Videtur muneri suo satisfacere Theologus, si scholasticam doceat disciplinam, Trid. enim postquam Scripturae expositionem requirit, Theologiae vocabulum usurpat; Lateranense quae ad salutem animarum spectant simul memorat (*).

Theologus qui diebus festis non legit, si choro non intersit, percipiet quidem fructus, sed non distributiones quotidianas. Quo die legit habendus pro interessente. Talis non est si agatur de matutino, quod fortasse vespere praecedente recitatur pro die sequenti (**).

Quod si diu impeditus sit, vel senio etiam, aut ob servitium Ecclesiae, substituere alium idoneum tenetur. Absenti vero voluntarie et non brevi tempore, ad Episcopum pertinet ei substitutum dare vel Canonicum alium, vel idoneo deficiente secularem, imo et clericum regularem.

Poenitentiarius ordinariam patet habere jurisdictionem, et esse veluti Vicarium natum Episcopi ac Parochum totius dioecesis;

(1) *Bulla Pastoralis officii nostri.*

(*) *Fagn. in c. quia nonnullis IV. extr. de magistris n.* 29.
(**) *S. Congr. Concili apud Bened. XIV. de S. D. l. V. c. V. n.* 8.

CAPUT XV.

DE PAROCHIS.

CONCLUSIO PRIMA

Parochorum origine et natura discussa, quae potestas eorum sit in genere declaratur.

Parochi (a) sunt Sacerdotes qui auctoritate Episcoporum, ac sub eorumdem regimine sunt praefecti alicui paroeciae, ut necessaria ad pascendas animas ha-

---

alios tamen delegandi non gaudet potestate vi sui muneris (*), nec relaxandi peccata Episcopo reservata.

(a) Parochus dicitur quia sacra praebet a graeco *paraecò* latine *praebeo*. Unde Horatius cecinit (**):

Proxima Campano ponti, quae villula tectum
Praebuit, et Parochi, quae debent ligna, salemque.:

Revera Parochi dicebantur qui magistratibus iter per municipia facientibus aere publico ad victum necessaria praebebant. Verum a graeco *paraeceo* latine *incolo* Parochus dicitur qui incolatum habet seu certam sedem. Jus sacrum Parochum appellat presbyterum (***) quo nomine etiam Apostolus Parochos distinguit (*****); insuper et Sacerdotem (*****) Plebanum (******) Curatum (*******). Hinc dicti Parochi etiam sunt *Curiones* a *cura* vel *curia* ab antiquis romanis, quorum urbs in plures curias fuit distincta, quae hodie dicerentur

(*) *Sacr. Congr. apud Fagnan. in c. licet XXII. extr. de praebend. et dignit. n.* 115.
(**) *Serm. lib.* 1. *Sat.* 5.
(***) *C.* 2. *de porochiis etc.*
(****) 1. *ad Timoth. v.* 17. *et v.* 19.
(*****) *C.* 4. *eod.*
(******) *C.* 3. *de offic. judici ord.*
(*******) *Clem.* 2. *v. verum ne parochiales de sepult.*

bitantes in ea, proprio nomine administrent. Revera prefectos diximus Parochos *auctoritate et sub potestate Episcoporum*; nam ipse Bossuet exponens sensus scholae Parisiensis quae illos ab ipso Christo institutos dixerat (a) ait (1): « Mens ergo facultatis

paroeciae. Parochia igitur vel paroecia etsi graeca origine denotet plurium domorum vicinia, sumitur pro Ecclesia parochiali scilicet Ecclesia alicujus dioecesis cathedrali inferior, habens populum certis limitibus auctoritate Episcopi circumscriptum, et proprium Sacerdotem, seu rectorem a quo debet spiritualia recipere auxilia. Haec igitur requiruntur ad constituendam parochiam jure communi 1.° et praecipue ligandi et solvendi in foro conscientiae potestas, idque ex necessitate muneris parochialis, 2.° locus certus limitibus constitutus in quo populus alicui Ecclesiae deputatus degit, qui debet consistere saltem in 10. familiis distinctis. Ita DD., 3.° auctoritas Episcopi disignantis eidem limites, et constituentis populum parochianum (*), 4.° ut habeat rectorem certum et unicum. Insuper etsi non essentialiter, praeterea connaturaliter requiritur, 5.° fons baptismalis, celebratio matrimoniorum, coemeterium seu jus sepeliendi, aliaque Sacramenta administrandi; quae ideo naturalia diximus et non essentialia quia abesse possunt; cum possit esse beneficium curatum, quod certis limitibus et populo ab Episcopo designatis careat, ac ideo parochiale non sit, uti fit aliquando in Ecclesiis filiabus, ut vocant; et in locis recens conversis.

(a) Hujus scholae sensus sic Habert exprimit (**) Parochos divinae esse institutionis eo quod successores sunt discipulorum de quibus Lucas (***): *posthaec autem designavit Dominus et alios septuagintaduos et misit illos* etc. quique propterea tum in Scripturis ipsis, tum in antiquis Ecclesiae monumentis, longe etiam ante seculum IV. (quo vicanarum, et urbicarum paroeciarum crebrius, subdit, occurrunt exempla), sub presbyterorum nomine designantur.

Ast momentis historiae ex deceptione peccasse illos patet; nam

(1) *Defens. l. VIII. c.* 14.

(*) *Can.* 1. *c.* 13. *q.* 1.

(**) *Theolog. Dogm. Tom. VII. Part. II. De Hierarch. Ecclesiast. c.* 46. (*Venet.* 1747).

(***) *Cap.* 10.

» de Sacerdotibus secundi ordinis non est; institutus » a Christo, ut sit eo ritu quem nunc servat Eccle» sia in paroecias distributa; sed . . . ut ille ordo » sit in Ecclesia necessarius, et secundo loco sub Epi» scopis jurisdictionem exerceat, quam cum exer» cet, non ab alia quam a Christo, secundum ca» nones et praescripta Episcoporum exercendam ac» cipiat » inde certum est Parochos esse Episcoporum adjutores atque ita ab episcopali ordine eorum

aucto Christianorum numero circa quartum et quintum seculum, Parochi constituti sunt primum in majoribus urbibus Romae et Alexandriae, deinde etiam in minoribus tituli sacerdotalium ecclesiarum, in quibus baptismus, poenitentia sepultura dabatur (*). Serius aliis in civitatibus ortas esse Parochias, ac in vicis et ruribus existimavit Gonsalez (**) eo quod difficile qui extra moenia habitarent, venire possent ad unam Ecclesiam civitatis; ut propterea alia vicana opus fuisse videretur. Denique titulorum Ecclesiarumque numero parochialium auctoritas crevit, et nono seculo haec videntur communi lege recepta, ut diebus festis dominicisve parochiae interessent fideles; ut nullus presbyter alterius parochianum nisi in itinere ad missam reciperet; ut a proprio sacerdote communio reciperetur; ut eidem decimae solverentur (***). Non ergo dicas cum Parisiensi schola Parochos a 72. discipulis originem repetere; et eo vel magis quod contra sacrae scripturae textus impinges, quibus nec Sacerdotes esse illos argumentatur, nec missos in omnem civitatem et locum quo erat Christus venturus, nisi ad animos praeparandos, non ad regendos populos, nec ad Sacramenta administranda. Recte ergo adversantur sententiae scholae Parisiensis alii DD. Thomassinus autem etsi jurisdictionem Parochorum adfirmet a Christo, non quoad originem tamen, quam a voluntate Episcoporum repetit, qui, prout necessitas tulit Ecclesiarum, illos passim instituerunt; sed quoad officium, quum animarum cura Parochis credita, ab episcopatu, tamquam ab sacerdotii fonte, et plenitudine dimanet (****).

(*) *Vide Thomass. V. et N. D. p. 1. lib. II. c.* 21.
(**) *In c. Dominicis II. extra de Parochiis n.* 3.
(***) *Vide Marium Lupum de Parochiis ante annum Christi* 1000.
(****) *Cit. loc. c. XXVI. n.* 1. *et seqq.*

potestas tamquam a fonte instituta, unde in rebus omnibus ab Episcopo penderet, et ita ut sine Episcopi mente et conscientia nihil agerent (a). Insuper *alicui paroeciae* diximus praefectos, ita ut sicut certus sit ei Sacerdos; certus populus et limitibus circumscriptus sit illi. Quod ergo beneficium curatum his limitibus, et populo ab Episcopo designatis caret, parochiale non est, etsi officium decani, vel praepositi, capellani in hospitio pauperum etc. (b).

Adhaec praefecti Parochi sunt *ut necessaria ad pascendas animas administrent*. Jurisdictione ergo carent Parochi fori externi sive contentiosi sive voluntarii (c). Adde quod paroecia cui praesunt ut societas

(a) Constans est regula Patrum, Presbyteros in rebus omnibus Episcopo subjectos esse oportere. Prae omnibus satis sit S. Ignatius M. (*) : *Necessarium itaque est*, inquit, *quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis*. Et alibi (**) *non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapem celebrare*. Ita Tertullianus de baptismo c. 17. S. Hieronymus Dial. adver. Luciferian. aliique.

(b) Ministri missionum qui modo huc, modo illuc se conferunt, aliosque Sacerdotes ejusdem operis comparticipes habent sine ulla distinctione territorium nec Parochi sunt, nec paroeciam proprie regunt. Ita rem Trident. explicat « In iis civitatibus et » locis, ubi parochiales Ecclesiae *certos* non habent fines, sed » promiscue petentibus Sacramenta administrant, mandat S. Synodus Episcopis pro tutiori animarum commissarum salute, » *ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique* » *suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent*, qui eos » cognoscere valeat; et *a quo solo licite* Sacramenta suscipiant, » aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provi» deant. » DD. tamen ut Van-Espen, Barbosa aliique docent hanc determinationem dari posse, non solum per domos materiales; sed et per familias et personas. Nec abhorret a iure quod Parochi plures possint, atque ad tempus unam regant Ecclesiam.

(c) Certum est media aetate Parochis concessum ut excom-

(*) *Epist. ad Trall. n.* 2.

(**) *Epist. ad Smirnem. n.* 8.

distinguitur imperfecta, quia in ea non congregantur singulae personae ut membra unius corporis in seipso habentis regimen et gubernationem proprie dictam (1). Ast populum determinatum limitibusque distinctum exhibet certo et determinato Pastori, et sic paroecia dicitur.

Demum *jure proprio administrent*; ipsis namque jurisdictio est ordinaria et ex officio, quod a jure communi ordinatur; ideoque regunt populum jure scilicet proprio non delegato. Proinde, quamquam ab Episcoporum nutu olim pendebant munera parochialia, deinde facta sunt sensim necessaria, ac communia, ut quae semel adeptus sit qui curam animarum susceperit, ea illi Episcopus limitare omnino nequeat, nec suspendere nec adimere, nisi ex legitima causa in exteriori foro rite probanda ex Trid. (2) (a).

---

munications incuterent, et ut interdictis plecterent clericos sibi subditos (*). Quod jus S. Thom. ait (**) ex commissione eos tantum habere. Ab auctoribus ipsius mediae aetatis tamen, propter eamdem externam jurisdictionem in censu Praelatorum minorum habebantur. Quidquid vero fuerit, a XIV. seculo rarissima superfuere hujus Parochorum jurisdictionis vestigia, et communis DD. tenet, eos nullas posse decernere poenas, nec dici posse Praelatos; etsi quod dispensandi facultatem spectat plerique fatentur propter consuetudinem multorum locorum posse Parochum dispensare in quibusdam frequentioribus praeceptis ut in jejunio; usu carnium, in festorum observatione, quantum ad opera servilia, etiamsi facilis esset recursus ad Episcopum; proprie tamen non habent *dispensandi* facultatem quia non habent advertit Suarez forum externum, ne voluntarium quidem.

(a) Posse tamen Episcopum certa *munia*, quae proprio Parocho competunt, alicui committere Sacerdoti patet maxime ex

(1) *Vide S. Thom.* 1. 2. *q.* 90. *n.* 3.

(2) *In cap. quia* 6. *sess. XXI. de reform.*

(*) *Ex c. Cum ab Ecclesiarum* 3. *de offic. judic. ord.*

(**) *Suppl. qu.* 22. *art.* 1.

Ex dictis ambigi non potest Episcopum posse exigente animarum salute, novas parochias etiam invi-

eo quod de matrimonio docet Trident. (*) « Qui aliter quam presente Parocho, vel alio Sacerdoti de ipsius Parochi, *seu Ordinarii* licentia et duobus testibus matrimonium contrahere attentabunt etc. » Unde recte colligitur quod etiam invito Parocho potest curare, ut fiant in aliqua parochia extraordinaria exercitia praedicationis vel missionum actus etc.

Num vero non certa exercitia, sed vicarium *invito* Parocho in universum instituere possit Episcopus, ita ut eundem et in universim repraesentet, ex Tridentino, DD. communi sententia admittunt quando Parochus nec per se munia pastoralia implet, sive quia non potest, sive quia negligit, nec praesentet Episcopo vicarium idoneum; ait enim illud (**) « Quia illiterati, et imperiti Parochialium Ecclesiarum rectores sacris minus apti sunt officiis, et alii propter turpitudinem vitae potius destruunt, quam aedificant, Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati eisdem illiteratis et imperitis, si alias honestae vitae sint, Coadjutores aut Vicarios pro tempore, *deputare* partemque fructuum eisdem pro sufficienti victu assignare, vel aliter providere possint, quacumque appellatione remota. »

Praeter hanc *devolutionis* circumstantiam sine consensu Parochi, non posse in ejus parochia constitui Vicarium docent cum aliis Van-Espen, et Lacombe. Oppositam sententiam quae nobis arridet tenet Collet cum aliis; nam Pastor proprius et immediatus est Episcopus, uti demonstratum fuit; potest inde et per se et per quos libuerit populum sibi creditum pascere, 2.° posita negligentia Parochi aut obstinatione ipsi sunt adversarii qui ad Episcopum devolvi docent jus illud, sed contentiosa via subdunt peragi id debere. Ne ergo aliter nisi per contentiosam viam procedere opus sit Episcopo, et ita ne impediantur quominus Vicarium dare possit, nisi cum scandalis fidelium, et salebrose; dicendum potius quod Episcopi sit, invitis Parochis dare Vicarium, 3.° prioribus seculis, cum nullus ordinabatur clericus nisi ad certum officium vel titulum cui necessarius reputabatur, nonnisi Episcopus pro necessitate dabat coadjutores Ecclesiarum rectoribus, hinc nullum jus prioribus Parochis fuisse constat eli-

(*) *Sess. XXIV. de ref. matrim. c.* 1.
(**) *Sess. XXI. c.* 6. *de reform.*

tis rectoribus, erigere, ubi nimirum populus ob locorum distantiam, vel salebrosa itinera, aut interfluentes aquas hibernas, vel ob auctam Parochianorum multitudinem, ad unam Ecclesiam ubi Sacramenta percipiat, commode pervenire non possit; imo ex Tridentino debet, citatis tamen, auditisque interesse habentibus maximeque Parocho *matricis* quamvis invito (1); ea lege ut nova paroecia velut *filia* antiquiorem Ecclesiam perinde ac *matrem* honoratura, nonnulla ei signa cultus et subjectionis quae in more sunt referat quotannis puta: ab ea lustralem aquam accipiens, inibique majores anni solemnitates concelebret, annuum censuum ei rependat etc., in ipso erectionis limine praescribenda (2) assignata tamen novo Sacerdoti ex fructibus ad matricem pertinentibus sustentatione, si id beneficiorum unione fieri nequeat juxta Trident. ipsum (3). Quod duas itidem statuit pluresve simul parochias finitimas posse unire Episcopum, ob probatam Ecclesiae necessitatem, utilitatemque puta, ubi singulae alendo Parocho non sufficiant, populusque in alterutra defectionem, bellum, terraeve motum tulerit. Vetuit tamen ne parochiales Ecclesiae uniantur monasteriis, abbatiis, dignitatibus, praebendis Ecclesiae cathedralis vel collegiatae, hospitalibus, militiisque: nec liberae collationis beneficia ecclesiis vel parochialibus de jure patronatus uniantur (4), cum unam efficiant naturam.

---

gendi prioribus seculis suos Vicarios, quo nituntur adversae sententiae DD. Quidquid sit demum de illis seculis certum; ut post Tridentinum saltem nonnisi ab Episcopo *approbari* ad confessiones vel ad praedicationem Vicarii; ergo Parocho jus non est sibi Vicarium eligendi.

(1) *Fagn. in c. ad audientiam de Eccl. aedificand n.* 29.

(2) *Gloss. in cit. cap. cer. honor.*

(3) *Cit. c. ad audientium et Trid. sess XXI. c. 4 de ref.*

(4) *In c. sicuti 9. sess. XXIV. de ref.*

CONCLUSIO SECUNDA

Jura parochialia traduntur.

Jura Ecclesiae parochialis sunt 1.° Sacramenta administrare (a) et inde, 2.° fons baptismalis; nam extra casum necessitatis post Pontificem et Episcopum solis competit Parochis, 3.° forum poenitentiale; hinc et confessiones excipere debet subditorum si petant, eosque si sint dispositi absolvere etiam a peccatis et censuris Papae, aut Episcopo non reservatis etiam extra parochiam; non vero alienos nisi de licentia etc., 4.° pro morituris dispensatio S. Eucharistiae et administratio Extremae unctionis, quam si tempestive non conferat graviter aegrotis, aut injuste neget, graviter peccat (1); qui autem extra casum necessitatis sine licentia Parochi, parochianis graviter aegrotis haec Sacramenta ministrat, etiam peccat, et

(a) *A quo solo Sacramenta recipienda sint* Trid. ait (*). Et revera Parochi proprie dicuntur ministri proximi eorum (**). unde Benedict. XIV. (***) vel pestilentiae tempore ad administrandum maxime Baptismum et Poenitentiam per se, aut saltem per alios obligari Parochos docet, nec vero, nisi iisdem deficientibus, Episcopos abstringi.

. Quod vero sit magis liberum Parochis nec facultas prescrtim adminisirandi Baptismum decreto die 4 febr. 1828. sancitum fuit: « In caso d'imminente pericolo di vita del neonato, possano i Parrochi, amministrare il Battesimo, anche prima di » adempirsi alla dichiarazione di nascita presso l'uffiziale dello » stato civile avvertendone il medesimo ec. » Dehinc 4 martii art. 11. subditum reperitur: « Che d'altronde appartiene esclusivamente a'Parrochi il giudizio se vi abbia o pur imminente » pericolo di morte del neonato, contro del quale giudizio non » vi è chi possa reclamare. »

(1) *Layman. l.* 5. *tra.* 8. *c.* 7. *n.* 3.

(*) *Sess. XXIV. c.* 13.

(**) *Quodl.* 1. *art.* 14.

(***) *De S. D. l. XIII. c.* 19. *n.* 6.

si est religiosus privilegio non munitus, excommunicatione plectitur Pontifici reservata (1); 5.° solemnizatio et benedictio matrimoniorum, quia sine ejus vel Ordinari dioecesani licentia coram alio Sacerdote contracta sunt irrita (2), 6.° verbi divini praedicatio (a),

(a) Trid. sess. V. c. II. de reform. « Archipresbyteri, plebani et quicumque parochiales vel alias animarum curam habentes, Ecclesias quocumque modo obtinent, per se, aut per » alios idoneos si legitime impediti fuerint, diebus saltem dominicis et festis solemnibus, plebes sibi commissas pro sua, » et earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo quae » scire omnibus necessaria sunt ad salutem, annuntiandoque » eis cum brevitate et facilitate sermonis vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat. Id si quis eorum praestare negligat, provida pastoralis Episcoporum sollicitudo non » desit, ne illud impleatur: *Parvuli petierunt panem; et non erat qui frangeret eis*. Itaque ubi ab Episcopo nonnisi, trium » mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras ecclesiasticas seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur. »

Et sess. XXIV. c. 4. de reform. « Predicationis munus cupiens exerceri . . . mandat ut Episcopi in Ecclesia sua . . . » in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive iis impeditos per » alios ab Episcopo, impensis eorum qui eas praestare tenentur, vel solent, deputandos saltem omnibus dominicis et solemnibus festis diebus, tempore autem jejuniorum Quadragesimae et Adventus, quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, S. Scripturas, divinamque legem annuntient, et alias quotiescumque id opportune » fieri posse judicaverint.

» Iidem etiam saltem dominicis et aliis festivis diebus, pueros in singulis parochiis fidei rudimenta et obedientiam erga » Deum et parentes diligenter ab eis quos spectabit, docere curabunt, et si opus sit per censuras compellent. . . . »

Vide et sess. XXIV. c. 7. et collige grave esse de genere suo hoc officium, ut Parochus a divinis suspensus, nec praedicationis suspensionem incurrit Fagnan. in c. *respons*. 43. extr. de sent. excomm. n. 18. Et Barbosa de offic. Parochi p. 1. c.

(1) *Clem.* 1. *de privil.*

(2) *Trid. sess. XXIV. c.* 1. *de reform. matr.*

benedictio fontis baptismalis, celebratio Missae in coena Domini, et Sabato sancto, delatio SS. Sacramenti, et processiones per parochiam, 7.° benedictio et dispensatio cinerum, palmarum etc. 8.° denuntiationes matrimoniorum, festorum, vigiliarum, jubilaeorum etc. Ita DD. (a).

Hinc praeter alia officia, quae jam dictis juribus Parochorum respondent, ea potissimum sunt, 1.° sacrificium pro populo offerre sive dives, sive pauper fuerit Parochus cunctis Dominicis festisque diebus, absque eo quod elemosinam possint sibi vindicare pro celebratione illius, sive congruam habeant sustentationem nec ne (1): ad quod onus tenentur etiam Vicarii removibiles, et regulares curam animarum habentes. Licet tamen Parochis qui gravi inopia laborant cum Episcopi venia, festis diebus accipere quod datum est ei ab aliquo, et pro eo Missam offerre; modo infra hebdomadam pro populo quam festis diebus conficere rem divinam debuissent, reapse conficiant (2), 2.° in parochiali Ecclesia residere ex Trident. (3); cura enim animarum per se exerceri debet, et munus personale est in quo personae fides eligitur (4), quod

---

XI. n. 8. sentit: qui raro aut nunquam concionatur, peccat mortaliter, etiam precisa gravi necessitate populi: dein S. Liguori lib. III. 289, ait: non improbabiliter plures tenent esse grave peccatum, si concionem sacram omittant, *per unum mensem* continuum, aut per tres menses discontinuos in toto anno.

(a) Quae plura sunt Parochorum jura et officia praesertim quae Sacramenta Baptismi et Matrimonii spectant, agemus cum de rebus, tertio volumine dissertabimus.

(1) *Innoc. XII. Bulla nup. ann.* 1699. *et Bened. XIV. Encyclica quum semper ann.* 1744.

(2) *Bened. XIV. cit. loco.*

(3) *Sess. XXIII. c.* 1.

(4) *C. quoniam Apostolica* 43. *de offic. deleg.*

verum est, licet nondum ad Sacerdotium sit promotus Parochus (1) aut tres tantum, vel quatuor incolae sint in parochia (2). Nec sufficit ut resideat solum in civitate in qua sita est parochia; quamvis alias non teneatur ad restitutionem fructuum (a), 3.° demum ut diligenter in libro ad id deputato annotet annotanda. Hinc praeter librum principalem, in quo familiae et personae parochianorum cum annotatione aetatis sint descriptae, habeant oportet alios quatuor libros seu matriculas, unum in quo contineantur omnes in Ecclesia sua baptizati cum nominibus parentum, si ex legitimo sint nati matrimonio, et patrinorum, addito die, mense, et anno, ex Trid. (3). In secundo libro conjugum, qui in parochia seu matrimonium contraxerunt, et testium nomina, diesque, et locus contracti matrimonii describi debent a Parocho ex eod. Trid. (4). Quod praeceptum utpote ad finem vitandi lites tendat, obligare sub gravi tenent DD. cum Sanchez (5): et in hoc, eidem Parocho ple-

(a) Quapropter secundum regulas ecclesiasticas Paroeciani obligantur ei domum costruere juxta Ecclesiam, eamque suppellectili necessaria exornare (*).

De absentia omnium curam habentium sermo erit cum de beneficiis disseremus in tertio volum. juvat tamen heic solum monere Parochos non ultra bimestre abesse debere, nonnisi ex causa per Episcopum probanda ex Trid. cit. loc. Quod si per edictum citatus contumax fuerit, poterit Episcopus per censuras ecclesiasticas et sequestrationem fructuum usque ad beneficii privationem eum compellere.

(1) *Cap. licet* 14. *de elect. et pot.*

(2) *S. Congr. apud Fagnanum in c. extirpandae* 3. *extr. de praeb. et*

(3) *Sess. XXIV. c.* 2. *de reform.*

(4) *Cit. c.* 1. *sess. XXIII. de reform.*

(5) *L.* 3. *de matr. D.* 15. *n.* 22.

(*) *C.* 1. *de censib. extr.*

na habetur fides. In tertio libro annotandi sunt mortui in parochia, ex quo mors et sepultura probetur. In quarto nomina et cognomina confirmatorum et patrinorum, nec non Episcopi confirmantis et Ecclesiae in quo administratum Sacramentum hoc Confirmationis fuit, addito die, mense, et anno. Sic inter alios DD. Barbosa (1), 4.° ut post obtentam parochiae possessionem intra duos saltem menses emittat coram Episcopo, vel Vicario professionem fidei.

CONCLUSIO TERTIA

De concursu inter requisita in provehentibus ad munus parochiale; nec non de causis quae ab eo tribuunt vacationem disseritur.

Jure communi collatio Ecclesiarum parochialium ad Episcopum spectat. Verum ut rite conferatur paroecia, quaedam necessaria sunt, et praeter ea quae jam diximus (2) oportet, ut per concursum nanciscatur nimirum; coram tribus saltem examinatoribus ut ajunt synodalibus, et dioecesano Episcopo vel ejus Vicario generali habendum, atque ea examinis forma, quam Trid. praescribit (3), ut inter approbatos dignior promoveri possit. Hac de re permulta sancita fuerunt a Pio V. (4) tum a Clemente XI. (5), tum a Benedicto XIV. (6), quibus et confirmatur, et illustratur illud Tridentini, vi solummodo devolvendi, non suspendendi judicium appellationi concessa. Ast pluribus in causis minime requiri concursum, jus ipse dictat, quas videre est

(1) *De offic. Paroch. c.* 7. *n.* 16.
(2) *Pag.* 35. *et* 38. *concl.* 1. *et* 2. *c. XIV. et alibi.*
(3) *Sess. XXIV. c.* 18. *de reform.*
(4) *In c. mandato* 46. *Extr. de sim. n.* 51.
(5) *Bulla in conferendis ann.* 1567.
(6) *Encyclica quum semper ann.* 1744.

apud Fagnanum (1) ex. gr. ex Pii V. praescripto (2) in parochialibus ad Papam devolutis eo quod, lapso semestri tempore a die vacationis, electionem novi Parochi Episcopus neglexerit (a). In dignitatibus, mansionariis, et hebdomadariis, quae curam tamen habent animarum in cathedralibus et collegiatis; nullam enim dignitatum expressam mentionem facit Trid. quod concursum praescripsit (3). In beneficiis regularibus curam animarum habentibus, et clericis in *commendas* concedi consuetis (4). Si parochiae reditus adeo exigui sint, ut nullus concurrat, aut si rixae sint etiam oriturae; tum vel Synodus providebit, vel privatum examen Episcopus habebit, quod cautum fuit a S. Pio V. (5). His adde paroecias jurispatronatus laici, etiamsi plures sint praesentati, ex quibus facilius sit Episcopo magis idoneum eligere (6). Quod si de idoneitate praesentatorum nonnisi concursu constare possit; menti Concilii, et S. Congregationis conformius habetur, ut concursu promoveatur magis idoneus (7). Item paroecias *mixti* juris patronatus (8): etiamsi pro duobus tertiis partibus ex do-

---

(a) Diversum tamen est si Parochialis jurispatronatus laici, ob negligentiam praesentantis intra quadrimestre tempus, ad Episcopum devolvatur; tum enim instituendum concursum definivit S. Congreg. apud Fagn. ibid. n. 12.

(1) *In cap. Mandato* 46. *Extra de Sim. n.* 51.

(2) *Bulla in conferendis ann.* 1567. *et Fagn. in c. quum propter* 28. *Extr. de jurepatr. n.* 8.

(3) *S Congr. apud Fagn. in c. quum sit* 14. *Extr. de aetat. et qualit. n.* 19.

(4) *S. Congr. ad Fagnan. in c. quum sit cit. n.* 37.

(5) *Bulla Apostolatus ann.* 1567.

(6) *Eadem S. Congr. apud cit. Fagnan. in c. quum autem* 24. *Extr. de jurepatr. n.* 31.

(7) *Idem cit. loc.*

(8) *Sacr. Congr. apud Fagnan. in c. quoniam* 13. *Extr. de Const. n.* 58.

natione factum sit ecclesiasticum, quando ab origine prorsus laicale fuerit (1). At patroni ecclesiastici inter approbatos ab iisdem examinatoribus, qui in concursu periclitati fuerunt ingenium et virtutem suam episcopali edicto ad examen convocatos, possunt et debent digniorem eligere, et instituendum Episcopo praesentare. Episcopus autem quoties de injuria competitorum nemo conqueritur, judicium patroni ecclesiastici nequit plane non exequi (2). Quod si quis illorum conqueratur de judicio patroni, Episcopus inquirat oportet in idem; illique etiam beneficium appellationis conceditur. Quae appellatio datur in suspensivo si Episcopi judicium a patrono dissentiat, in devolutivo si consentiat cum eo (3) (a).

(a) Jure novissimo ex pactis conventis ann. 1818. art. XI. sancitum sic fuit: « Sanctitas Sua concedit Episcopis Regni jus » conferendi paroecias, quae quovis anni tempore erunt vacatu» rae. Praevio concursu in paroeciis liberae collationis, Episco» pi eas conferent iis inter approbatos, quos digniores judica» bunt. In paroeciis vero juris patronatus ecclesiastici, prae» vio pariter concursu eos instituent, quos tamquam digniores » inter approbatos ab examinatoribus, patronus ecclesiasticus » praesentabit. Tandem in paroeciis juris patronatus regii et » laicalis, Episcopi praesentatos instituent, dummodo praemisso » examine idonei fuerint inventi.

» Excipiuntur parochiae vacaturae in curia, aut quorum Pa» rochi fuerint a S. Sede de aliqua ecclesiastica dignitate, aut » canonicatu provisi. Harum omnium collatio spectabit ad Sum» mum Pontificem. »

Verum quia art. X. eorumdem dictum etiam fuit canonicatus liberae collationis in capitulis sive cathedralibus sive collegiatis respective conferantur a S. Sede, et ab Episcopis; scilicet sex mensibus etc. dubium elatum num prima scilicet dignitas, vel canonicatus cui adnexa sit cura animarum, uti paroe-

(1) *S. Congr. apud Fagnan. cap. quum propter n.* 64

(2) *Bened. XIV in const. redditae nobis* 4. *t.* 2. *Bullarii.*

(3) *Cit. const. Bened. XIV.*

CONCLUSIO ULTIMA

Jura utilia atque honorifica Parochorum distinguuntur.

Onerosis muneribus juribusque Parochorum utilia seu stolae, jura respondent eorum. Sunt autem haec emolumenta Parocho obvenientia intuitu laboris personalis, ex oblationibus consuetis tum voluntariis, tum necessariis; canonicisque portionibus quartae funerariae, primitiarum, decimarumque et ex congrua parochiali, quae ubi annuos ducatos centum non excesserit ex Trident. (1) nullis pentionibus aut reservationibus fructuum gravari potest. Re quidem vera ipsa religione naturali et revelata, ac gentium consuetudine, quae ad Dei cultum offeruntur, non ad sacrificia solum impenduntur, aliosque obeundae religio-

ciae sint habendae, ut ita utrumque vacante sex primis anni mensibus ab Episcopo conferantnr vel non? Item num paroeciae solum vacantes in curia, aut etiam aliud quidpiam liberae collationis, beneficium quod vacat similiter a S. Sede conferri debeat an non? Administris pro executione concordati ejusdem sic definire placuit.

» I.° Che la circostanza della cura di anime annessa alla pri» ma dignità o a qualche canonicato non possa indurre varia» zione al fissato nell' art. X. . . . . sulla considerazione che » la detta cura appartiene in sostanza a tutto il capitolo . . . » perchè in tali beneficii prevale il titolo principale ch'è il ca» nonicato.

» II. Che la riserva nell' art. XI. a favore della S. Sede per » la provvista delle parocchie che vacano in curia, non opera » che una limitazione alla generale concessione nello stesso arti» colo fatta in favore de' Vescovi della collazione di tutte le » parocchie in qualunque tempo vacanti senza che indichi re» strizione alcuna al dritto di collazione alla S. Sede nelle va» canze in curia di qualunque natura; precedente la riserva

(1) *Sess. XXIV. c. quoniam 13. de reform.*

nis necessarios sumptus; sed et maxime ad sustendandos Dei ministros. Praeceptum quidem illud est quod explicans Apostolus ait (1): *De altari* (in quo fere oblationes fiunt), *participant, qui altari deserviunt; et de sacrario edunt qui in sacrario operantur* (a).

» di tali vacanze da tutt'altro principio, al quale nè con clausole generali nè con dichiarazioni particolari si è derogato col » concordato. » Hoc statutum a S Sede, et a Rege comprobatum fuit, et Ordinariis communicatum die 24. octom. 1818.

(a) Vita communi clericorum distracta, qua ex aerario communi Ecclesiae quantum Episcopus jussisset tunc singuli Praesbyterorum ad paroecias quum urbanas, tum rurales ablegati portionem accipiebant *duplici honore* juxta Apostolum digni; mensa simul communi divisa fuit et primum in partes praecarias arbitrio eorumdem Episcoporum, in beneficia demum coacta; parochiale officium singulis conferri coeptum cum adnexo beneficio; quod utpote par saepe non esset alendis Parochis, construendisque suis Ecclesiis, consueverunt sensim Episcopi fundatoribus Ecclesiarum inter alia patronatus jura, illud indulgere nimirum, praesentandi Presbyteros. Ast prava cupiditas nonnullorum, qua religiosas populi oblationes ex aequo dividere curarunt cum sacris ministris; medicinam morbo non fecit, imo ne sacrorum persolutio a laicis possessoribus pendere videretur, qui non solum Ecclesiae possessiones, sed ipsas Ecclesias cum possessionibus venundabant, inducta fuit distinctio inter *Ecclesiam* et *Altare*, quod Presbyteris committebatur, dum Ecclesia quae temporalia comprehendebat apud laicos remanserat.

Successu temporis e laicorum manibus Ecclesiae cum bonis temporalibus ad Monasteria, et canonicorum collegia pervenerunt; sed coeperunt quoque exemplo laicorum *Ecclesiam* seu decimas et alia temporalia sibi reservare, *Altare* sive spiritualium curam Presbyteris demandare, quod licentia inde Episcopi impetratum fuit, mediante aliquo censu pecuniario praestando in Vicariorum mutatione, qui dictus fuit *Redemptio altarium*. Ob id Canonici et monaci etiam *Patroni* Ecclesiarum existimati fuere: etsi verum Patronatum eis negant DD. Interim cum Presbyteri illi conductitii et ad nutum amovibiles, a monasteriis magis penderent, et paucioribus subsidiis temporalibus essent contenti, ita ut

(1) 1. *Cor*. 9.

Haec jura tamen quae congruam Parocho tribuunt portionem et ex proventibus Ecclesiarum parochialium sumi canones volunt, Tridentina Synodus ut meliori modo sine mora illis Ecclesiis provideretur ait (1): *In parochialibus Ecclesiis quarum fructus adeo exigui sunt; ut debitis nequeant oneribus satisface-*

illis complacebant magis, quam ut paroeciam in spiritualibus debite regerent, definitum hinc fuit a plurimis Conciliis ut quaelibet Ecclesia parochialis proprium et *perpetuum Sacerdotem* habeat. Quibus conforme fuit Lateranense sub Innocentio III. (*) quod voluit etiam, ut si Ecclesia parochialis aliqua annexa sit majori dignitati; ut qui eam obtinet, nequeat parochiali Ecclesiae deservire *personaliter*, in ipsa *perpetuum*, et *idoneum habeat Parochum constitutum*; congruam ex ipsis Ecclesiae proventibus portionem accepturum. His decretis nequaquam abusus illi extirpati. Patribus Tridentini inde (**) placuit ut Ordinarii locorum ubi curata beneficia cathedralibus, aliisve Ecclesiis aut monasteriis unita invenerint *sollicite provideant, ut per idoneos Vicarios etiam perpetuos, nisi aliter expedire videbitur animarum cura exerceatur*, quibus tertiam fructuum partem, aut majorem, vel minorem suo adsignent arbitrio. S. Pius V. (***) addit: congruam portionem Vicariis eisdem fore, nec ultra centum, nec infra quinquaginta scutos adsignandam; nam Vicariis non perpetuis Episcopus arbitrabitur ex Fagnano (****) pro modo redituum et indigentia, ac meritis personarum.

Vides hinc: sicut ex incorporatione Ecclesiarum, quoad *spiritualia* originem Vicarii perpetui habuerunt, ita in corporatione Ecclesiarum quoad temporalia, et praesertim quoad decimas originem habuit *Congrua*, quasi congruens illi cui adsignatur. Ejus taxatio ex Trid. (*****) judicio Ordinarii committitur quam vera vult tantam esse, ut non tantum necessitatibus Vicarii, sed et *parochiae necessitati sufficiat*, vel ut, dicit eadem Synodus, *cura animarum laudabiliter exerceatur.*

(1) *Sess. XXIV. c. 15. de reform.*

(*) C. 3. *tit. de praebend.*
(**) *Sess. 7. c. beneficia 7. de ref.*
(***) *Bulla ad exequendum 47. tom. 2. bull. Cherub.*
(****) *In c. 3. de cleric. aegrotant.*
(*****) *Cit. loc.*

re, curabit Episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per Parochianorum symbolas, ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione, tantum redigatur, quod pro rectoris ac parochiae necessitate decenter sufficiat.

Ergo Parochorum congrua non jure communi definienda, sed locorum institutis magis, et moribus, synodorum atque episcopalibus decretis, ac concordatis (a).

Pactis conventis ann. 1818. art. VI. cautum fuit: « Paroeciis, quae sufficientem congruam non habent, » dos ita augebitur ut iis Paroeciis, quae duobus ho- » minum millibus non constant, ad minus ducata » centum, iis quae numerum quinque millium ani- » marum non attingunt, ad minus ducata centum » quinquaginta, ceteris certo quae majorem anima- » rum numerum continent, ducata ad minus bis- » centum annuo redditu constituantur.

» Parochialis Ecclesiae conservatio, uti et coope- » ratoris Parochi stipendia, ubi reditus, ad id at- » tributi non adsint respectivis civitatibus incum- » bent, et praedes dabuntur fundi, aut vectigalis pri- » vilegiata pecunia.

» Haec dispositio non respicit Ecclesias parochia- » les juris-patronatus sive regii sive ecclesiastici sive » laicalis etc. Excipiuntur pariter Ecclesiae recepti- » tiae etc. »

De juribus honorificis juvat observare quod Parocho in propria Ecclesia prima sedes debetur, ibique thurificandus est ante Dominum loci si quis sit, nisi

(a) De decimis primitiis aliisque oblationibus in specie, congruentius agemus sequenti volumine.

adsit superior ecclesiasticus, Episcopus, Vicarius generalis, item Archidiaconus, vel Decanus. Hinc in concertationibus Parochorum plurimis cum capitulis Sacra Congr. pluries respondit « in Ecclesia parochiali » digniorem locum deberi canonicis, cathedralis Ec- » clesiae capitulariter assistentibus immediate post » Episcopum, et post Canonicos rectori. De ceteris » collegiatis quaestio anceps magis est » (1).

Praecedentia inter ipsos Parochos, curatos Ecclesiarum parochialium sive seculares, sive regulares datur secundum praerogativam suarum Ecclesiarum, non regulae.

Stola parochialis jurisdictionis signum non tenetur Parochus deponere, nisi secundum locorum et dioeceseon consuetudines coram Episcopo, Vicariis et certis in locis olim coram Archidiacono in exercitio visitationis.

MONITUM.

De inferioribus Ministris et de Monachis restat adhuc dicere: ne vero sint quibus hunc aequo longius protendisse videar librum, neque Tomus magis magisque excrescat, de illis, et congruentius forsan, edissere nostrum erit cum de ordinibus, et monasteriis, sequenti Tomo erit dicendi locus.

---

(1) *Vide Barbosa de officio Parochi c. IX. et Ferraris Biblioth. t. 7. verbo Parochus art. II.*

ERRATA CORRIGE

Pag. III *vers.* 28 esempio—*lege* exemptio—*pag* IV *vers.* 41 jura — jure— *pag.* ibi *vers.* 40 De iis qui liberam collationem conferunt — De iis qui liberam collationem habent — *pag.* IX *vers.* 33 administrationem — administratione — *pag.* X *vers.* 11 requisita — requisita ac — *pag.* ibi *vers.* 19 Parochis — Paroch; — *pag.* ibi *vers.* 27 personalis — personatus — *pag.* 18 *vers.* 17 dicitur — dicit — *pag.* 19 *vers.* 4 ministri — ministros — *pag.* 21 *vers.* 6 et eo vel magis quod —; non vero quum — *pag.* 26 *vers.* 15 incestu — incessu — *pag.* 27 nota (a) *vers.* 5 extirpare — extirpari — *pag.* 30 *vers.* 13 velut — adhue — *pag.* 30 nota (a) *vers.* 6 consortio — consortium — *pag.* 39 *vers.* 8 editi — edicti — *pag.* 57 *vers.* 22 tandundem — tantundem — *pag.* 63 *vers.* 15 effrenae — effraenae — *pag.* 81 nota (a) *vers.* 2 jurispatronatu — jurepatronatu — *pag.* 103 *vers.* 5 reddit — reddat — *pag.* 119 *vers.* 3 ejicieret — ejiceret — *pag.* 124 nota (a) *vers.* 6 cololatio — collatio — *pag.* ibi *vers.* 7 probati — probatio — *pag.* 135 *vers.* 12 isque — hisque — *pag.* 140 *vers.* 6 mentem — mensem — *pag.* 143 *vers.* 1 causi — causis — *pag.* 154 nota (b) *vers.* 14 temdora — tempore — *pag.* 192 *vers.* 13 praecipium — praecipuum — *pag.* 203 *vers.* 14 de resignationem — de resignatione — *pag.* 212 *vers.* 1 nota injustitiae — injustitia — *pag.* 224 *vers.* 10 nota (c) attentatem — attentantem — *pag.* 273 *vers.* 16 pasqua — pascua — *pag.* 288 *vers.* 4 quae — quas — *pag.* 288 *vers.* 6 mana — manu — *pag.* 289 nota (a) *vers.* 3 Antiquorum — antiquarum — *pag.* 293 *vers.* 27 XXIV — XXV — *pag.* 294 *vers.* 19 opinabat — opinabatur — *pag.* 340 *vers.* 3 primati — primatui — *pag.* 357 *vers.* 9 quemdam — quamdam — *pag.* 364 *vers.* 5 Episcopale — Episcopales — *pag.* 364 *vers.* 14 Metropolitanis — Metropolitani — *pag.* 390 *vers.* 8 potestatis — potestatem — *pag.* 390 *vers.* 15 conjuncta distinguenda — conjunctae distinguendae — *pag.* 392 *vers.* 24 quod animum nostrum — quis animus noster — *pag.* 396 *vers.* 11 Archiepiscopatus — Archiepiscopatibus — *pag.* ibi *vers.* 12 Episcopatibus — Episcopatus — *pag.* 398 *vers.* 12 mos — morem — *pag.* 398 *vers.* 16 nulla solutio, aut minutio ulla — nullam solutionem, aut minutionem ullam — *pag.* 418 not. *vers.* 17 esto — etsi — *pag.* 421 *vers.* 26 manum — manuum — *pag.* 425 *vers.* 10 persolvendos — persolvendas — *pag.* ibi *vers.* 25 pias — piae — *pag.* 429 *vers.* 2 permissio — permissionem — *pag.* ibi *vers.* 8 cura — curam — *pag.* ibi *vers.* 29 clericus — clericos — *pag.* 430 *vers.* 10 not. (a) quaecumque — quaecomque — *pag.* 431 *vers.* 4 extraneis — Extranei — *pag.* 435 *vers.* 12 Ecclesiae — Ecclesiis — *pag.* 446 *vers.* 14 ambi — ambo — *pag.* 449 *vers.* 10 not. (a) antiquior — antiquius — *pag.* 461 not. *vers.* 4. Formatas — Formatae.